C 139

APOLOGIA PERFECTIONIS VITÆ SPIRITVALIS,

Siuè

PROPVGNACVLVM RELIGIONVM OMNIVM,

SED MAXIMÈ MENDICANTIVM,

Contrà

EPISTOLAM THEOLOGI CVIVSDAM

Ad quendam Magnatem scire cupientem, quomodo posset distribuere bona sua temporalia ad pios vsus, cum vtilitate quàm maxima animæ suæ. Et cui Ordini Regulari, vnum è Nepotibus suis vitæ Religiosæ desiderio captum, deberet addicere.

AVTHORE
R. P. F. NICOLAO A IESV MARIA
Carmelita Discalceato Polono.

ROMÆ. Anno 1628. Deindè Genuæ. 1653.

Ex Typographia Benedicti Guaschi.
Superiorum permissu.

Imprimatur.

Ex auctoritate Illustriss. Magistratus Inquisitorum Status:

Laurentius Oliverius Cancell.

Illmo & Excell.^mo D.

D. STANISLAO LVBOMIERSKI

COMITI IN VISNICZ, SENDOMIRIEN. SCEPVSIEN. BIALO CERKVEN. &c. PRÆFECTO. SVPREMO REGNI POLONIAE POCILLATORI.

F. NICOLAVS A IESV MARIA Carmelitæ Excalceatus, S. S.

VENIT ad Aream, & ad Vestibulum præmunificæ pietatis tuæ, vtpotè tutelare Asylum, Illustriss. Domine, mea hæc Euangelicæ paupertatis pauper Apologia; siue (quod verius fuerit) sub rudi Apologiæ huius amiculo Euangelica ipsa Paupertas, decor Christiani Orbis, honestamentum Ecclesiæ, Primiceria Regni Cælorum. At (inquies) quid illa sic? An non sufficit sibi nuda, quæ nudum sequitur Deum, quæ nudum Deum capessit? Imò (inquam) sufficit sibi, sufficit Deo; sed non sufficit Theologo neoterio, qui sponsam Christi inique suspicit seminudam, bonus videlicet misericordiæ corrogator, pius obuelator Crucifixi; qui tamen gaudet per tot sæcula nudum esse, nudum vel pingi. Dicam sincere quod sentio. Euangelicam Paupertatem nostri Sarmatæ ad Martem nati, in Marte viui, velut miraculum longo iam æuo suspiciunt, & eonuenerantur; vnus in pace

Theologus fastidiosè oblatrat Paupertati, quæ olim est de Theologia benemerita, & quodammodo Apex, & summa Theologiæ. Quodque amplius demirere, Optime Princeps, credideris, hominem inuidere Paupertati lætitiam, & prædiuinam hilaritatem; illam siquidem non modò nimis ieiunam, atque vicarium quæstuantem negligit, si non contemnit; sed intrà cœnobiticæ sepæ lingua, spirituque psallentem si non improbat, minùs probat. O tempora. O mores. Sed habent suum vel Astra Sirium. Ergo venit in vmbram tuam, & Apologia mea, & sacra multorum Pauperies, eo nomine Famulantium Deo; vt te obumbrante commodiùs queant istam Caniculam deuitare, imò reflectere, ac toto Ecclesiastici Poli ambitu depulsare; ne tam præpostero Sydere Euangelicæ Perfectionis germina latè iam, ac feliciter in nostra Polonia pullulantia, superuacuè, aliquando ingemiscamus esse decocta. A te verò præ cæteris, Illustrissime Princeps, auspicium capi, patrocinium quæri planè debuit Apologiæ quam conscripsi, Paupertati sub qua mereo; qui (vt innumera tuarum virtutum lumina Solis instar indice non indigentia, prætermittam) sacræ sapientiæ candidatos consuetisti semper in oculis ferre, & Christi Pauperes ita in delicijs computare, vt effuso diuitiarum censu nostri Ordinis consecraueris & ad conuictum Euangelicum patens Cœnobium, & ad Psalmodiam sacram Templum suffoderis, erexeris, fastigiaueris. Age itaque Princeps, munificentia, & religione compar, excultæ à te Pauperratis nostræ hanc accipe etsi imparem fructificationem, vberiora deinceps pollicitantem, hanc interim si benignè suscipias; & boni consulas. Salue, & Vale diu sospes, & felix tuæ Poloniæ, nostro Carmelo, Cracouiæ è nostro Conuentu Sancti Patris Ioseph. VII. Kal. Ianuarij. 1626.

L E-

LECTORI S.

LITERVM libellus hic lucem aspicit. Quid commentitia de clandestina editione calumnia valeret? Palam profertur veritas: nec qui bene agit odit lucem, aut reformidat examen. Prodierat nuper liber iste Romæ, vt in præsens: at anonymum aduersus quem scribitur, nescio quæ suspicio incessit non fuisse id Superiorum permissu factum. Quid ei defuit? ipsam prodeundi licentiam gerebat in fronte. Tuam fidem, anonyme, putastin auctorem adeò perfricta frontis, vt tam splendidum mendacium, cuius publicè argui posset non erubesceret? vel adeò dementem, vt librum bonum, nullius censuræ metuentem clàm vulgaret, cuius palàm edendi licentiam probè sciret sibi non denegatum iri? An ideò dubitasti, quòd eam non ipse Sacri Palatij Apost. Magister, sed eius socius impertiuerat? Excuso ignorantiam facti: nesciebas longinquis in regionibus constitutus illam Romæ ab eorum alteutro concedi. Sed iam dubitare desine: ipse Sacri Palatij subscripsit Magister. Perlege quod hoc operis est, atque errorem depone, teq. nequicquam veritatem impugnare conosce; non opprimitur ista, sed instar palmæ aduersus obnixum pondus assurgit: eiq. est imperuium nihil: per medios ire satellites, & perrumpere amat saxa potentius ictu fulmineo.

PRÆ-

PRAEFATIO

TIBI soli tacebunt homines; & cum cæteros irreferis, à nullo confutaberis? Iob. 11. *Scripturæ sacræ Catholici tractatores* (ait Seraphicus Bonauentura in apolog. pauperum) *mox vt subortæ viri senserunt peruersorum dogmatum germina, magno studuere eo natu illorum conuulsioni operam diligentem impendere, ne si in altum succreuerint, fationis Dominicæ semina suffocarent.* Porrò diebus istis nouissimis, quibus clarius Euangelicæ veritatis fulgor illuxerat, dogma quoddam repullulans, iamq. in scriptis redactum compertimus, quod tanquam fumus teter, & horridus erumpens abyssi puteo, ipsiusq; Solis lucis radijs, se veluti obijciens, Christianarum mentium hemisphærium obscurare contendit. Comparuit scilicet in Polonia anno Domini vigesimo quarto supra millesimum sexcentesimum epistola quædam Theologi anonymi, ad quendam magnatem scire cupientem; quomodo posset distribuere bona sua temporalia ad pios vsus: cum veritate quàmaxima animæ suæ, & cui Ordinum Regularium, vnum è Nepotibus suis, vitæ Religiosæ desiderio captum, deberet adhærere? Quæ inquam epistola, vt pietatem callidè præseferre conuincitur, ita cautè perlegenda est, dum pulchra specie Sanctitatis, præponere auocat ab ipso culmine Sanctitatis. Appositè Ieremias cap. 23. *A Prophetis Ierusalem egressa est pollutio super omnem terram; Hæc enim* (inquit Hieronymus) *vitium testimonio adiuuans eo, quæ epistolas plenum mendacio, & fraudulentia, & periurio in orbem dirigunt, & aures audientium pollunt.* Sed (quod plerique insignes viri tacti dolore cordis intrinsecùs persæpè conquæsti sunt) ad exortum huius obscurissimæ caliginis, Doctorum dormitauit industria, si non etiam (quod indignius est) plurimorum scientia caligauit; vt propterea de Theologo pronunciari debeant verba illa: *Tibi soli tacebunt homines; & cum cæteros irreferis, à nullo confutaberis?* Enim verò

PRÆ-

to quoties impijssimi homines hæresum spicula aduersus Ecclesiam Dei torquere conati sunt, toties eorum tela ab inuictissimis scriptoribus acerrimè sunt infracta; *Tibi soli tacebunt homines*, ô Theologe, obtruncatas iam pridem hæreses nouo spiritu refouenti, & quodammodo reanimanti? Quoties viri mendaci spiritu instructissimi, errorum portenta Orbi inuchere ausi sunt; toties inscitiæ illorum tenebræ ab alijs depulsæ sunt; *Tibi soli tacebunt homines* tua scripta noxijs errorum semmibus oraspergenti? Quoties præsumptione abrepti alij doctrinam Sanctorum Patrum ad exitialia capitis sui commenta traducere attentarunt: toties eorum conatus elisi, & Sanctorum Patrum Doctrina illustrior reddita; *Tibi soli tacebunt homines* eorundem Patrum sententias detorquenti, ac tuis sensibus inflectenti, quandoque etiam mutilanti? Quoties carnalis prudentiæ assertores perfectionis arcem oppugnare aggressi sunt; toties vice versa expugnati sunt: *Tibi soli tacebunt homines*, dum nouam perfectionem moliris eiusdem perfectionis apicem demolienti? Quoties choros castrorum Dei, & laudes præliantium bella domini persequi alij non dubitarunt; toties eorum audacia vel impudentia repressa est ab eis de quibus dicitur: *exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorũ. Tibi soli tacebunt homines* in tuis scriptis de Psalmodia male merenti? Quoties pœnitentiæ operâ viri se ipsos amantes eliminare cogitarunt; toties viri Spirituales carnis odium instaurare non desiterunt; *Tibi soli tacebunt homines* austeram corporalis pœnitentiæ faciem non probanti? Quoties Paupertatem firmissimum Religiosarum virtutum fundamentum viri cupiditate possessi subuertere moliti sunt; toties eorum vires confractæ atque irritæ conciderunt; *Tibi soli tacebunt homines* paupertatem in communi tam facilè post habenti? Theologi magni nominis quorum nomina & scripta toto Orbe illustria per omnes ætates coruscare non desinunt, acres passim oppugnatores, censores rigidos, duros linguarum & calamorum aculeos patiuntur; *Tibi soli tacebunt homines* Theologe anonymo, & scriptiones tuas sine approbatione & loco impressionis, qua-

di

si furtim, & veluti abortiuum fœtum hominum oculis exponenti? Atverò (quod multo lachrimabilius est) cùm cæteros irrideris, à nullo Theologe, confutaberis: Irrisisti Apostolicos viros, hoc est vitæ Apostolicæ sectatores, dum Christi, & Apostolorum perfectionem dignoscendam ex ratione viuendi communi, victu, & vestitu, siue ex manducatione, & potu, perperam docuisti, *Et à nullo confutaberis*: Irrisisti, inquam, Apostolicos viros, dum Religionem cum possessionibus in communi, & citrà externam austeritatem simillimam vitæ Christi, & Apostolorum pronunciasti? *Et à nullo confutaberis*? Irrisisti Euangelicæ perfectionis & austeritatis cultores, dum Christi, & Apostolorum vitam fuisse blandam, & non rigidam insinuasti, quin etiam paupertatem Apostolicam præcepto & exemplo Christi firmatam non perfectioni aut voluntati, sed necessitati tribuisti, dissentiens in hæc verba; *quod si Apostoli vni loco, vti nunc Religiosorum monasteria, fuissent adstricti, nec in eorum paucitate debuissent circuire totî mundi regiones, procul dubio etiã stabiles, & certos reditus acceptassent*; *& à nullo confutaberis*? Accedit, quod Paulum vas electionis, & Doctorem gentium, ob labores vitæ Apostolicæ animarum causa susceptos, dixisse se infelicem obloquutus es, nec ab Elia Prophera Sanctissimo calamum abstinuisti; *& à nullo confutaberis*? Irrisisti ô Theologe omnes Religiosos Ordines, pulchra scilicet tabernacula Iacob, & tentoria Israel, quæ sunt, vt valles nemorosæ, vt horti iuxtà fluuios irrigui, & tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri propè aquas; quia eorum fortitudinem quæ consistit in paupere & afflicta charitate, veluti expungere & irritam facere potuisti; *& à nullo confutaberis*? Irrisisti Ordines Eremiticos, eorum perfectionem, cæterorum Ordinum perfectioni postponens; cùm tamen ex D. Thomæ, & aliorum Sanctorum placito, vita solitariorum præeminear vitæ in societate viuentium sicut id quod perfectum est præeminet ei, quod ad perfectionem exercetur *ut à nullo confutaberis*? Sed & peculiares Ordines Religiosorum austeritate, Psalmodia, paupertate in communi, & pœnitentiæ cultu celebres, verbis illiberalibus,

bus, & doctrinæ suæ impostoris irrisisti; *& à nullo confutaberis?*

Expectabam ego, qui aduersus Theologum, velut olim aduersus Philistæum irrisorem agminum Dei viuentis consurgeret, & auferret opprobrium de Israel. Sed ecce hucusq. nullus (quod sciam) prodijt, non quod formidabilis sit eius potentia, sed fortassis, quia despicienda videbatur eius arrogantia. At verendum ne vnde magis despicitur, inde magis erigatur. Ergo ne *tibi soli tacebunt homines; & cum cæteros irriseris, à nullo confutaberis?* Progredior ego minimus omnium, non armis propriæ fiduciæ, sed nomine Dei munitus. Quia enim *verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus* Iob. 16. id est (vt ait Gregorius) *cum & ipsi derogant qui in fide sociantur, necesse est, ad Deum mea intentio tota in amoris intimi compunctione defluat, & tanto subtilius se ad interiora erigat, quanto per exteriora opprobria repulsa intus redire cogitur, ne foras euanescat.* Progredior & (phrasi Bonauenturæ) eligo exemplo Dauid quinque limpidissimos lapides de torrente redundantis Sapientiæ Catholicorum Doctorum. Quibus si pia fide veritati assentire Theologus voluerit, nobilcum armetur; si autem effrons resistere, in fronte feriatur. Mitto autem hos lapides in peram pastoralem, id est simplicem hunc libellum, qui nullatenus potest commendare elegantia styli, & comptus Sermo; Sed sola necessariorum verborum prouisio, & quem tempora, alijs studijs Theologicis non intermissis, siue ministerijs Religionis continuata, ac horæ succesiuę mutuare potuerūt. Res ipsa appendatur, non verba: fructus legatur, non folia: flos carpatur non volaticus desideretur pappus. Præclarè August. lib. 4. de doctr. Christianæ c. 11. *Bonorum ingeniorū insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba, quid enim prodest ligneæ si hoc potest, quando nihil quærimus nisi patere quod clausum est?* Aperiam ego & reuelabo technas arcanas ædificij Theologici eo modo quo libuerit, vt clarè detecta foueā, cauere possit, euitari ruina.

Primum itaq. ostendam Theologum suis in scriptis, & non caruisse mendacio, & inuertisse dogmata, non solùm cauenda: sed omnino non bona. Ne quis autem suspicetur, acrius iusto à me scriptorem perstringi, fateor me non personam, sed doctrinæ

ctrinæ temeritatem perstringere; non enim est Theologo mihi compertum est quis nam sit: omninò autem mihi persuadeo non Religiosum, dubito autem Catholicum esse, vt potè qui passim suam epistolam dictis hæresim redolentibus respersérit: solet autem esse hæreticorum fraus, sub specie Catholicorum sua scripta prodere quatenus vel incautos valeant citius illaqueare, vel Catholicos quibus fortassè possunt imputari, infamare, & in inuidiam vocare queant. Dicam cum Bonauentura in simili. *Quoniam meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta odientis oscula*, nequaquam peccatorum oleo, adulatione videlicet, impinguandum esse ipsius languidum caput, nec tumidi cordis apostema palpandum, quin potiùs obloquentis hominis erectam ceruicem oportet dura increpatione ferire non quidem amari cordis odio, sed tranquillæ mentis æmulatoria Charitate. Ipsius verò suspectum dogma ordinato competit improbare congressu, vt per modum Apologiæ, epistolæ coaptetur responsio, & impugnationi defensio correspondeat ex aduerso, cui titulum volui præfigere. APOLOGIA PERFECTIONIS VITÆ SPIRITVALIS, SIVE PROPVGNACVLVM OMNIVM RELIGIONVM, MAXIME MENDICANTIVM, quia exacuit linguam suam tanquam gladium contrà omnes Religiones, vt iam monstraui, omnium Religionum causam pro viribus agam; quod non meæ arrogãtiæ, Sed potius intimo amori, qui me vrget, vt secundũ modulũ pro honore vineari domini Sabaoth, me totũ impendã, imputatũ volo. Duplex autẽ contrà Theologũ est mihi instruenda munitio. Altera continens breuẽ resolutionẽ & Anathomiam totius epistolę, in qua sub cõpendio cernantur omnes impostura & artes Theologi. Altera autẽ continens fusiùs examen propositionũ Theologi, ad inuiolatã doctrinam Angelici Doctoris tanquã rectissimam & certissimã regulam veritatis: Quia enim Theologus doctrinã S. Th. in defensionẽ suorũ dogmatũ vltroneè assumpsit, conabor ego hominẽ suo gladio iugulare. hoc est verbis suis omninò conuincere. *Condemnabit te os tuũ, & labia tua respondebunt tibi.* Iob. 15. quia enim veritas vincit sẽper & inualescit, cuius lumen inter densas errorum tenebras radiat

eius

eius quasi virtute compulsus Theologus, quod impugnat defẽdit,& quidquid cõstruit destruit,manifestè declarans quod *qui* (vt ait Bonauentura) *studio contẽtionis deseruit,dum arcu tenso doloso per saggittam sermonis emissã alterũ vulnerare satagit,iusto Dei iudicio semetipsum prius ipse configit.* Aggrediar ergo Theologum suis armis animosè & intrepidè.

Quod dum perficio. Te (cũ S.Bonauentura in apolog.Pauperũ Sæpiùs citata) Sacrosancta Romana Ecclesia, tanquã altera Esther eleuatã in populis,vt Ecclesiarũ omniũ Matrẽ,Reginã,atque Magistrã,ad defendendã,& docendã,tã morũ,quàm fidei veritatẽ, fiducialiter interpellat tuorũ pauperũ cœtus, vt quos genuisti vt Mater, educasti vt Nutrix, nunc etiã vt Regina potẽter & iustè defendas; cùm idcircò dispositione fauente diuina, Pontificalis ac Regiæ potestatis verticẽ supremũ adipisci mereris,vt in arduis necessitatis articulis,ad defendendũ Christi populũ patrareris. Exurge igitur Sãcta Mater,& iudica causã tuã, quia Ordinũ tuorũ est;tu approbasti Religiones austeras,Psalmodiæ vacãtes,Paupertatẽ in cõmuni profitẽtes:tuũ est ea,quæ alieno spiritu pleni homines contrà effutiunt,reprobare;ne si dissimules,approbare videaris. Nõ mea scripta probari,sed tantũ epistolã Theologi prohiberi,& confutari gestio, & nomine Religiosorũ plurimorũ,qui in hoc calamo meo loquũtur,humillimè postulo. Vos etiã omniũ Ordiũ Religiosi cõpellabo,classicũ vobis cano; En Theologus Ismaelitico more manũ erigit contra omnes,vt iusto Dei iudicio manus sit omniũ contrà eu,vnũ ergo sit brachiũ omniũ nostrũ, & quidquid præualet vnusquisq.audeat, verbo, vel scriptõ cõtrà exitialẽ epistolã. Deniq;ad vos docti viri, quorũ iudicio meas lucubrationes libẽs subijcio,sermonẽ cõuerto cũ Caietano,Dictorũ rationes videte & examinate,& sic aquiescite,vel refutate, nõ enim tanti sũ,nec sic arrogãs,vt meã proponã authoritatẽ. Sed eatenus dico hic & vbique,quatenus reddita ratio testatur; Propterea vbi defecero,correctori,vt adiutori gratias agã. Verba autẽ erroris, falsitatis,deceptionis,insciciæ, & quæcunq; huiusmodi mihi inter scribendũ exciderint,non contrà personã, sed aduersus doctrinã velim accipi pronunciata; quoniam personæ, nullo pacto, Doctrinis non nisi vt dissonant,aduersari intendo.

Facultas Reu. Admodum P. Præpositi Generalis Carmelitarum Discalceatorum.

FRATER Matthias à Sancto Francisco Præpositus Generalis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, Librum hunc inscriptum Apologia perfectionis vitæ Spiritualis, à R. P. F. Nicolao à Iesu Maria eiusdem Congregationis Sacerdote professo compositum, & à peritis Theologis recognitum, & commendatum, probo vt typis mandetur, si placuerit Reuerendiss. D. Vicesgerenti, & Reuerendiss. Magistro Sacri Apostolici Palatij. Dat. Romæ in nostro Cœnobio S. Mariæ de Scala VII. Kal. Decembris MDCXXVI.

Fr. Matthias à Sancto Francisco Præpositus Generalis.

APPROBATIO.

LIBRVM à R. P. F. Nicolao à Iesu Maria nostri Ordinis Sacerdote Theologo, in quo Epistolæ ignoti cuiusdam scriptoris centum Propositiones examinantur; Reu. Admod. P. nostro Proposito Generali P. F. Matthia à Sancto Francisco iubente perlegi: in eoque nil Orthodoxæ fidei, aut bonis moribus aduersum reperi, cùm ad lineam Angelicæ Doctrinæ S. Thomæ extructus videatur, imò cùm velut alter Moyses aduersus Aegyptium, obscurum videlicet hominem, in eo insurgit Author zelo priuatæ quid pro Catholica Religione facturus sit clarè portendit. Opus igitur dignum censeo, quod typis cudatur. Datum Romæ in nostro Seminario Sancti Pauli, die 25. Nouembris 1626.

F. Modestus à S. Gregorio é Carmelitis Discalceatis &c.

Reimprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Pal. Apost.

A. Episc. Bellicastren. Vicesg.

Reimprimatur.
F. Nicolaus Rodulfus, Sacri, & Apostolici Palatij Magister, Ord. Præd.

Reimprimatur.
F. Deodatus Gentilis S. T. M. Vic. Generalis S. Officij Genuæ.

IN-

INDEX PROPOSITIONVM, QVAE IN HOC OPERE EXAMINANTVR.

Propositio 1.

GENERALIA quadam monita desumpta ex certa SS. Patrum, & Theologorum doctrina. pag. 1

Propositio 2.

Vt autem cognoscas sine errore, quibus in rebus sita sit ista Dei quàm maxima gloria, quam propagare per tuas facultates, & nepotem tuum vis, & debes, hæc diligenter considera. 2

Propositio 3.

Vnde sequitur, illum magis glorificare Deum, sibiq; magnos meritorum, & gloriæ gradus cõciliare, qui ad ea opera, & personas res suas derinat, à quibus maiora & plura præterita extirpantur, & purgantur peccata, ac futura impediuntur. ibid.

Propositio 4.

Vnde sequitur, te tunc valde glorificaturum Deum, & tuæ animæ consulturum, si tua bona, & nepotem tuum direxeris ad tales personas, & talia pia opera, ex quibus in Ecclesia Dei oritur maior frequentia, & excellentia, tum piorum operum, tum hominum meliorum. 4

Propositio 5.

Ad quod conducit multitudo & mediorum & modorum, ac efficacitas eorum ad talem pietatem personarum & operum in Ecclesia Dei excitandam, propagandam, & dilatandam. 5

Propositio 6.

Ille maximè glorificat Deum, & animam suam spiritualiter ditat, qui causa est contrariorum effectuum bonorum, sive per dispensationem suarum temporalium facultatum, sive alio modo. 6

Propositio 7.

Considera Illustris. Domine, inter opera pia, & personas Religiosas, à quibus glorificatur Deus, per illas glorificari magis, in quibus magis resplendet Dei dilectio, & proximi propter Deum. 7

Propositio 8.

Vnde sequitur, per opera virtutis Religionis, vti sunt Psalmodiæ, non ita glorificari Deum, & animam ditari, atque ditatur per opera dilectionis Dei, & proximi propter Deum. 7

Pro-

Propositio 9.

Virtute Religionis, ex qua deuotionis opera promanant, longè perfectior est virtus charitatis, vt expressè docet S. Th. 2. 2. quæst. 81. art. 5. & loco paulò ante citato. 14

Propositio 10.

Hinc secundo sequitur, per opera pœnitentiæ, vti sunt ieiunia & his similia, cæteris paribus, magis glorificari Deum, quàm per opera dilectionis Dei, & proximi propter Deum. ibid.

Propositio 11.

Quin etiam S. Thomas in 4. dist. 15. art. 2. & c. asserit, Eleemosynam plus esse satisfactoriam pro peccatis, quàm ieiunium, & orationem. 15

Propositio 12.

Imò quod mirabilius est, S. Thom. 2. 2. quæst. 124. art. 3. ad 3. ait Actum ex charitate docendi, & gubernandi subditos esse perfectiorem, quàm actum martyrij consideratum secundùm propriam speciem actus. 16

Propositio 13.

Vndè sequitur tertio Illustriss. Domine, te ad tales personas, & opera, debere tuas facultates, & nepotem conuertere, quæ magis versentur circà dilectionem Dei, & proximi, quàm circa Psalmodias, & corporis macerationes. 18

Propositio 14.

Benè ait S. Greg. Papa lib. 6. cap. 2. in lib. Regum. Longè altioris est meriti, propriam voluntatem alienæ semper voluntati submittere, quam magnis ieiunijs corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare. 23

Propositio 15.

Considera & hoc Illustrissime Domine, si inuenieris plures hominum piorum Ordines, & Congregationes, quæ tibi viderentur bona & perfecta, debere te potius ijs bona tua cum nepote tuo offerre, qui sequuntur perfectius viuendi institutum, & in eo modum viuendi perfectiorem. 24

Propositio 16.

Porrò vt agnoscas quod vita institutum, & quis in eo viuendi modus sit perfectior; has regulas accipe, excerptas potissimùm ex recepta ab omnibus S. Thomæ Doct. Angelici doctrina. 25

Propositio 17.

Primò docet S. Th. 2. 2. q. 188. art. 6. Illam Religionem alteri præferri, quæ ordinatur ad finem absolutè potiorem; vel quia est magis bonum; vel quia ad plura bona ordinatur. Si verò sit finis idem, secundariò attenditur præeminentia Religionis, non secundùm quantitatem exercitij, sed secundùm proportionem eius ad finem intentum. Vndè & in collationibus Patrum introducitur sententia B. Antonij (collat. 21. c. 3.) qui discretionem, per quam aliquis omnia moderatur, præcellit ieiunijs, & vigilijs, & omnibus huiusmodi obseruantijs. Et infrà. Sicut maius est illuminare, quam lucere solùm, ita maius est contemplata alijs tradere, quam.

quam solum contemplari. Ergo summum gradum in Religionibus tenent; quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ & propinquissima sunt perfectioni Episcoporum, sicut & in alijs rebus fines primorum coniunguntur principijs secundorum, vt S. Dionys. dicit 7. c. de diuin. nomin. Secundum autem gradum tenent illæ Religiones, quæ ordinantur ad contemplationem. Tertium est earum, quæ occupantur circà exteriores actiones. In singulis autem horum graduum potest attendi præeminentia, secundum quod vna Religio ordinatur ad altiorem actũ in eodem genere: sicut inter opera actiua vitæ, potius est redimere captiuos quam recipere hospites. Et in operibus vitæ contemplatiuæ, potior est Oratio, quam lectio. Potest ergo attendi præeminentia, si vna earum ad plura horum ordinetur, quam alia; vel si conuenientiora statuta habeat, ad finem propositum consequendum. Hæc omnia S. Thomas. 26

Propositio 18.

Illustriss. Domine, circumspice Religiosos Ordines, eumquè tuis & bonis, & nepote orna. 30

Propositio 19.

Illustrissime Domine, circumspice Religiosos Ordines, eumquè tuis & bonis, & nepote orna, quem præ cæteris videris proximè accedere ad Episcopalem statum, docẽdo, & prædicando, & alias Ecclesiasticas functiones obeundo, pro dilatanda diuina gloria, & S. Ecclesiæ incremento. 32

Propositio 20.

Religio quæ Episcoporum statui propinquior est, perfectior est. 34

Propositio 21.

Pondera, illum Ordinem, qui accedit proximè ad statum Episcoporum, accedere etiã proximè ad illum viuendi modum, quem Christus Dominus, & eius Apostoli sectati sunt, qui proculdubio fuit omnium perfectissimus. 41

Propositio 22.

In quo clare expressus est finis salutis animarum quamplurimarum. 46

Propositio 23.

Ord. Eccl. & eorum variæ functiones, per conciones, confessiones, lectiones, &c. 48

Propositio 24.

Perfectio vitæ Christi, & Apostolorum agnosci potest; tũ ex fine omniũ operũ eius, qui erat gloriã Dei dilatare, abstrahendo homines ab infidelitate, & falsa fide, ad rectã fidem, & à vita impia ad piam, & ita salutem eorum procurare. 51

Propositio 25.

Perfectio vitæ Christi, & Apostolorum agnosci potest, tum ex medijs quibus vsus est eum Apostolis ad salutem humanam procurandam, & fructum meritorum suorum ijs communicandum, scilicet per prædicationes, disputationes cum Phariseis, per Sacramenta, &c. 52

Pro-

Propositio 26.

Perfectio vitæ Christi, & Apostolorum agnosci potest, tum ex ratione vivendi, quæ in persona sui tenuit communem in victu, & vestitu cum honestis hominibus. ibid.

Propositio 27.

Christus rationem vivendi in persona sua tenuit communem. 54

Propositio 28.

Christus rationem vivendi in persona sua tenuit communem in victu, & vestitu cum honestis hominibus. 60

Propositio 29.

Christus rationem vivendi in persona sua tenuit communem in victu cum honestis hominibus. ibid.

Propositio 30.

Christus rationem vivendi in persona sua tenuit communem in vestitu cum honestis hominibus. 61

Propositio 31.

Vt ponderat S. Th. 3. p. q. 40. art. 2. vbi quærit. Virum Christus austeram vitam in hoc mundo ducere debuerit? Et respondet, conuenientissimum fuisse, vt se Christus in conuersatione hominibus conformaret, secundũ illud Apostoli ad Corinth. 9. Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifaciam: Ideoque congruum fuisse, vt Christus in cibo potuq; communiter se sicut alij haberet: Idque probat verbis Christus Matt. 11. Venit Ioannes non manducans, neque bibens. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt. Ecce homo vorax, & potator vini. 62

Propositio 32.

Ex quo loco colligunt alij SS. Patres, consultò instituisse Christum, vitam minus severam ac rigidam, quam Ioannem, vt facilius omnes lucri faceret. 63

Propositio 33.

Quemadmodum ait Chrysost. hom. 38. in Matthæum. 65

Propositio 34.

Illam ergo Religionem perfectissimam ne dubita, quæ est vitæ, & muneri Apostolico sim illima. 67

Propositio 35.

Illa Religio est perfectior aliis, quæ cæteris paribus, habet media efficaciora ad consecutionem eius finis, propter quem est instituta. 78

Propositio 36.

Illa Religio est perfectior, quæ, cæteris paribus, non tantùm efficaciora media habet ad suum finem perfectissimum, sed etiam plura talia, & magis ordinata. 79

Propositio 37.

Illa perfectior est Religio, quæ, cæteris paribus, habet auxilia plura, & meliora ad consequendũ finem suum, & mediorum suorum vsum in suo Ordine præscripta. 84

Propositio 38.

Illa Religio perfectior est, quæ cæteris paribus, pluribus & melioribus est fulta præsidijs, ad submouenda omnia impedimenta felici vsu modiorum ad sui finis consecutionem se se opponentia. 85

Propositio 39.

Illum ordinem, Illustrissime Domine, puta perfectiorem, qui, cæteris paribus, maiorem fructum in Ecclesia Dei fecit verbis, scriptis, factis, exemplis, &c. ibid.

Propositio 40.

Vnde sequitur, illam esse meliorem, quæ plures & meliores, & per plures vias ac modos, & pro pluribus locis ac personis, fructus edit, & per ipsos fructus tales a se editos, alios fructus nouos, & nouos in alijs multiplicat. 87

Propositio 41.

Quæ omnia sunt certissima signa summæ perfectionis. ibid.

Propositio 42.

Quæ sitá est non in verbis, & gestibus, sed in factis heroicis: quia vt ait S. Greg. Papa, Hom. 30. in Euangelia. Probatio dilectionis, exhibitio est operis. 85

Propositio 43.

Sicut plus donat ille, qui arborem fructiferam donat, quàm qui sola poma, ita & status, & persona, cæteris paribus, melior est, Deoq; magis grata, quæ non tantum fructum facit bonum, sed facit res fructiferas quamplurimas, ex quibus fructus innumeri, perpetua successione, & multiplicatione nascuntur. 90

Propositio 44.

Illa Religio est melior, quæ, cæteris paribus, habet & offert plures occasiones heroicas virtutum & laborum pro Dei gloria, siuè in iuuandis animabus per varios modos, siuè in tolerandis persecutionibus & aduersitatibus ob studia pietatis. ibid.

Propositio 45.

Ideò meritò S. Ioannes Climacus scribit gradu quarto. Noli citiùs currere, neque eleueris facilè, cum enarrari audis solitariorum Patrum vitas, tu enim protonarzyris militia incedis. 91

Propositio 46.

Hæc enim, quæ famam, & honorem ladunt, grauiora sunt viris honestis, & ingenuis, ipsa mortis acerbitate, quàm multi mallent subire, quàm famæ & honoris pati iacturam. 92

Propositio 47.

Quæ causa est, vt grauissimi quique Theologi & Iurisperiti expressè doceant, quibusdam in casibus sine vllo peccato posse occidi alterum ob defensionem honoris proprij, & ad euadendam aliquam contumeliam grauem, seu honoris iacturam. 93

Propositio 48.

Ideòque & S. Propheta Elias 3. Reg. 19. vers. 4. Optabat potius mortem, quàm molestias persecutionis, quam patiebatur à Iezabel. 94

Propositio 49.

Et Sanctus Paulus, ob labores vitæ Apostolicæ animarum causa susceptos, dicebat, Rom. 7. vers. 24. Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? 95

Propositio 50.

Et 1. Cor. 8. Non volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt taderet nos etiam viuere, 96

Propositio 51.

Vide mirum non est, quosdam multa passos pro Dei gloria, etiamsi morte naturali extincti sint, inter Martyres computatos. 97

Propositio 52.

Sic Ecclesia S. Marcellum Papam pro martyre colit 16. Ianuarij, S. Felicem, 14. Ianuarij, & S. Hyginum Papam 11. Ianuarij. 98

Propositio 53.

Et S. Lutgardis Virgo Ordinis Cistercienſis, ad æqualem gloriam cum S. Catharina Virgine & Martyre electa fuit, etsi sine ferro & sanguine obierit, teste Thoma Cantipratano, apud Surium, 16. Iunij. 100

Propositio 54.

Eandemque ob causam S. Damascenus in vita S. Barlaam, & Ioſaphat ſcriptum reliquit, Religiosos animo ac voluntate Martyres effectos, ea gloria, quam martyres obtinent, minimè carere, 101

Propositio 55.

Quod certè magis locum habet in ijs, qui iuxta signum bonorum a S. Bernardo traditum, plura quàm alij bona faciunt, & plura, quam alij mala patiuntur; & minores fauores, & laudes, & applausus humanos reportant. 102

Propositio 56.

Illas Religiones pluris facias, in quibus maius est Orationis studium, quam Psalmodia, 104

Propositio 57.

Proinde S. Thomas 2. 2. quæst. 91. art. 2. ad 3. ait nobiliorem esse modum prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam, & prædicationem, quam per cantum. 107

Propositio 58.

Et subdit: Ideò Diaconi, & Prælati, quibus competit per prædicationem & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus insistere; ne per hoc a maioribus retrahantur. S. Gregor. Papa lib. 4. Regum cap. 88. quod etiam positum est in Decret. Dist. 92. Con. in Sanct. Roman. Ecclesia, præsenti decreto constituto, vt in Sede hac Sacri Altaris ministri cantare non debeant. Et vt ibidem additur. Consuetudo est valde reprehensibilis, vt in Diaconatus ordine constituti, modulationi vocis inseruiant; quos ad prædicationis officium, & eleemosynarum

narum studium vacare congruebat, &c. Hæc S. Thomas. 109

Propositio 59.

Quòd si propter eleemosynas corporales Sacra Psalmodia debet omitti, multò magis propter spirituales, vti sunt, peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè consulere, consolari mœstos, Sacramenta administrare, libros pro defensione S. Ecclesiæ, & alios similes pro dilatanda Diuina gloria conscribere, &c. 111

Propositio 60.

Ideò illæ Religiones, cæteris paribus, præferendæ sunt alijs, quæ habent ex suo instituto maiorem rationem Prædicationis & Orationis, quàm Psalmodiæ. 126

Propositio 61.

Perfectionem Religionis non metiaris, Illustriss. Domine, ex vitæ austeritate externa. ibid.

Propositio 62.

Sed potissimùm ex dilectione Dei, quæ se prodit ampla & multiplici propagatione diuini cultus, & gloriæ, & multarum animarum salute. 132

Propositio 63.

Et laboribus difficilibus earum causa constanter, & perseueranter propter Deum susceptis, & inuicta virtute in occasionibus peccatorum declaratur. 133

Propositio 64.

Arctitudo obseruantiarum, inquit S. Thomas 2.2.qu. 188. art. 6. ad 3. non est illud, quod præcipuè in Religione commendatur, vt B. Antonius dicit, & ideò non est potior Religio ex hoc, quod habet arctiores obseruantias, sed ex hoc, quod ex maiori discretione sunt eius obseruantiæ ordinatæ ad finem Religionis. 134

Propositio 65.

Et 2. 2. qu. 184. art. 3. & lib. de Perfect. vitæ spiritualis cap. 2. idem S. Doctor ait. Primùm, & principaliter consistit spiritualis vitæ perfectio in dilectione Dei, secundariò in proximi dilectione. 135

Propositio 66.

Caue, inquit S. Hieronymus Epist. 41. ad Celantiam, cap. 6. ne si iciunare, aut abstinere caperis, te putes esse iam sanctam: hæc enim virtus, adiumentum est, non perfectio sanctitatis. ibid.

Propositio 67.

Hinc S. Franciscus teste S. Bonauentura eius vitæ cap. 6. sæpè dicebat Fratribus. De omni eo quod peccator potest, nemò sibi debet iniquo applausu blandiri: peccator, ait, ieiunare potest, orare, plangere, carnemque propriam macerare, hoc solùm non potest, Domino scilicet suo esse fidelis. 136

Propositio 68.

Hinc in libro octauo in vitis Patrum apud Rosueydum. cap. 63. Oranti B. Paphnutio Abbati, qui in summa vitæ austeritate, & multò maiore, quam nunc in vllo Religioso Ordine seruetur, vitam Eremiticam sectabatur, separatus à consortio hominum,

diuinitùs reuelatum est, cum non excessisse perfectionem cuiusdam in Ciuitate tibicinis, qui non ita pridem vacabat latrocinijs, ebrietati, & scortationi. Cùm autem accuratè examinaretur, quidnam vnquam ab eo rectè gestum esset: hoc solùm inuenit; quòd cùm aliquando latronis vitam ageret, Christi Virginem, cui erat à latronibus vitium afferendum, liberauit, & alteri formosæ mulieri errantí in solitudine vim non intulerit, sed trecentis aureis donatam dimiserit, vt maritum cum liberis, ob debita in carcerem coniectum liberaret. ibid.

Propositio 69.

Si ergo hominem tam antè malum opera charitatis pauca æquarunt meritis tam Sancti Eremitæ, in summo rigore ieiuniorum, & paupertatis, alijsq; carnis macerationibus vitam traducenti, quanto maiorem meritorum cumulum parient innumera opera charitatis spiritualis, &c. 138

Propositio 70.

Etsi vitæ externa asperitate cæteris non antecellant. 139

Propositio 71.

Meritò itaque S. Anselmus explicans illud Apostoli 1. Tim. 4. Exercitatio corporalis ad modicum; pietas autem ad omnia. 145

Propositio 72.

Per excitationem corporalem, intelligens cum S. Ambrosio, S. Bernardo, & Thoma, corporis afflictionem, & castigationem. Corporalis, inquit, exercitatio quæ est in ieiunijs, vigilijs, labore manuum, ac multimoda corporis afflictione, parum vtilitatis habet, respectu magnæ vtilitatis, quam habet pietas Religiosæ mentis. Exercete ad pietatem, id est, ad compassionem proximorum, & ad opera misericordiæ. Nã vt ait S. Augustinus epist. 52. Pietas est verax Dei cultus, vnde omnia rectè viuendi ducuntur officia. 146

Propositio 73.

Quem locum explanans S. Thom. in Comment. Exercitatio, inquit, ieiunij & huiusmodi, in sua natura non sunt bona, sed pœnalia, & si homo non peccasset, nihil horum fuisset, sed sunt bona medicinalia, in quantum reprimunt concupiscentias. Ergo ad istud modicum sunt vtilia, quia tantùm ad morbum peccati carnalis, non spiritualis: quia aliquando propter abstinentiam, homo in iracundiam, inanem gloriam, & huiusmodi incurrit. Præfert ergo abstinentiæ pietatem; & accipitur hic vtroque modo pro cultu Dei, & misericordia. 148

Propositio 74.

Sed præclarè admodum S. Bernardus eundem Apostoli locum eodem sensu intelligens, Apologia ad Gulielmum Abbatem, eos Religiosos perstringit, qui ieiunijs maioribus addicti, & abstinentijs, vilique & attrita tunica induti, detrahebant alijs Religiosis, quòd vterentur melioribus vestibus, ac pellibus, & carnibus vescerentur, & tria, vel quatuor pulmentaria vno die admitterent. 150

Pro-

Propositio 75.

Et hos etsi pro delicatulis habitos, ijs longè anteponit. 152

Propositio 76.

Attendite, inquit, in regulam Dei, cui vtique non dissonat institutio S. Benedicti. Regnum Dei intrà vos est. (Luc. 17.) hoc est, non exterius in vestimentis, aut alimentis corporis, sed in virtutibus interioris hominis. Vndè Apostolus (Rom. 14.) Regnum Dei non est esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. De corporalibus itaque obseruantijs fratribus calumniam struitis, & quæ maiora sunt Regulæ, spiritualia instituta relinquitis. Magna abusio. Tunicati & elati, abhorremus pelliceas. Tanquam non melior sit pellibus inuoluta humilitas, quàm tunicata superbia. Repleti deinde ventre saba, mente superbia, cibis damnamus saginatos: quasi non meliùs sit exiguo saginine ad vsum vescij, quàm ventoso legumine vsque ad ructum exsaturari: & præcipuè cùm Esau, non de carne, sed de lente sit reprehensus, & de ligno Adam, non de carne damnatus: è contra verò Elias innoxiè carnem comederit 3. Reg. 17. vers. 6. Abrahã gratissimè carnibus Angelos pauerit Gen. 18. de ipsis sua fieri sacrificia Deus præceperit. Et infrà. Quantò Spiritus corpore melior est; tantò spiritualis, quàm corporalis exercitatio fructuosior. Tu ergo cùm de horum obseruatione elatus, alijs eadem non obseruantibus derogas, non te magis transgredi Regulæ indicas? cuius licet minima quædam teneas, meliora deuitas: de quibus Paulus æmulamini, ait, charismata meliora. Detrahendo quippè fratribus, in quo temetipsum extollis, perdis humilitatem: in quo alios deprimis, charitatem; quæ sunt charismata meliora. Tu si tuum corpus multis ac nimijs laboribus atteris, ac regularibus asperitatibus mortificas membra tua, benè facis. Sed quid si ille, quem similiter non laborãtem dijudicas, modicum quidem habeat de hac, quæ ad modicum vtilis, corporali videlicet exercitatione; amplius autem, quàm tu de illa quæ ad omnia valet, ideſt, pietate, &c. 152

Propositio 77.

Quod vsque adeò verum est, vt idem S. Bernardus serm. 12. in Cantica. Prælatos seculares Ecclesiæ viles, leuibus aliquibus defectibus obnoxios, anteponat Religiosis solitarijs, & si a vulgo habitis pro perfectioribus. Inhumanè, inquit, eorum redarguis opera, quorum onera refugis. Dico enim si is qui è Claustro est, eis qui versatur in populo, interdùm minus districtè minusue circumspectè se se agere deprehenderit, v. g. in cibo, in somno, in risu, in ira, in iudicio, non ad iudicandum confestim resiliat, sed memmerit scriptum Eccles. 42. Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier. Nam tu quidem in tui custodia vigilans; benè facis, sed qui iuuat multos, meliùs facit, & virilius. Quod si implere non sufficit absq; aliqua iniquitate, ideſt, absque quadam inæqualitate vitæ, & conuersationis suæ, memento, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Iacob. 5. 165

Pro-

Propositio 78.

Sicut vita austeritas, etsi bona, & vtilis, non est id, ex quo perfectio Religiosæ vitæ agnoscenda est. 167

Propositio 79.

Id ex quo perfectio Religiosæ vitæ agnoscenda est, non est paupertas. 168

Propositio 80.

Id expressè docet S. Thomas 2.2.q.88. art. 7. vbi quærit. Virum habere aliquid in communi, diminuat perfectionem Religionis? Et respondet: perfectionem nō consistere essentialiter in paupertate, sed in Christi sequela: secundùm illud Hieronymi, super Matt. cap. 19. Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, &c. 177

Propositio 81.

Vndè in Collationib. Patrū, Collat. 1. cap. 1. Abbas Moyses dicit Nuditas ac priuatio omnium facultatum. non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt. 180

Propositio 82.

Et in respōsione ad 3. Paupertatē, ait, esse minimū inter instrumēta perfectionis. ibid.

Propositio 83.

Præterea docet, ideò paupertatem esse in Religionibus seruandam, ne per solicitudinem circa res temporales, quæ diuitias comitari solet in sæcularibus, Religiosi retrahātur a pijs suæ Religionis operibus. Cùm ergò in quibusdam Religionibus ad Ecclesiæ vilitatem institutis, ipsa solicitudo quærendi necessaria pro templi ornatu, & vsu, pro victu, & vestitu, pro viaticis, pro suppellectili, & alijs domesticis necessitatibus, magis impediat procurationem alienæ salutis, diuinæq; gloriæ propagationem, quàm solicitudo vnius Oeconomi, vel Patrisfamilias, aut superioris Religionū, circa conseruationem, & defensionem rerum immobilium, vel mobilium Religionis, &c. 181

Propositio 84.

Ideò præcipui Religionum a Sancta Sede Apostolica confirmatarum, & commendatarum Fundatores, Basilius, Augustinus, Benedictus, Bruno, Bernardus, Ignatius, & c. diuinitùs illustrati, certos suis Religiosis permiserunt reditus. 189

Propositio 85.

Vt ita liberi à quærendis eleemosynis, melius & Deo, & sibi, & proximis vacare possent. 191

Propositio 86.

Liberiùs; errantes corrigere, quod facere non ita auderent, si ab eis quærenda essent subsidia temporalia; timerent enim benefactores offendere, corrigendo eorum vitia: quia veritas odium parit. 194

Propositio 87.

Quam etiam ob causam & S. Teresia Fundatrix Discalceatorum, quemadmodum scribit Didacus Iepesius Archiepiscopus Turiasonensis in eius vita, etsi quadam Monasteria absq; vllis reditibus Deo reuelante fundauerit, postea tamen experien-

vientia subsequente edocta distrahi animos procuratione eleemosynarum, quadam alia Monasteria, eodem Deo Magistro erexit, dotata reditibus: vt sine solicitudine conquirendarum eleemosynarum, & ea quæ illam comitatur distractione, Monialès Deo, rebusque diuinis magis vacarent. 199

Propositio 88.

Eandem ob causam inter quatuor monita sibi a Deo reuelata, pro conseruatione suorum Monasteriorum scriptum reliquit in libro Fundationum cap. 31. Vt quamuis Discalceati haberent plura Monasteria, in quolibet tamen pauci habitarent: pro multis enim eleemosyna, cum magna distractione, & solicitudine corrogari solet, & vt parum cum sæcularibus tractarent, & illud modicum pro bono animarum sæcularium: & vt magis docerent operibus, quàm verbis. 202

Propositio 89.

Ideò nonnullis Religionibus bona immobilia & mobilia necessaria sunt, vt eorum honesto, & moderato vsu vires corporis foueant, & sine solicitudine conquirendi necessaria, pro victu, & vestitu, alijsque rebus, toti se se impendant procurandæ alienæ saluti, diuinæque gloriæ amplificandæ. 205

Propositio 90.

Et hoc Dominus, inquit S. Thomas loco citato, paupertatis institutor docuit suo exemplo. Habebat enim loculos Iudæ commissos, in quibus recondebantur ei oblata, vt habetur Ioannis 12. 214

Propositio 91.

Et discipuli eius post eius resurrectionem, a quibus omnis Religio sumpsit originem, pretia prædiorũ conseruabant, & distribuebant illi, prout vnicuique opus erat. 219

Propositio 92.

Quin etiam si Apostoli vni loco, vti nunc Religiosorum Monasteria, fuissent adstricti, nec in ea suorum paucitate debuissent circuire tot mundi regiones, proculdubio stabiles & certos reditus acceptassent. 223

Propositio 93.

Vti postea dilatata Ecclesia, & pastoribus animarum multiplicatis, ac ad certa loca addictis, acceptarunt Episcopi, aliique Ecclesiastici. 235

Propositio 94.

Non obest ergo perfectioni Religiosæ possessio bonorum temporalium benè distributorum; sed vel malus, & superfluus eorum vsus, vel nimius erga illa affectus; quorum virumque præscindit in ordinatis Religionibus, & votum Paupertatis, & regularis disciplina. 237

Propositio 95.

Commendat & hoc perfectionem Religiosi Ordinis, si cæteris paribus, ex instituto suo occupet se pro Deo in arduis & difficilioribus, quàm alij. Hanc ob causam S. Th. 1. p. q. 95. art. 4. ad 2. ait. Opus difficilius ex parte obiecti esse magis meritorium. Vnusquisque enim mercedem percipiet secundùm suum laborem. 1. Cor. 3.

Maior autem est labor, vbi est res difficilior, quæ pro Deo perficitur. 240

Propositio 96.

Attende etiam ad hoc, Illustrissime Domine, vt eam Religionem tuo Nepoti commendes præ cæteris, in qua cum Regularum obseruantia vides maiorem concordiam, & domesticam vnionem, præsertim in magna dissimilitudine graduum, & nationum varietate simul cohabitantium. 242

Propositio 97.

Quæ tantoperè est Deo grata, vt S. Macario Abbati, etsi vitam ducenti in Eremo solitariam, in perpetuis ieiunijs, & carnis macerationibus multò maioribus, quàm hoc nostro sæculo vigeat in vlla Religione, etiam Eremitica; & assiduè rerum diuinarum contemplationi dedito, Deus prætulerit duas fœminas coniugatas rei vxoriæ vacantes; quæ tamen nil præ cæteris habebāt, quàm quod per annos quindecim in domo vna pariter manentes, nec turpe verbum altera dixisset ad alterā, nec litem mouisset, sed in pace vixissent, & a sæcularibus verbis abstinere ad mortem decreuissent, cum desiderio vitæ Monasticæ, si id per maritos earum aliquando liceret. 243

Propositio 98.

Et hæc vt opinor sufficiunt, Illustrissime Domine, ad adferendam tibi certam lucem, pro vtroque desiderio tuo. 244

Propositio 99.

Vnum restat, vt te excitem ad aperiendam liberaliter manum, & cum bonis, ac Nepote tuo cor ipsum tuum. ibid.

Propositio 100.

Vnum denique addo, id vt Nepoti tuo inculces seriò, ne à sancto vitæ arctioris desiderio resiliat, tùm alias ob causas, tùm ne vitæ æternæ iacturam patiatur. 246

CEN-

CENTVM PROPOSITIONES SELECTÆ

EX THEOLOGI CVIVSDAM EPISTOLA ad quendam Magnatem scire cupientem, quomodo posset distribuere bona sua temporalia ad pios vsus, cum vtilitate, quàm maxima animæ suæ;

Et cui ordini Regulari vnum è nepotibus suis vitæ Religiosæ desiderio captum deberet addicere, hoc libro examinatæ.

PROPOSITIO PRIMA.

Generalia tradam monita desumpta ex certa Sanctorum Patrum, & Theologorum doctrina.

SPECIOSA quidem, sed haud fidelis Authoris promissio, si ea spectentur, quæ in Epistola tradit, vel malè ex Sanctorum Patrum, & Theologorum dictis concludendo, vel male eorum dicta referendo. Suam enim pro Sanctorum Patrum, & Theologorum doctrina obtrudit friuolam, atque in ipsos, & Theologos, & Sanctos Patres iniuriosam, atque contumelios am. Et certam vocat doctrinam, quæ falsa, ac ne quidem probabilis est, vt cuilibet simplici etiam inspectione patebit, nosque, vt errores euitentur, & Deus veritatis per veritatem laudetur, aperiemus.

PROPOSITIO II.

Vt autem cognoscas sine errore, quibus in rebus sita sit ista Dei, quàm maxima gloria, quam propagare per tuas facultates, & nepotem tuum vis, & debes, hæc diligenter considera.

IMO si rectè, ac diligenter considerentur, quæ Author in epistola tradit, errorem, ac tenebras effundunt circa iudicium, quibus in rebus sita sit ista, quàm maxima gloria Dei, quàm Illustrissimus, ad quem Author scribit, per suas facultates, suumque Nepotem vult, ac debet, vt Autor loquitur propagare.

PROPOSITIO III.

Vndè sequitur, illum magis glorificare Deum, sibiquè magnos meritorum, & gloriæ gradus conciliare, qui ad ea opera, & personas res suas deriuat, à quibus maiora, & plura præterita extirpantur, & purgantur peccata, ac futura impediuntur.

NON inficior quin ille multùm glorificet Deum, sibiquè magnos meritorum, & gloriæ gradus conciliet, qui ad ea opera, & personas res suas deriuat, à quibus maiora, & plura præterita extirpantur, & purgantur peccata, ac futura impediuntur. Inficior tamen, quod insuper Author addit, hunc magis glorificare Deum, maioresq; meritorum, & gloriæ gradus sibi conciliare. Imò magis ille glorificat Deum, & maiorem sibi meritorum, & gloriæ cumulum parat, qui res suas deriuat ad personas perfectiores, quæuè, cum in se ipsis perfectæ sint, non modò aliorum peccata præterita purgant, & extirpant, futuraq; impediunt; verum etiam alios perficiunt, quod perfectorum tantum est. Magis enim glorificat Deum ille, qui vnum perfectum facit, quàm qui multos conuertit, qui postmodum sunt tepidi, etiamsi abstineant à peccatis mortalibus; quia maior gloria Deo resultat ex vno iusto perfecto, quàm ex multis alijs iustis communibus,

sicù

seù imperfectis. Nàm sicut pictor maiorem sibi gloriam parat ex vna pulcherrima effigie, quam summa industria elaborauit, quàm ex multis imaginibus imperfectis, quas veluti ludendo, aut somniando depinxit: ità vniuersorum Creator Deus cumulatiorem gloriam, & laudem ex vno Francisco, aut Dominico, quàm ex multis iustis tepidis, & imperfectis decerpit. In istis enim Imago Dei in vera virtute constituta, & ab ipso Deo delineata, licèt non effictoris culpa, obscura est, & mille imperfectionum liturís fædata; quare parum sapientiam Artificis prædicat: at in viro perfecto imago, ac similitudo Dei est valdè pulchra, atquè perfecta, & tanto splendore circundata, vt aspicientes in maximam admirationem rapiat, & ad eximias laudes Artifici referendas alliciat. Insinuatur id in Scriptura Diuina. Exodi enim 3. habetur. *Dixit Deus ad Moysen: hæc dices filijs Israel. Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem.* Dubium tamen non est, ab Abraham, vsque ad Moysen hoc est trecentis eoque amplius annis, plurimos homines inter filios Israel in gratia Dei vixisse, & diem extremum clausisse: horum tamen Deus mentionem non fecit. Moysi quoque Exodi 32. dixit Dominus: *Dimitte me, vt irascatur furor meus.* Cum tamen in tanta populi Dei multitudine fuerint aliqui immunes à peccato lethali, & in gratia Dei viuerent, sed eorum oratio non erat adeò efficax. Sanctus quoq; Elias 3. Reg. 18. dixit ad Populum: *Ego remansi Propheta Domini solus.* Tamen eodem capite dicitur: *Abdias timebat Dominum valdè. Nàm cum interficeret Iezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, & abscondit eos quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & pauit eos pane, & aqua.* Et rursum 3. Reg. cap. 19. Dixit Elias: *Derelictus sum ego solus.* Et tamen eodem cap. dixit Dominus: *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal, & omne os, quod non adorauit eum osculans manus.* Magis ergo æstimat Deus vnum Iustum perfectum, quàm multos iustos imperfectos. Quod etiam ratio Theologica suadet. Magis enim diligit Deus eum, qui v. g. habet centum gradus gratiæ, quàm viginti alios, quorum vnusquisq; habet tantum quatuor gradus gratiæ, & omnes simul tantum octuaginta: nàm gratia in nobis est effectus dilectionis, quæ est in Deo. Quod si verum est, vtique magis glorificabit Deum, qui suo modo faciet vnum Iustum perfectum, quàm qui multos Iustos imperfectos. Id ipsum colligitur ex S. Thoma, (cuius doctrinæ subscripsit Author) 2. 2. q. 182. art. 2. in quo quærit *Vtrum vita actiua sit maioris meriti, quàm contemplatiua?* Et tertio loco obijcit sibi tale argumentum: *Gregorius dicit super Ezechielem, quod nullum sacrificium est Deo magis acceptum,*

quàm zelus animarum: sed per zelum animarum aliquis se conuertit ad studia vitæ actiuæ. Ergo videtur, quod vita contemplatiua non sit maioris meriti, quàm actiua. Ad id respondet his verbis: *Ad tertium dicendum. Quod sacrificium spiritualiter Deo offertur, cum aliquid ei exhibetur. Inter omnia autem bona hominis, Deus maximè acceptat bonum humanæ animæ, vt hoc sibi in sacrificium offeratur. Offerre autem debet aliquis Deo primò quidem animam suam; secundùm illud Eccles. 30. Miserere animæ tuæ placens Deo. Secundò autem animas aliorum; secundùm illud Apocal. vltimo, Qui audit, dicat, veni. Quamò autem homo animam suam, vel alterius propinquius Deo coniungit, tantò sacrificium est Deo magis acceptum. Vnde magis acceptum est Deo, quod aliquis animam suam, & aliorum applicet contemplationi, quàm actioni. Per hoc ergo, quod dicitur, quod nullum sacrificium est Deo magis acceptum, quàm zelus animarum, non præfertur meritum vitæ actiuæ merito vitæ contemplatiuæ, sed ostenditur magis esse meritorium, si quis offerat Deo animam suam, & aliorum, quam quæcunque alia exteriora dona.* Hæc S. Thomas. Certum est autem, quòd qui alios applicat purgationi peccatorum, quod eos applicat actioni, quia secundum doctrinam Theologorum purgatio peccatorum pertinet ad vitam actiuam: & qui alios applicat contemplationi, applicat perfectioni, vel saltem profectui insigni, quia contemplatio supponit animum purgatum. Quod si magis est acceptum Deo secundum S. Tho. quod aliquis applicet alios contemplationi, quàm actioni; vtique magis erit acceptum Deo, quod aliquis applicet alios perfectioni, quàm conuersioni.

PROPOSITIO IV.

Vndè sequitur, te tunc valdè glorificaturum Deum, & tuæ animæ consulturum, si tua bona, & nepotem tuum direxeris ad tales personas, & talia pia opera, ex quibus in Ecclesia Dei oritur maior frequentia, & excellentia, tùm piorum operum, tùm hominum meliorum.

ACCEDIT propius ad veritatem Author in hac propositione, inquiens Illustrissimum valdè glorificaturum Deum, si sua bona, & Nepotem direxerit ad tales personas, & talia opera pia, ex quibus in Ecclesia Dei oritur maior excellentia, tùm piorum operum, tùm hominum meliorum. Cæterùm tales personæ, & talia pia opera non sunt, vt Author censuit in superiori propositione, illi à quibus maiora,

&

& plura purgantur, & extirpantur præterita peccata, & futura impediuntur; sed sunt Christianæ perfectionis opera, piumq; alios perficiendi studium, & exercitium, & personæ propriæ perfectioni aliisquè perficiendis operam nauantes. Quapropter gratis dicit se hanc propositionem ex superiore accipere, & gratis etiam eam assumit, cum nec suum propositum ex ea concludat, aut concludi possit. Inepte etiam in hac propositione cum excellentia piorum operum, & hominum meliorum, frequentiam connectit: excellentia enim pauciſſimorum est, non tantum in vno aliquo tempore, sed respectu omnis temporis, & conferendo eos, non cum omnibus reprobis, & imperfectis omninò: sed etiam cum illis solis, qui terrenis rebus deprectis, assequendæ perfectioni insistunt. S. Cyprianus, lib. de operibus Chri. Serm. de Ieiunio asserit, *pauciſſimos adsoluè Sanctos, sicut Moyses, Noe, &c.* ac proindè, & perfectos, idem enim sunt. Et S. Augustinus. *Perfectionem vult paucorum esse, imperfectorum verò infinitum esse numerum.* Cassianus etiam Collat. 19. cap. 9. ait: *raram esse perfectionem, & pauciſſimis Dei dono concesam.* Alphonsus quoque Tostatus q. 5. in cap. 4. Matt. ponit vt certum *in pauciſſimis esse perfectionem*; & propterea monet. *Prædicatori Religioso moderate esse conuersandum cum hominibus, ne mores populi imbibat, & imperfectiones.* Rara igitur est perfectio in Mundo, quod ipsa experientia docet. *Paucos esse electos* asseruit veritas, Matthæi 22. Pauciores ergo erunt perfecti, nàm non quiuis electus est perfectus.

PROPOSITIO V.

Ad quod conducit multitudo & mediorum, & modorum, ac efficacitas eorum ad talem pietatem personarum, & operum in Ecclesia Dei excitandam, propagandam, & dilatandam.

MIRVM est, quod Author inter tot conducentia incumbentibus saluti animarum, quorum sparsim meminit in ista Epistola, non inculcet sæpius præcipuam conditionem requisitam, quæ est, vt ministri Euangelij sint primò in seipsis perfecti. Prima enim proprietas sustinentis officium prædicationis est vt sit perfectus. Calamus namquè malè temperatus, pulchros characteres nõ exarat; gladius obtusus, & rubigine sordescens, non secat; aratrum confractum, minimè terram proscindit; & homo imperfectus vitijs corruptus, prauis affectibus

tibus fractus, siniſtra intentione ſuperatus, opera omnibus partibus abſoluta non perficit. Idcircò Dominus ad Phariſæos, ait: *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui cùm ſitis mali; ex abundantia enim cordis os loquitur.* Hac oratione docens, malitiam cordis verba noxia profundere, & peſſimorum Patrum progenies non diſſimiles, & odij paſſione victas, non poſſe quod bonum eſt loqui. Et rurſus: *Bonus homo, de bono theſauro profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala.* Ex quo non ineptè conſequitur Religioſum tepidum, ac imperfectum de theſauro cordis ſui prolaturum opera tepida, & imperfecta. Neceſſe eſt ergo Prædicatorem eſſe perfectum.

PROPOSITIO VI.

Ille maximè glorificat Deum, & animam ſuam ſpiritualiter ditat, qui cauſa eſt contrariorum effectuum bonorum ſiuè per diſpenſationem ſuarum temporalium facultatum, ſiuè alio modo.

ISTVD quoque mirabile eſt, quod Theologus aſſerit, ad maximam gloriam Dei ſpectare, eſſe cauſam frequentiæ, & excellentiæ operum, & hominum meliorum, per diſpenſationem bonorum temporalium: quaſi bona temporalia viris diſpenſata, debeant eſſe cauſa perfectionis in eiſdem Religioſis, & ex eis oriri debeat maior frequentia, & operum, & hominum meliorum. Imò verò Religioſi deberent ſibi cauere à bonis temporalibus. Quoniam (vt Bernardus ait) *Hæc fugiendarum diuitiarum cauſa præcipua eſt, quod aut vix, aut nunquam ſine amore valeant poſſideri. Limoſa ſiquidem, & glutinoſa nimis non modò exterior, verùm etiam interior ſubſtantia noſtra videtur, & facilè cor humanum omnibus, quæ frequentat adhæret.* Quod etiam docet S. Thom. vt poſteà videbitur. Quod ſi de nepote agitur, incertum an etiam Religioni tali, qualem depingit Theologus, adſcriptus, aptus erit, vel ineptus; an ex numero paucorum perfectorum futurus, vel ex grege imperfectorum, proderit an oberit ſini intento.

PRO-

PROPOSITIO VII.

Considera Illustriss Domine inter opera pia, & personas Religiosas, à quibus glorificatur Deus, per illas glorificari magis, in quibus magis resplendet Dei dilectio, & proximi propter Deum.

HÆC propositio ambigua est, & insufficiens; Vel enim sensus est, quod in quibusdam Religionibus magis resplendet Dei dilectio, & proximi propter Deum, secundùm statum, quasi vna Religio secundùm statum obligetur ad maiorem dilectionem Dei, & proximi propter Deum, quàm alia: & hic sensus est falsus, vt posteà patebit. Vel est sensus, quod in quibusdam Religionibus secundùm actum magis resplendet Dei dilectio, & proximi propter Deum: & tunc adhuc distinguendum est. Non enim omnis Dei dilectio, & proximi propter Deum, est perfectio, sed est quædam Dei dilectio, & proximi propter Deum, quæ reuera non est perfectio. Aut enim charitas Theologica sumitur afficiens, aut efficiens; perfectio non consistit in charitate afficiente, sed efficiente. Rursum charitas Theologica efficiens, aut sumitur nudè, aut certè, vt simul connotat priuationem inordinationis passionum peccatorum, aut vitiorum, & pro virili virtutum omnium acquisitionem: & in tali charitate consistit perfectio, vt SS. Patres, & Theologi Scholastici, & Magistri spirituales docent. Sic ergo limitanda est Propositio inducta. Ab illis personis Religiosis magis glorificatur Deus, in quibus magis resplendet secundum actum dilectio Dei, & proximi propter Deum, quæ est perfectio, scilicèt charitas Theologica, quæ in quocunq; gradu intensionis, in tali tamen statu, ac termino est, vt ablata inordinatione passionum, cupiditate, & vitijs, faciat expeditum hominem, ad vsum suarum functionum, & exercitium omnium virtutum.

PROPOSITIO VIII.

Vndè sequitur per opera virtutis Religionis, vti sunt Psalmodiæ non ita glorificari Deum, & animam ditari, atq; ditatur per opera dilectionis Dei, & proximi propter Deum.

HÆC propositio est friuola, & deceptoria. Supponit enim, quod opera virtutis Religionis non sint opera dilectionis Dei, & proximi

ximi propter Deum: quod falsum est de operibus virtutis Religionis infusæ: iam quod secundùm Theologos virtus Religionis, alia est infusa, alia acquisita. Vt autem magis deceptio appareat, notandum est pro simili, quod S. Thom. 2. 2. q. 27. art. 8. docet, vbi quærit: *vtrum sit magis meritorium diligere proximum, quam diligere Deum?* Et respondet dicendo, *quod comparatio ista potest intelligi dupliciter. Vno modo, vt seorsim consideretur vtraque dilectio: & tunc non est dubium, quod dilectio Dei est magis meritoria. Debetur enim ei merces propter se ipsam, quia vltima merces est frui Deo, in quem tendit diuinæ dilectionis motus. Vnde & diligenti Deum merces promittitur. Ioan. 14. Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, & manifestabo ei me ipsum. Alio modo potest attendi ipsa comparatio, vt dilectio Dei accipiatur secundum, quod solus Deus diligitur: Dilectio autem proximi accipiatur secundùm, quod proximus diligitur propter Deum. Et sic dilectio proximi includit dilectionem Dei; sed dilectio Dei non includit dilectionem proximi. Vndè erit comparatio dilectionis Dei perfectæ, quæ extendit se etiam ad proximum, ad dilectionem Dei insufficientem, & imperfectam: quia hoc mandatum habemus a Deo, vt qui diligit Deum, diligat, & fratrem suum; & in hoc sensu dilectio proximi præeminet.* Hæc S. Thomas.

Quæ doctrina potest subseruire etiam in proposito. Comparatio enim inter virtutem Religionis infusam, & inter virtutem charitatis potest intelligi dupliciter. Vno modo, vt seorsim consideretur vtraque virtus; & tunc non est dubium, quod dilectio Dei, & proximi propter Deum est magis meritoria. Alio modo potest attendi ipsa comparatio, vt dilectio Dei, & proximi propter Deum accipiatur secundum, quod tantùm diligitur Deus, & proximus propter Deum; Virtus autem Religionis infusa accipiatur secundum, quòd vtitur motiuo dilectionis Dei, & proximi propter Deum, siuè secundùm, quod informatur charitate, quia charitas Theologica est forma omnium virtutum infusarum, & S. Thom. 2. 2. q. 81. art. 5. ad 1. ait. *Virtutes Theologicæ, scilicet, fides, spes, & charitas habent actum circa Deum, sicut circa proprium obiectum. Et ideò suo Imperio causant actum Religionis, quæ operatur quædam in ordine ad Deum.* Quod etiam repetit q. 82. art. 2. ad 1. *quod*, inquit, *homo tradat se ipsum Deo ad aliqua opera diuini cultus, hoc immediatè pertinet ad Religionem: mediatè autem ad charitatem, quæ est Religionis principium*, & sic opera Religionis non solùm sunt virtutis Religionis, sed etiam dilectionis Dei, & proximi propter Deum, nimirum quatenus fiunt ex affectu impetrandi proximo salutem, & quæ ad salutem spectant, vel etiam quatenus fiunt in satisfactionem pro peccatis proximorum. Et sic Author male distinxit opera virtutis Religionis, vti sunt psalmodiæ, contra opera dilectionis Dei, & proximi propter Deum.

Est quoque propositio prædicta contumeliosa in Religiones, in quibus

bus exercentur psalmodiæ, eò quod supponit, à viris Religiosis ita exerceri psalmodias, quod hæ psalmodiæ non sint opera dilectionis Dei, & proximi propter Deum. Magis autem debuisset dicere Theologus: non ita glorificari Deum, & animam dicari per opera dilectionis Dei, & proximi propter Deum ex parte vna: quàm ex alia parte simul & per opera dilectionis Dei, & proximi propter Deum, & per opera virtutis Religionis infusæ, vt sunt psalmodiæ. Cæteris enim paribus per opera plurium virtutum infusarum magis glorificatur Deus, quàm per opera vnius virtutis. Magis ergo glorificatur Deus per opera dilectionis Dei, & proximi propter Deum simul, & per opera virtutis Religionis infusæ, quàm per opera solius dilectionis Dei, & proximi propter Deum.

Præterea vt res fiat euidentior, & magis, ac magis Authorem vrgeamus, distinguendum est de operibus dilectionis Dei, & proximi propter Deum. Quædam enim sunt opera dilectionis vt elicientis, cuiusmodi est ipse amor Dei, & proximi propter Deum. Quædam sunt opera dilectionis tantum imperantis. Quo pacto dilectionis Dei, & proximi propter Deum opera sunt omnium etiam virtutũ opera, quod Apostolus significat in Epist. ad Cor. omnium virtutum opera charitati tribuens: *Charitas enim*, inquit, *patiens est, omnia credit, omnia sustinet, omnia sperat*. Iam perconctor ab Authore; cum opera dilectionis Dei, & proximi propter Deum psalmodiæ præfers, de quibusnam dilectionis operibus loqueris? De operibus dilectionis elicientis, an imperantis? Si de operibus dilectionis elicientis, fateor ea esse præferenda, quia nimirum eliciuntur à charitate, quæ est maxima omnium virtutum. Verumtamen hoc ad rem tuam non facit, quia de ipso actu, seù affectu amoris, qui est actus dilectionis elicientis nusquam loqueris in hac epistola, nunquam te ex illo præfers alijs omnibus Religiosis: sed ex doctrina, & prædicatione, quæ opus sunt dilectionis non elicientis, sed imperantis. At cum etiam psalmodia sit opus dilectionis imperantis, & quidem dilectionis tum Dei, tum etiam proximi propter Deũ, quomodo opera dilectionis Dei, & proximi propter Deum, dilectionis inquam imperantis, ex hoc ipso quod opera dilectionis sunt, psalmodiæ præfers, teque ex illis omnibus alijs Religiosis, non secus, ac si Petro, qui homo est, Paulum quia homo est præferres absurdissimè? Paulus enim, quia homo est equo, & leoni, qui homines non sunt; non Petro, qui etiam, non secus ac Paulus, homo est, præferri potest. Rursus diuinas promere laudes ad Christianam pietatem, & perfectionẽ maximè spectat, *memoriam enim abundantiæ suauitatis diuinæ eructant* Christiani, & Sancti Religiosi, & diuina Iustitia exultant, cum diuinis laudi-

bus per psalmodiam vacant; in quibus adeo assidui, & continui, & perpetes antiquitus erant Christiani, quod Auerroes cum alijs gentilibus diceret. Nihil aliud mali agunt Christiani, nisi quod Deum suũ Crucifixum, die, ac noctu laudant. Non ergo facilè alia dilectionis opera psalmodiæ præferenda sunt.

Insuper licèt omnium virtutum actibus commune sit à charitate imperari; id tamen conuenientissimum præ cæteris est actibus virtutis Religionis, vt indicauit S. Thomas 2. 2. q. 81. & 82. initio contra hãc octauam propositionem citatis, nimirum quia charitas cum sit circa Deum vt proprium obiectum, & Religio sit circa cultum Dei, *Charitas* consequenter *est Religionis principium*, idque perspicuum est inter omnes Religionis actus, potissimum in psalmodia siue ea consideretur vt laus diuina, siue vt oratio, seù deprecatio pro nostra, & proximorum salute, & eorum, quæ ad salutem spectant. Mens enim diuino amore æstuans mox in diuinas laudes prorumpit. Vndè Apostoli statim atque repleti sunt Spiritu sancto, *cœperunt loqui magnalia Dei*; ideòque Spiritus sanctus in igneis linguis apparuit; quorum enim corda igne diuini amoris ardescunt, eorum linguæ protinus in Dei laudes laxantur. Quare Spiritus sanctus, vbi cor Zachariæ implesset, os eius clausum ferre minimè potuit: sed mox ad diuinas præmendas laudes aperuit. Et quid obsecro pro nostra, aliorumq; salute, & eorum quæ ad salutem spectant orare nos facit, nisi nostræ salutis amor, seù charitas, qua nos ipsos, & proximos propter Deum diligimus, ac Deum nobis, & proximis amamus? Maneat ergo, psalmodiam potissimũ esse opus dilectionis Dei, & proximi propter Deum, atque adeò non posse alia opera ex hoc, quod dilectionis Dei, & proximi propter Deum opera sunt, psalmodiæ præferri.

Sed age Psalmodiam doctrinæ, & prædicationi conferamus, ex quibus Author omnibus alijs Religionibus suam præferre conatur. Primum enim doctrina etiam, & prædicatio opera dilectionis non elicitis, sed imperantis sunt; sunt enim actus intellectus non voluntatis, quam afficit charitas. Est ergo inter ipsas, & psalmodiam comparationi locus. Cæterùm doctrina, & prædicatio foris obstrepit, & auditur: psalmodia, vt intus admittatur, atque exaudiatur impetrat, & exorat. Idcircò Petrus: *orationi*: inquit, *& verbo instantes erimus*, non soli inquit verbo, nec tantùm orationi, sed vtrique; & cui maximè? orationi; *orationi enim*, inquit, *& verbo instantes erimus*.

Accedit, quod etsi doctrinam, quatenus per prædicationem exercetur, benè operationem dilectionis Dei, & proximi propter Deum dixerimus, quippequæ ex fine tum operantis, tùm etiam ipsius operis

ad

ad salutem animarum tendit: tamen doctrina, vt in scholis traditur, nõ solùm Phylosophica, sed etiam Theologica non tam propriè opus dilectionis Dei, & proximi propter Deum dici potest. Doctrina enim, quatenus in Scholis traditur, intellectum instruit, vt sciat, non voluntatem promouet, vt operetur: ad veritatem, non ad operationem tẽdit: ad sciendum, non ad declinandum à malo, & faciendum bonum ordinatur; & si quidem etiam ad operationem tendat, vt practicæ facultates, curat vt benè fiat operatio, non vt ad salutem, sed vt secundũ ipsam scientiam, seù artem oportet: non vt sancta, sed vt artificiosa sit operatio. Si autem de phylosophia id verum sit, quæ ad sacram Theologiam gradum facit, & conducit, deque ipsamet sacra Theologia, quæ Christianam fidem gignit, & roborat, seù defendit, quid porro de Poesi, & Mathematice? O quantum hæ ad salutem conducunt! O quãtæ dilectionis Dei, & proximi propter Deum operationes sunt Poesis, & Mathematicæ doctrina!

Dices Phylosophiæ, & poeseos, & Mathematices Doctrinam ex fine operantis, quatenus scilicèt ea intentione iuuandi proximos ad salutem à doctore traditur, operationem esse dilectionis Dei, & proximi propter Deum: fateor non secus etiam, ac artis pingendi, sculpendi, artis etiam sutoriæ, fabrilis, & aliarum omnium siuè liberalium, siuè mechanicarũ, quæ licitè exercentur, hoc modo ex fine operantis propter salutem proximorum tradita doctrina operatio est dilectionis Dei, & proximi propter Deum. Quidni ergo etiam ipsarum omnium artium doctrina ab Authore psalmodiæ præferatur? Neque verò nobis deest ratio præter eas, quæ proximè deductæ sunt, quarè psalmodia omni prorsus doctrinæ, quæ ad mentem imbuendam traditur, longè præferatur in ratione operationis dilectionis Dei, & proximi propter Deum, seù in hoc quod charitate imperante tradatur. Deuotio enim, quæ communiter operibus virtutis Religionis, vt propria materia, & pabulo augetur, & pinguescit, maximè tamen psalmodia nutritur, augescit, & saginatur. Quis enim non videat, quod Deum laudando, ac deprecando, (quod per psalmodiam præstamus) nos eius famulatui, & obsequio magis, ac magis addicimus, & deuouemus, quæ est ipsa deuotionis operatio? Rursus deuotio ex charitate caussatur. Patet enim, quod ex amore aliquis redditur promptus ad seruiendum amico. Charitas ergo, quæ nostra ad Deum amicitia est, nos reddit prõptos, ac deuotos ad seruiendum Deo. Denique deuotio charitatem ipsam auget, & fouet, sicut & quælibet amicitia conseruatur, & augetur per amicabilium operum exercitium. Igitur deuotio in psalmodia præstat, vt ex charitate promatur, & magis, ac magis eam pro-

mendo, charitas exardescat. Id quod in traditione doctrinarum, quæ pro fine operis non sanctam operationem, sed veritatem, seù perfectionem intellectus habent, dici non potest, quia deuotionis materia, & pabulum non sunt, vtpote ad Religionis virtutem non pertinentes.

Licèt verò psalmodia, etiam vt virtutis Religionis opus, in Sanctis Religionibus instituta sit: etenim Religiosi, qui in Cœnobitica Communitate se se diuino famulatui perpetuò deuouerunt (de his enim loquor, non de illis Religiosis, qui Anachoreticam vitam ducunt) quidni in aliquo diuino famulatu, seù cultu communitèr vnaquè conueniant? Nunc autem præter psalmodiam nullum in Sacris Religionibus video, nisi fortè communem diuinum cultum, & famulatum, communem refectionem, seù recreationem dixeris: maximè tamen psalmodia in Religionibus cœnobiticis, vt communis charitatis, seù dilectionis Dei, & proximi propter Deum operatio instituta est. Constat enim tum charitatem finem esse communem omnium Religionum, ad cuius perfectionem assequendam quæq; Religio essentialibus votis Obedientiæ, Castitatæ, Paupertatæ, atquè omnibus institutis suos Professores ordinat, ac disponit, tùm pauciſſimas Regulas de elicitis, ac proprijs charitatis actibus in Religionibus institui. Vel ergo dicendum est, omnes Religiones ad charitatis perfectionem assequendam suos Professores per omnium aliarum virtutum, præterquàm per proprios charitatis actus ordinare, ac disponere; quod est absurdum, cum maximè ex proprijs frequentatis actibus virtutes augescant; vel saltè ab vnaquaq; Religione psalmodiam potissimum, vt charitatis modulationem institui. Et quanquam de aliarum etiam virtutum actibus id dici possit, præ cæteris tamen de psalmodia dicendum est: cum enim diuina excellentia, bonitas, liberalitas, misericordia, iustitia, cæteræq; diuinæ perfectiones, diuina beneficia, nostraque indigentia, vilitas, miseria, summaque à Deo inesse, fieri, conseruari, pieque cogitare, velle, & operari dependentia in psalmodia recolantur, & meditentur, consequens est, quod psalmodia sit veluti caminus, seù clibanus, in quo igne diuini Amoris Religiosi accendantur. Nequè enim psalmodiam ab Oratione mentali seiungimus, qua nemò est, qui inficietur, ignè diuini Amoris in nobis accendi; sed cum ipsa oratione mentali, seù meditatione, & contemplatione iungimus, non modo quia iuxta Apostolum psallendum spiritu, psallendum & mente; sed etiam, quia in omnibus Religionibus vnà cum psalmodia oratio ipsa merè mentalis, seù meditatio, siuè contemplatio instituta est, siuè quæ præcedat, siuè quæ sequatur, vt mutuò se iuuent, ferueant, ac foueant. Est ergo psalmodia in Religionibus instituta, vt charitatis modulatio. Non ergo operatio

dile-

dilectionis Dei, & proximi propter Deum contra psalmodiam distinguenda est, aut illi præferenda, cum etiam ipsa psalmodia sit operatio dilectionis Dei, & proximi propter Deum.

Denique quod mirum durissimumq; est, non satis est Authori psalmodia carere, sed etiam ex hoc ipso (quod sanè aures horrent) ijs Religionibus, quæ psalmodia die, ac nocte Deo iubilant, ac modulantur, suam Religionem præferre vult, & audet. Quod etiam facit quoad ieiunia, abstinentias, macerationes carnis, & arctam paupertatem. Non enim est tibi satis Religiosum delicatulum esse, diuitijs, & si in Communitate abundare, commoditatibus potiri, abstinentia, ieiunijs Regularibus carere, Psalmodiæ operam non dare, à vigilijs nocturnis abstinere, vitam in victu & vestitu cum ijs, qui in sæculo degunt communem gerere; sed etiam ex hoc ipso, proh Deus, ijs se se præfert, qui omnia propter Christum ita reliquerunt, vt nihil etiam in cõmunitate possideant, se ipsos abnegarunt: ea ipsa quibus victitent, & quibus operiantur, emendicant: penuriam, & defectum in ipsis etiam necessarijs patiuntur: psalmodiæ vacant, die, ac nocte in lege Domini meditantes: quos denique mundo Crucifixos, & quibus Mundum Crucifixum penitus dicas. Quod eo denique tendit, vt quæ Christus ad perfectionem spectare, & omninò necessaria esse docuit; contra, perfectioni detrahat, & prorsus aduersentur. Ecce, quod delicatulus Theologus sapit, ecce quò denique viam aperit. Certè psalmodia in Sacris Religionibus est thalamus sponæ, lectulus floridus, hortulus delitiarum, caminus ignis, clibanus charitatis, domus Dei, porta Cæli, Scala ad Deum concendens. Ascendunt, & descendunt ipsi psallentes ad diuinæ magnitudinis, ad propriæ vtilitatis, & miseriæ confessionem. Ascendunt Angeli, efferentes vota, descendunt referentes dona. Excubant Celestes militiæ suos clientes, à Principum tenebrarum incursibus defendentes.

Circumeunt habitaculum Dei cum hominibus, suo Regi eiusque domesticis famulantes exufflant in charitatis ignem sanctis inspirationibus vt magis ardeat; legunt flores, ac fructus honoris, & honestatis, in odorem & saporem suauitatis; curant ne euigilare quis faciat dilectã, donec ipsa velit. Sed calculum hunc nouit qui accipit. Nouerat S. Pater Augustinus, qui flebat vberrimè in Hymnis, & Canticis, suaue sonantis Ecclesiæ vocibus vehementèr affectus. Nouit Sanctus Dominicus Prædicatorum Pater, & Princeps, qui nocturnas horas in mediâ noctem incidentes, ab initio noctis priuatis precibus præueniebat, quas ad diluculum vsque producebat, nocte Cæli perlustrans limina, die Terris dans verbi semina. Nouerunt eius posteri eius vitam æmulati.

Nouit

Nouit potissimum S. Hyacinthus, qui Poloniam, ac Germaniam semine diuini verbi repleuit, & vberrimos fructus legit, qui migraturus in Cælum die Assumptioni Deiparæ Virginis sacro, in Chorum se deferri iussit, vndè Canonicis precibus recitatis solutus carne sponsum complexus est. Quid plura? Quid moror in re clarissima? Tantum non nouit, qui pluris facit eo carere, quàm eum accipere, quique eius carentia alijs se præfert, & gloriatur.

Plura in hanc sententiam Propositione 56. & 59.

PROPOSITIO IX.

Virtute Religionis ex qua deuotionis opera promanant, longè perfectior est virtus charitatis, vt expresse docet S. Thom 2. 2. quæst. 81. art. 5. & loco paulò ante citato.

HÆC propositio est vera quantum ad hoc, quod virtute Religionis sit perfectior virtus charitatis, & quod hoc doceat S. Tho. ab Auctore loco paulò ante citato videlicet 2. 2. q. 81. ar. 6. Sed est falsa quantum ad hoc, quod id expresse doceat S. Th. 2. 2. q. 81. art. 5. Aliud enim est expresè docere, aliud verò colligere aliquid ex aliqua doctrina. Ibi docet S. Thom. quod Religio non est virtus Theologica, sed est virtus Moralis. Inde potest colligi, quod est inferior charitate. Sed id non infert S. Thom. neque expresse ibi docet, vt legenti constabit. Ergo falsum Theologus dixit, id expresse docere S. Thomam 2. 2. q. 81. art. 5. Vide, an Theologus sit versatus in lectione S. Thomæ, cuius doctrinam in hoc libro profitetur, cum in re vera malè citauerit locum S. Th.

PROPOSITIO X.

Hinc secundò sequitur, per opera pœnitentiæ, vt sunt ieiunia & his similia, cæteris paribus minus glorificari Deum, quàm per opera dilectionis Dei, & proximi propter Deum.

HÆC Propositio eodem modo expendenda est, ac octaua: quia est æquè frigola ac deceptoria. Supponit enim quasi opera pœniten-

nitentiæ infusæ nō sint opera dilectionis Dei, & proximi propter Deū. Duplex enim est virtus pœnitentiæ secundùm Theologos, quædam infusa, quædam acquisita. Et opera pœnitentiæ infusæ sunt etiam opera dilectionis Dei, ex cuius motiuo operantur omnes virtutes infusæ: similiter sunt opera dilectionis proximi, quia possunt esse impetratoria, & satisfactoria pro peccatis aliorum. Dupliciter ergo potest comparari pœnitentia cum charitate. Vno modo vt seorsim considerentur vtraque virtus. Alio modo vt charitas accipiatur secundùm se, & pœnitentia secundum quod includit etiam charitatem: & ita non potest distingui contra opera dilectionis Dei, & proximi propter Deum. Est etiam hæc Propositio contumeliosa in Religiones pœnitentiæ deditas, quia supponit quod à Religiosis opera pœnitentiæ non ita exerceantur, quòd simul sint opera dilectionis Dei, & proximi propter Deum. Certè potius debuisset dicere, Deum magis glorificari per opera pœnitentiæ simul, & per opera dilectionis Dei, & proximi propter Deum, quàm tantùm per opera dilectionis Dei; quia operibus plurium virtutum magis glorificatur Deus, quàm operibus vnius virtutis, vt suprà in simili dictum est.

PROPOSITIO XI.

Quin etiam S. Thomas in 4. dist. 15. art. 2. & c. asserit Eleemosynam plus esse satisfactoriam pro peccatis, quàm ieiunium, & orationem.

HÆC Propositio continet malam citationem S. Thomæ. Distinctio enim citata continet Quæstiones 4. & articulus non continet Quæstiones, sed quæstiunculas. Author autē nō citat in qua Quæstione id doceat S. Thomas, Debuisset ergo sic citare S. Thomas in 4. dist. 15. quæst. 2. artic. 2. quæstiuncula 2. asserit, Eleemosynam plus esse satisfactoriam pro peccatis, quàm ieiunium, & orationem. Consultò id adducitur, vt appareat an Theologus sit peritus in doctrina S. Thomæ, qui etiam citare eum non bene nouit, & fortassis in citando aliena fide, non sua opera vsus est. Quoad rem verò ipsam attinet, nō miretur Theologus, docuisse S. Tho. quod eleemosyna sit magis satisfactoria, quàm ieiunium, sed consideret rationem S. Th. *Eleemosyna*, inquit, *includit in se virtutem orationis, & ieiunij duplici ratione. Primò, quia eleemosyna, eum constituit, cui datur, debitorem ad orandum, & ieiunandum, & alia*

bona

bona quæ potest, faciendum, pro eo qui dedit. Secundò, quia eleemosyna propter Deũ data, est quasi quædam oblatio Deo facta. Vnde Philos. etiam dicit in 1. Ethyc. cap. 14. Quod bona opera habent aliquid simile Deo sacratis; oblatio autem ipsi Deo facta vim orationis habet. Et similiter in quantum bona exteriora ad corporis conseruationẽ ordinãtur, subtractio exteriorũ bonorũ per eleemosynã, quasi virtute cõtinet ieiunium, quo maceratur corpus. Similiter etiam oratio virtute continet ieiunium, quia extensio intellectus ad Deum debilitatem corporis parit, vt dictum est. Vnde eleemosyna completius habet vim satisfactionis, quàm oratio, & oratio, quam ieiunium. Hæc S. Thomas. Non ergo mirum est, quod eleemosyna sit magis satisfactoria pro peccatis, quàm ieiunium, & oratio, quia eleemosyna claudit in se ieiunium, & orationem. Sicut non est mirũ, quod anima rationalis est præstantior, quàm sensibilis, & vegetabilis, quia anima rationalis claudit vtramque; quod exemplum adducit S. Thom. loco citato. Malè ergo, & friuolè distinguit Theologus eleemosynam, vt est satisfactoria, contra ieiunium, & orationem.

PROPOSITIO XII.

Imò quod mirabilius est S. Thom. 2. 2. quæst. 124. art. 3. ad 3. ait: Actum ex charitate docendi, & gubernandi subditos esse perfectiorem, quàm actum martyrij consideratum secundum propriam speciem actus.

HÆC Propositio continet falsissimam citationem. Ibi enim S. Thomas 3. loco objicit sibi tale argumentum. *Melius esse videtur alijs prodesse, quam seipsum in bono conseruare, quia bonum gentis melius est, quam bonum vnius hominis, secundùm Phylosoph. in 1. Ethyc. Sed ille, qui martyrium sustinet sibi soli prodest: ille autem, qui docet proficit multis. Ergo actus docendi, & gubernandi subditos est perfectior, quam martyrij.* Respondet ad hoc argumentum S. Thom. non verbis citatis à Theologo, sed alijs. *Dicendum,* inquit, *quod ratio illa procedit de martyrio secundum propriam speciem actus, ex qua non habet excellentiam inter omnes actus virtutum: sicut nec fortitudo est excellentior inter omnes virtutes.* Hæc S. Thom. Sed inde apparet infidelitas maxima Theologi, qui alia verba loco verborum S. Thomæ intrusit; imò & alium sensum: quia S. Thom. in hac responsione docet, quod actus docendi, & gubernandi subditos, secundùm suam speciem est perfectior, quàm martyrium secundùm propriam speciem actus. Et nihil omninò meminit in hac responsione de actu docendi, & gubernandi.

nandi subditos, vt est ex charitate : alia autem est consideratio actus docendi, & gubernandi subditos secundùm propriam speciem actus, & alia consideratio secundùm, quod est ex charitate.

Cæterùm, quia Theologus non explicando sufficienter doctrinam S. Thom. potest dare occasionem deceptionis, & erroris (quod vtique cauere debuit) vt aliquis æstimet actum docendi absolutè esse perfectiorem, quàm martyrium : ideò pensanda est doctrina S. Thom. quàm loco citato in corpore articuli adfert. *De aliquo*, inquit, *actu virtutis loqui possumus dupliciter. Vno modo secundùm speciem actus ipsius, prout comparatur ad virtutem proximè elicientem ipsum : & sic non potest esse, quod martyrium, quod constitit in debita tolerantia mortis, sit perfectissimus inter virtutis actus : quia tolerare mortem, non est laudabile secundùm se, sed solum secundùm quod ordinatur ad aliquod bonum, quod consistit in actu virtutis : puta ad fidem, & ad dilectionem Dei : vnde ille actus virtutis cum sit finis, melior est. Alio modo potest considerari actus virtutis, secundùm quod comparatur ad primum motiuum, quod est amor charitatis. Et ex hac parte præcipuè aliquis actus habet, quod ad perfectionem vitæ pertineat : quia vt Apostolus ait ad Coloss. 3. Charitas est vinculum perfectionis. Martyrium autem inter omnes actus virtuosos maximè demonstrat perfectionem charitatis, quia tantò magis ostenditur aliquis aliquam rem amare, quantò pro ea rem magis amatã contemnit, & rem magis odiosam eligit. Manifestum est autem, quòd inter omnia alia bona præsentis vitæ, maximè amat homo ipsam vitam, & è contrario, maximè odit ipsam mortem, & præcipuè cum doloribus corporalium tormentorum, quorum metu etiam bruta animalia à maximis voluptatibus abstrahuntur, vt Aug. dicit in lib. 83. Q. Et secundùm hoc patet, quod martyrium inter cæteros actus humanos est perfectior secundùm suum genus, quasi maxima charitatis signum, secundùm illud Ioann. 15. Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hæc S. Thomas. Actus ergo martyrij ex charitate est perfectior secundùm suum genus, quàm actus docendi, & gubernandi subditos ex charitate, quam veritatem enoluit, & non explicuit Theologus.

PROPOSITIO XIII.

Vndè sequitur tertiò Illustriss. Domine, te ad tales personas, & & opera, debere tuas facultates, & nepotem conuertere, quæ magis versentur circa dilectionem Dei, & proximi, quàm circa Psalmodias, & corporis macerationes.

HÆC Propositio est multipliciter deceptiora, & friuola. Primò quidem, quia si secundùm statum Religionum loquitur, falsissimum est, quod quædam Religiones magis versentur circa dilectionem Dei, & proximi, quædam verò minus. Non enim sumenda est distinctio Religionum ex eo, in quo omnes Religiones conueniunt. Quia, vt bene inquit S. Thom. 2. 2. quæst. 184. art. 8. *Comparatio supereminentiæ non habet locum inter aliquos ex ea parte, in qua conueniunt: sed ex ea parte, in qua differunt.* Et in eadem 2. 2. quæst. 188. art. 6. inquit. *Non potest quid dici altero potius, nisi secundùm id, in quo ab eo differt.* Cùm ergo omnes Religiones conueniant in vno fine remoto, & mediato, qui est dilectio Dei, & proximi, non sub certo aliquo, & determinato gradu, sed maior illa, quæ potest in hac vita haberi; neque enim assignãdus est terminus dilectionis Dei, videlicet tantus modus, seù gradus dilectionis illius, vt ad maiorem Religiosi non debeant contendere, sed vt S. Bernard. ait libro de diligendo Deum. Modus diligendi Deum est sine modo diligere: vtique nõ potest institui comparatio inter Religiones penes charitatem, quasi maior, & altior charitas non sit de ratione instituti alicuius Religionis. Non igitur potest dici, quasdam Religiones secundùm suum statum magis versari circa dilectionem Dei, & proximi propter Deum, quasdam verò minus, (nàm etiã dilectio proximi propter Deum est finis omnium Religionum, vt Theologi docent, imò eadem est charitas, qua diligitur Deus, & proximus propter Deum, & in eo etiam perfectio consistit iuxta doctrinam eorundem Theologorum.) Quod si dicas secundùm Theologos attendi præeminentiam vnius Religionis ad aliam secundùm finem; id quidem verùm est secundùm finem proprium, & specialem proximum, & immediatum vniuscuiusq; Religionis, non autem secundùm finem communem, & vniuersalem, remotũ, & mediatum, in quo omnes conueniunt, qui est charitas.

Secundò propositio illa est deceptoria, & friuola; quia si sumat dile-

lectionem Dei, & proximi secundùm actuale exercitium eius: tunc adhuc debet distingui Propositio; nempè debere Illustrissimum Dominum, nepotem suum (nàm de facultatibus terrenis, quarum vbique, & primo quidem loco meminit Theologus, non est curandum) conuertere ad tales personas, quæ magis versentur circa dilectionem Dei, & proximi, quæ est perfectio. Non enim omnis dilectio Dei, & proximi est perfectio, vtsupra dictum est. Quod si velis omnem dilectionem Dei, & proximi dicere perfectionem, nota ex S. Thom. 2. 2 q. 24. art. 8. *quod quando aliquis studium suum deputat ad vacandum Deo, & rebus diuinis, prætermissis alijs, nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit, ista est perfectio charitatis, quæ est possibilis in via, non tamen est communis omnibus charitatem habentibus. Quando verò habitualiter aliquis totum cor suum ponit in Deo, ita scilicet, quòd nihil cogitet, vel velit, quod diuinæ dilectioni sit contrarium, hæc perfectio communis est omnibus charitatem habentibus.* Sunt enim tres gradus charitatis, scilicèt alia est incipiens, alia proficiens, alia perfecta; vt docet idem S. Thomas art. immediatè sequenti. *Quando autem homo ad hoc principaliter intendit (* inquit S. Thom. *) vt Deo inhæreat, & eo fruatur, hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolui, & esse cum Christo.* Et in eadem 2. 2. quæst. 184. art. 2. dicit, *quod est perfectio quantum ad hoc, quod excludantur ea, quæ repugnant motui dilectionis in Deum, sicut August. dicit in lib. 83. q. quod venenum charitatis est cupiditas; perfectio nulla cupiditas. Et talis perfectio potest in hac vita haberi; & hoc dupliciter. Vno modo in quantum ab affectu hominis excluditur omne illud, quod contrariatur charitati, sicut est peccatum mortale: & sine tali perfectione charitas esse non potest, vnde est de necessitate salutis. Alio modo in quantum ab affectu hominis excluditur, non solum illud, quod est charitati contrarium, sed etiam omne illud, quod impedit ne affectus mentis totaliter dirigatur in Deum. sine qua perfectione charitas esse potest; puta, in incipientibus, & proficientibus.* Clariùs autem Opusc. 18. distinguit, quod perfectio charitatis pro statu viæ est duplex. Alia, quæ cadit sub præcepto, & est de necessitate salutis. Alia quæ cadit sub consilio, & quæ non est de necessitate salutis. Et hanc distinctionè ponit tàm in dilectione Dei, quàm in dilectione proximi, & eam explicat multis capitibus. Perfectio autem dilectionis Dei, quæ cadit sub consilio secundum S. Thom. consistit in hoc, *vt æmulemur perfectionem comprehensorum, & in similitudinem perfectionis illius, quantum possibile est, nos trahamus.* Colligit id ex verbis Apostoli: *Non quòd iam comprehenderim, aut perfectus sim; sequor autem si quomodo comprehendam.* Postmodum verò subdit. *Quicunque ergo perfecti sumus hoc sentiamus. Et quia* inquit S. Thom. *humanum cor tanto intensius in aliquid vnum fertur, quanto magis a multis reuocatur: sic igitur tanto perfectius animus hominis ad Deum diligendum fertur, quanto magis ab affectu corporalium reuocatur. Om-*

ma autem consilia, quibus ad perfectionem inuitamur, ad hoc pertinent, vt animus hominis ab affectu rerum temporalium auertatur, vt sic liberiùs mens tendatin Deũ, contemplando, amando, & eius voluntatem implendo. Perfectio autem dilectionis proximi, prout cadit sub consilio, secundùm tria attenditur. Primò quidem secundùm affectus extensionem. Secundò secundùm affectus intensionem. Tertiò secundùm ipsummet affectum. Hæc omnia S. Thom. Secundùm, quæ limitando, seù explicando Propositionẽ Theologi, talis debet formari. Illustrissime Domine, ad tales personas debes nepotem tuum conuertere, quæ magis versantur circa dilectionem Dei, & proximi, quæ est perfectio propria Religiosorum, & cadit sub consilio, scilicet ad personas, quæ suum studium deputarunt ad vacandum Deo, & rebus diuinis, prætermissis alijs, nisi in quantum necessitas præsentis vitæ requirit: quæ ad hoc principaliter intendunt, vt Deo inhæreant, & eo fruantur, & cupiunt dissolui, & esse cum Christo: quæ excludunt ea, quæ repugnant motiii dilectionis in Deum, non solùm ea, quæ sunt charitati contraria, scilicet peccata mortalia, sed etiam omnia illa, quæ impediunt, ne affectus mentis totaliter dirigatur in Deum: in quibus nulla est cupiditas: quæ æmulantur perfectionem comprehensorum, & in similitudinem perfectionis patriæ, quantum est possibile, se trahunt: & ideò ab affectu rerum temporalium se auertũt, & reuocant, vt sic liberiùs mens eorum tendat in Deum, contemplando, amando, & eius voluntatem implendo: demum, quæ affectu extenso, & intenso, & efficaci amant proximum. De quo S. Tho. opusc. 18. cap. 14.

Tertiò, Propositio dicta est friuola, & deceptoria propter hoc, quia deberet distingui; ad tales, scilicet, personas conuertendum esse nepotem, quæ magis versantur circa dilectionem Dei extensam ad dilectionem proximi, cui tamen incumbant sine detrimento, non dico salutis, sed etiam perfectionis Religiosæ. Vt enim ait S. Thom. quodlib. 3. q. 6. art. 17. ad 6. *Etsi procurare salutem aliorum sit maius, quàm intendere sibi soli, loquendo in genere: tamen non quicunque modo intendere saluti aliorum, præsertur ei, quod est quocunque modo intendere suæ saluti. Si enim aliquis totaliter, & perfectè intendit suæ saluti, multò maius est, quàm si aliquis multa particularia opera agat ad salutem aliorum: si saluti propriæ essi sufficienter, non tamen perfectè intendat.* Hæc S. Thom. Conformiter ad hanc doctrinam 2. 2. quæst. 182. art. 2. ad 1. ait: *Labor exterior toleratus propter Christum, est quoddam signum charitatis. Sed multò expressius eius signum est, quod aliquis prætermissis omnibus, quæ ad hanc vitam pertinent, soli diuinæ contemplationi vacare delectetur.* Hæc ibi.

Tanti ergo est perfectio propria vniuscuiusque, quod maius æstimatur

tur sibi perfectè attendere, quàm multà circà salutem animarum laborare, cum sufficientia suæ salutis, sed non cum totali perfectione. Ad illas ergo personas conuertendus nepos, quæ magis versantur circà dilectionem proximi sine detrimento, non dico salutis, sed perfectionis propriæ.

Quartò, est friuola & deceptoria dicta Propositio: eo quod distinguit dilectionem Dei, & proximi, contrà psalmodias, & corporis macerationes, quasi psalmodiæ, & corporis macerationes, non sint actus dilectionis Dei, & proximi. De quo iam circà præcedentes Propositiones dictum est. Propositio quoque dicta continet insignem calumniam contrà Religiones. Nàm imputat, quod sint quædam Religiones, quæ magis versantur circà Psalmodias, & corporis macerationes, quàm circa dilectionem Dei, & proximi: cùm tamen dilectio Dei, & proximi sit finis omnium Religionum, & ei fini omnes Religiones incumbant. Et omnes Religiones magis æstimant dilectionem Dei, & proximi, quàm Psalmodias, & corporis macerationes; imò nõ aliter exercent Psalmodias, & corporis macerationes, nisi quia Psalmodiæ, & corporis macerationes sunt actus dilectionis Dei, & proximi. Hanc ob rem huiusmodi Epistola non est digna Catholico Authore, qui omnes Religiones deberet reuerenter suspicere, sed potiùs videtur à nequissimo spiritu præsumptionis, & odij profecta. Dum enim Theologus hic Religionem conformem suo palato exaltat, multas Religiones deprimit, imò verò omnes deprimit, vt posteà clarum fiet.

Quintò, Propositio dicta est friuola, & deceptoria in hoc, quia supponit proximum non iuuari, siuè nõ exerceri dilectionem proximi per Psalmodias, & corporis macerationes, quod omninò falsissimum est. In primis enim S. Thom. 2. 2. q. 91. art. 1. ait: *Prodest etiam laus oris ad hoc quòd aliorum affectus prouocetur in Deum. Vnde dicitur in Psalm. 33. Semper laus eius in ore meo. Et posteà subditur: Audiant mansueti & lætentur. Magnificate Dominum mecum:* Et S. Aug. lib. 9. Confess. cap. 6. de se ipso testatur: *Quantum, inquit, fleui in hymnis, & canticis tuis, suaue sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & exæstuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & benè mihi erat cum eis.* Et lib. 10. cap. 33. sic ait: *Cum reminiscor lachrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordijs recuperatæ fidei meæ, & nunc ipso commoueor, non cantu, sed rebus, quæ cantantur, cùm liquida voce, & cõuenientissima modulatione cantantur, magnã institutũ huius vtilitatem rursus agnosco.* Et in Epist. 119. cap. 18. *Sine dubitatione, inquit, faciendum est, maximè illud, quod etiam de Scripturis defendi potest, sicut de Hymnis, & Psalmis canendis, cùm & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta.*

cepta. De hac re tam vtili ad mouendum piè animum, & accendendum diuinæ dilectionis affectum, varia consuetudo est. Hæc Aug. Inter opera verò Iustini, in lib. Responsionum ad Orthodoxos resp. ad q. 107. sic habetur: *Excitat*, inquit, *Cantus* (scilicèt Ecclesiasticus) *cum voluptate quadam animum, ad flagrans eius, quod carmine celebratur, desiderium: affectiones & concupiscentias carnis sedat, cogitationes malas inimicorum, quos cernere non est, suggestione obortentes amolitur. Mentem ad fructificationem diuinorum operum rigat. pietatis decertatores generosos, & fortes per constantiam in rebus aduersis efficit: Omnium rerum, quæ in vita tristes, & luctuosæ accidunt, pijs affert medicinam. Gladium spiritus hoc Paulus appellat in armamentario; vbi contrà imusibiles aduersarios, milites veræ pietatis suis instruit armis. Verbum namque Dei est, & id quod animi cogitatione, quod carminis præludio, quod carmine ipso celebratur, ac dæmones fugat, depellitque. Et in rebus denique omnibus, quæ pijs euenium, animus veræ pietatis virtutibus per carmina Ecclesiastica perficitur.* Hæc ibi. Psalmodia ergo valet ad excitandos proximorum affectus. Quòd verò operibus pœnitentiæ iuuetur proximus, & per ea exerceatur dilectio erga ipsum, est vniuersorum Theologorum consensus docentium, quòd opera pœnitentiæ possunt esse satisfactoria pro alijs. Docent id Sancti suo exemplo, qui se murum ponebāt inter Deum, & peccatores, & sui corporis miserabilibus excruciationibus Dei iram placabāt, homines Deo coniungebant, & ad ipsum conuertebant. Huius rei speculum viuum S. Dominicus, glorioſissimus Patriarcha inclyti Ordinis Prædicatorū; qui singulis noctibus ter catena ferrea acriter se flagellabat: primò pro se ipso, deindè pro peccatoribus in mundo degentibus, & demū pro animabus Purgatorij. Quod verò magis mirandum est, multæ fœminæ pœnitentijs conuerterunt plurimos peccatores ad Deum, vt palam loquuntur Historiæ S. Lotgardis, & S. Christinæ mirabilis, & aliarum. In ordine ad quem finem, & S. Mater nostra Theresia fundauit Ordinem Discalceatarum Monialium, vt macerationibus & orationibus prodessent saluti animarum, quam ardenter expetebat. Discant Prædicatores verbi Dei, non solùm verbo, sed etiam mortificationibus externis conuertere peccatores; & si ipsi non indigere se arbitrantur pœnitentia exteriori, saltem in suo corpore aliena peccata castigent.

Sextò, est friuola & deceptoria Propositio in hoc, quòd distinguit dilectionem Dei, & proximi contrà Psalmodias, & corporis macerationes, quasi hæc omnia simul non possint esse: vt de facto videmus, ea omnia reperiri in sanctissimis Religionibus. Quòd si secundùm Authorem illa Religio est perfectior, quæ magis versatur circà dilectionē Dei, & proximi, quàm circà Psalmodias, & corporis macerationes:

quantò

quantò magis perfectior erit illa Religio, quæ omnia ista complectitur; scilicèt dilectionem Dei, & proximi, Psalmodias, & corporis macerationes? Perfectior enim Religio est, quæ plura opera perfecta exercet, quàm illa, quæ pauciora. Si dicatur Psalmodiam impedire opera dilectionis erga proximum; hoc infrà discutietur.

Denique dicta Propositio est subuersiua iuuenturis, nàm per eam auocantur animi eorum, ne tradant se Religionibus, in quibus sunt Psalmodiæ, & corporis macerationes.

PROPOSITIO XIV.

Benè ait S. Gregor. Papa lib. 6. cap. 2. in lib. Regum. Longè altioris est meriti, propriam voluntatem alienæ semper voluntati submittere, quàm magnis ieiunijs corpus atterere, aut per compunctionem se in secretioni sacrificio mactare.

HÆC authoritas impertinenter est adducta à Theologo. Dum enim suadet Illustrissimo, vt suas facultates, & nepotem suum conuertat ad tales personas, quę magis versantur circà dilectionē Dei, & proximi, quàm circà psalmodias, & corporis macerationes, suadet id inde quia Obedientia melior est, quàm ieiunium, & compunctio. Quæ enim est hæc illatio? Agitur de dilectione Dei & proximi; probatio verò adfertur de obedientia. Quod si dicatur inde colligi posse principale intentum; vtique id debuit fecisse Theologus, & non fecit. Sed & frustrà laborat, & aerem (vt dicitur) verberat; nullus enim charitati præfert aliquam virtutem: neque aliquis dicet, Religiones aliquas profiteri psalmodias, & pœnitentias, exclusa obedientia. Verùm & hæ Religiones, quæ simul vacant Psalmodiæ, pœnitentijs, & obedientiæ, vtique loquendo ad hominem, perfectiores erunt, quàm illę Religiones, quę profitentur Obedientiam, non item psalmodias, & pœnitentias: quia opera plurium virtutum, & consequentur plura ad perfectionem assequendam auxilia habent; in quo etiam ponit Theologus perfectionem Religionis, vt infrà videbitur.

PRO-

PROPOSITIO XV.

Considera & hoc Illustrissime Domine, si inueneris plures hominum piorum Ordines, & Congregationes, quæ tibi viderentur bonæ, & perfectæ, debere te potius ijs bona tua cum nepote tuo offerre, qui sequuntur perfectius viuendi institutum, & in eo modum viuendi perfectiorem.

HÆC Propositio est inepta, & imprudens consiliũ continet. Non enim vnicuique expedit perfectior Religio: & ita non sequitur, debere Illustrissimum offerre nepotem perfectiori Religioni. Inter alias enim causas, propter quas Spiritus sanctus ornauit Sponsam suã Ecclesiam varietate Ordinum, est ista: quia non omnes vni Religioni, etiamsi perfectissimæ, apti sunt. Varia enim sunt hominum ingenia, variæ conditiones, variæ naturæ, variæ propensiones, & affectiones. Aliqui enim magis ad contemplandum, alij verò magis ad operandum apti: alij Mariæ otium, & solitudinem, alij Marthæ negotium, & sollicitudinem quærunt: alij Cœnobiticam vitam in societate viuentium, alij solitariam affectant: alij strictiori, & asperiori vitæ sunt idonei, alij verò minimè, etiamsi ad id aspirent. Vndè multoties contingit, quòd aliquis non benè discussis rebus indiscriminatim ad quamcunq; Religionem intrando, à spirituali profectu retardetur, & multa incõmoda sustineat. Ad quod propositum est illud, quod dicit S. Gregor. lib. 6. Moral. cap. 17. *Magnoperè sciendum est, quia valde inter se diuersæ sunt conspersiones animarum. Nonnulli enim hominum ita otiosæ mentis sunt, vt si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant. Et nonnulli ita inquieti sunt, vt si vacationem laboris habuerint, grauiùs laborent, quia tantò deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacat. Vnde necesse est, vt nec quieta mens ad exercitationem se immoderati operis dilatet; nec inquieta ad studium contemplationis angustet. Sæpè enim, qui contemplari Deũ quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt: & sæpè qui occupati, beatè humanis vsibus viuerent, gladio suæ quietis extincti sunt. Hinc namque est, quod nonnulli inquieti spiritus, dum plus exquirũt contemplando, quàm capiunt, vsque ad peruersa dogmata erum-*

erumpunt: & dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiũt. Hinc per semetipsam Veritas dicit: Si oculus tuus dexter scandelizat te, erue eum, & proijce abs te. Bonum est tibi eum vno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Duæ quippé vitæ, actiua videlicet, & contemplatiua, cum conseruantur in mente, quasi duo oculi habentur in facie. Dexter namque oculus vita contemplatiua est, sinister actiua. Sed sunt nonnulli, vt diximus, qui discretè intueri summa, & spiritualia nequaquam possunt, & tamen alta contemplationis aßumunt, atq; idcircò in perfidiæ foueam, intellectus praui errore dilabuntur. Hos itaque contemplatiua vita, vltrà vires aßumpta, cogit à veritate cadere, quos in statu suæ rectitudinis humiliter poterat sola actiua custodire. Quibus rectè hoc, quod præfati sumus, Veritas dicit: Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Bonum tibi est, cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Ac si aperte diceret, cùm ad contemplatiuam vitam idonea discretione non sufficis, solam securiùs actiuam tene. Cumque in hoc, quod pro magno eligis, deficis, eo contentus esto, quod pro minimo attendis, vt si per contemplatiuam vitam á veritatis agnitione compelleris cadere, regnum cælorum per solam actiuam valeas saltem luscus intrare. Hæc Gregorius, & plura alia ad idem spectantia. Insipiens igitur dedit cõsilium Theologus Illustrissimo, quatenus suum nepotem offeret Ordini, vel Congregationi, quæ sequitur perfectiùs viuendi institutum; quandoquidem non quiuis Religioni altioris instituti aptus reperitur.

PROPOSITIO XVI.

Porrò vt agnoscas, quod vitæ institutum, & quis in eo viuendi modus sit perfectior, has regulas accipe, excerptas potissimum ex recepta ab omnibus Sancti Thomæ Doctoris Angelici doctrina.

HÆC Propositio infidelitatem, & fallaciam Authoris ostendit. Infidelitatem quidem, quia minimè doctrinam S. Thomæ secutus est in hac Epistola, contrà suum promissum, vt patuit, & amplius patebit. Omninò enim aliam Religionem perfectissimam S. Thom. agnouit, quàm ille depinxit. Sed bonum est, quod suo se gladio iugulet. Fallaciam verò, quia sub pallio doctrinæ S. Thomæ Angelici Doctoris, suam doctrinam proposuit, & toti mundo imponere voluit: sed radijs solis eiusdem fulgentissimi tenebræ eius, Dei adiutorio, discussæ manebunt.

PROPOSITIO XVII.

Primò docet S. Thomas 2. 2. quæst. 188. art. 6. *Illam Religionem alteri præferri, quæ ordinatur ad finem absolutè potiorem; vel quia est magis bonum; vel quia ad plura bona ordinatur. Si verò sit finis idem, secundariò attenditur præeminentia Religionis, non secundùm quantitatem exercitij, sed secundùm proportionem eius ad finem intentum. Vndè, & in Collationibus Patrum introducitur Sententia B. Antonij (Collat. 2. cap. 3.) qui discretionem, per quam aliquis omnia moderatur, prætulit ieiunijs, & vigilijs, & omnibus huiusmodi obseruantijs.* Et infrà: *Sicut maius est illuminare, quàm lucere solùm, ità maius est contemplata alijs tradere, quàm solùm contemplari. Ergo summum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum & prædicandum, quæ & propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum, sicut & in alijs rebus fines primorum coniunguntur principijs secundorum, vt S. Dionys. dicit 7. cap de diuin. nomin. Secundùm autem gradum tenent illæ Religiones, quæ ordinantur ad contemplationem. Tertium est earum, quæ occupantur circà exteriores actiones. In singulis autem horum graduum potest attendi præeminẽtia, secundùm quòd vna Religio ordinatur ad altiorem actum in eodem genere: sicut inter opera actiuæ vitæ, potius est redimere captiuos, quàm recipere hospites. Et in operibus vitæ contemplatiuæ, potior est Oratio, quàm Lectio. Potest ergo attendi præeminentia, si vna earum ad plura horum ordinetur, quàm alia; vel si conuenientiora statuta habeat, ad finem propositum*

Debuerat dicere Theologus Tertius, nõ Tertium.

tum consequendum. Hæc omnia S. Thomas.

HÆC Propositio continet summam infidelitatem, & fallaciam Authoris in citando S. Thoma: ea enim, quæ sunt substantialia doctrinæ S. Thomæ, & ad rem multum facientia omisit: quod vt pateat, producendus est in primis textus integer S. Thomæ; vt quilibet collatione facta aduertat, quàm mala fide egerit Theologus. Sic ergo habet S. Thomas loco citato: *Dicendum, quod sicut suprà dictum est, differentia vnius Religionis ad aliam, principaliter quidem attenditur ex parte finis, secundariò autem ex parte exercitij. Et quia non potest quid dici altero potius, nisi secundùm id, in quo ab eo differt, ideò excellentia vnius Religionis super aliam, principaliter quidem attenditur secundùm Religionis finem; secundariò autè secundùm exercitium. Diuersimodè tamen vtraque comparatio attenditur. Nam comparatio, quæ est secundum finem, est absoluta; eo quod finis propter se quæritur. Comparatio autem, quæ est secundum exercitium, est respectiua, quia exercitium non quæritur propter se, sed propter finem: Et ideò illa Religio alteri præfertur, quæ ordinatur ad finem absolutè potiorem, vel quia est maius bonum, vel quia ad plura bona ordinatur. Si verò sit finis idem, secundariò attenditur præeminentia Religionis, non secundum quantitatem exercitij, sed secundum proportionem eius ad finem intentum. Vndè & in Collationibus Patrum inducitur sententia B. Antonij, qui prætulit discretionem, per quam aliquis omnia moderatur, & ieiunijs & vigilijs, & omnibus huiusmodi obseruantijs. Sic ergo dicendum est, quod opus vitæ actiuæ est duplex. Vnū quidem quod ex plenitudine contemplationis deriuatur, sicut doctrina, & prædicatio. Vnde, & Greg. dicit in 5. Homil. super Ezech. quod de perfectis viris post contemplationem suauæ redeuntibus dicitur Psalm. 144. Memoriam suauitatis tuæ eructabunt: & hoc præfertur simplici contemplationi. Sicut enim maius est illuminare, quàm lucere solum, ita maius est contemplata aliis tradere, quàm solum contemplari. Aliud autem opus est actiuæ vitæ, quod totaliter consistit in occupatione exteriori, sicut eleemosynas dare, hospites recipere; & alia huiusmodi, quæ sunt minora operibus contemplatiuis, nisi forte in casu necessitatis, vt ex suprà dictis patet. Sic ergo summum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ & propinquissimè sunt perfectioni Episcoporum: sicut & in alijs rebus fines primorum coniunguntur principijs secundorum, vt Dionys. dicit 7. cap. de diuinis nominibus. Secundum autem gradum tenent illæ, quæ ordinantur ad contemplationem. Tertius est earum, quæ occupantur circà exteriores actiones. In singulis autem horum graduum potest attendi præeminentia, secundum quod vna Religio ordinatur ad altiorem actum in eodem genere: sicut inter opera actiuæ vitæ, potius est redimere captiuos, quàm recipere hospites: & in operibus vitæ contemplatiuæ, potior est Oratio, quàm Lectio. Potest enim attendi præeminentia, si vna earum ad*

plura horum ordinetur, quàm alia, vel si conuenientiora statuta habeat ad finem propositum consequendum. Hæc S. Thom. Vndè patet, quænam Theologus intermiserit: Illud verò ante omnia, quod maximi momenti est, posthabuit. Nimirùm *Doctrinam, & Prædicationem ex plenitudine contemplationis deriuari, & hoc opus vitæ actiuæ præferri simplici contemplationi.* Quibus clarè docetur, Religionem illam præferri, quæ ordinatur ad docendum, & prædicandum sic, quòd doctrina, & prædicatio deriuetur ex plenitudine contemplationis, & secundùm Gregorium perfecti viri post contemplationem redeant ad docendum, & prædicandum. Idcò notanter dixit: *tale opus vitæ actiuæ præferri simplici contemplationi*, quia nimirùm tale opus præsupponit contemplationem. Mens etiam S. Thomæ potest constare aliundè. Sanctus enim Thom. in eadem 2. 2. quæst. 182. art. 1. docet, quod *vita contemplatiua simpliciter melior est, quàm actiua*: Quando ergo S. Thomas docet, doctrinam, & prædicationem præferri simplici contemplationi, omninnò intelligendus est (nisi eum sibi contradixisse dicamus, quod absit) quòd doctrina deriuata ex contemplatione, præferatur simplici contemplationi. Et certè rei veritas ipsa sic habet. Vita enim mixta, hoc est contemplatiua simul & actiua, præstantior est, quàm vita tantùm contemplatiua, vel vita tantùm actiua. Quod vel inde patet: quia vita Christi, Sanctissimæ Virginis, & Apostolorum, quæ absque dubio erat perfectissima, imò exemplar perfectionis, fuit mixta, vt posteà dicetur. Prolixum autem esset, & terminos huius tractationis excedens, Doctorum Scholasticorum turbam in medium adferre, qui vitam mixtam, super alias partes vitæ spiritualis extollunt. Credo, quòd non diffitebitur Theologus. Quod si ità est, illæ sanè Religiones secundùm mentem Angelici Doctoris, & aliorum Theologorum, summum gradum tenent, quæ profitentur vitam mixtam: id est simul actiuam, & contemplatiuam.

Ne autem facilè credas, quamcunque Religionem posse dici simplicitèr contemplatiuam, & vt scias, vndè debet dici simpliciter contemplatiua; nota diligenter ea, quæ docet S. Thom. loco iam adducto, & applicando doctrinam huic proposito; Aduertas primò, quòd Religio potest dici contemplatiua, vel ex parte finis, vel ex parte exercitij. Aduertas secundò, quòd Religio contemplatiua, principaliter dicitur secundùm finem, secundariò autem secundùm exercitium. Aduerte tertiò, quòd Religio absolutè & simplicitèr dicitur contemplatiua secundùm finem, ratione verò exercitiorum secundùm quid dicitur contemplatiua. Ratio huius dicti petenda est ex doctrina S. Thomæ citata. *Comparatio*, inquit, *secundùm finem est absoluta, eò quod finis propter se quæritur. Comparatio autem, quæ est secundùm exercitium, est respectiua, quia exer-*

exercitium non quæritur propter se, sed propter finem. Ex his collige, quòd absolutè, & simpliciter illa est Religio contemplatiua, cuius finis est Cõtemplatio. Nam hoc modo (vt ait *S.* Thom. 2. 2. quæst. 181. art. 1. in corp.) *vita actiua & contemplatiua distinguuntur secundùm diuersa studia hominum intendentium ad diuersos fines, quorum vnum est consideratio veritatis, quæ est finis vitæ contemplatiuæ: aliud autem est exterior operatio, ad quam ordinatur vita actiua*. Quæ autem Religio non habet pro fine contemplationem, sed tamen vtitur exercitijs contemplatiuis, verbi gratia oratione, meditatione, examine conscientiæ, memoria Præsentiæ Dei, recollectione per aliquot dies, & his similibus: ista potest quidem dici secundum quid contẽplatiua, sed non absolutè contemplatiua. Ratio huius dicti est ex præcedẽtibus. Religio. n. talis absolutè dicitur secundũ finem, secundũ autẽ exercitia respectiuè: Ergo si Religio nõ habeat pro fine contẽplationẽ, quamuis habeat exercitia cõtẽplatiua nõ erit absolutè cõtẽplatiua. Alia ratio huius est; Sunt. n. in Ecclesia Dei Religiones, quas Theologi iudicant merè esse actiuas, vt Equestres, seu Militares, Ministrantiũ infirmis, Redimentiũ captiuos &c. tamen vtuntur exercitijs contemplatiuis, vt oratione, examine conscientiæ, recollectionẽ ad tempus, &c. Ergo non continuò Religio iudicanda est omninò cõtemplatiua, quia vtitur exercitijs contemplatiuis. Extenditur magis hæc ratio: Nam sæculares etiam coniugati, etiam mercatores, etiam officiales, vtuntur his exercitijs contemplatiuis, videlicèt meditatione, examine conscientiæ, & alijs, quæ communiter dicuntur exercitia: & tamen vita eorum non æstimatur contemplatiua. Ergo non est dicenda Religio contemplatiua ex solo vsu exercitiorum contemplatiuorum. *Contemplatiui enim* (vt ait S. Thom. 2. 2. quæst. 81. art. 1. ad 5.) *dicuntur non qui contemplantur, sed qui contemplationi totam vitam suam deputant*: Imò si exercitia contemplatiua, vt oratio, meditatio, recollectio ad tempus, &c. ordinentur ad finem, qui est actio, eo ipso comprehenduntur sub vita actiua. Patet id ex S. Thom. 2. 2. quæst. 181. art. 1. ad 3. vbi sic ait: *Sicut virtus, quæ ordinantur in finem alterius virtutis, transit quodam modo in speciem eius: ita etiam quando aliquis vtitur his, quæ sunt vitæ actiuæ, solum prout disponunt ad contemplationem, comprehenduntur sub vita contemplatiua*. Hæc *S.* Thom. Et meritò: Plurimæ enim Religiones Ecclesiæ Dei recensentur à Theologis inter merè tantùm contemplatiuas, quæ tamen vtuntur exercitijs actiuæ vitæ, vt exercitio virtutum moralium (nàm virtutes morales essentialiter pertinent ad actiuam vitam, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 181. art. 1. in corp.) labore manuũ, &c. sed ideò tantùm dicuntur contemplatiuæ, quia vtuntur exercitijs vitæ actiuæ, prout disponunt ad contemplationem, & propterea etiam

huiusmodi exercitia clauduntur sub vita contemplatiua. Ergo è contrario, quando aliquis vtitur his, quæ sunt vitæ contemplatiuæ, prout disponunt ad actionem, ea comprehenduntur sub vita actiua. Ex his vteriùs nota, quæ Religio absolutè dicatur profiteri vitã mixtam: nimirùm ea, quę habet finem mixtum, hoc est, habet pro fine contemplationem simul & actionem. Quòd si Religio habet pro fine tantùm actionem, exercitia verò contemplatiua; simpliciter quidem erit actiua, secundùm quid verò contemplatiua; siuè principaliter actiua, secundariò verò contemplatiua, quia Religio talis dicitur, primariò quidẽ secundum finem, secundariò verò secundum exercitia; siuè talis Religio erit merè actiua, quia cum exercitia eius contemplatiua ad actionem ordinentur, comprehenduntur quoque sub vita actiua: & ita cõsequenter talis Religio non erit simpliciter mixta, sed secundùm quid, & imperfectè. Id totum manifestè infertur ex dictis, & præcipuè ex loco citato S. Thom. Sed his pensatis iudica quæso, an Theologus non nequiter & friuolè se gesserit, tùm truncando textum S. Tho. tùm eius mentem graviter non exponendo, sed ad suum genium detorquendo. Cur enim obsecro, non meminit eius, quòd doctrina, & prædicatio deriuatur ex plenitudine contemplationis: sed id ex medio textu S. Th. in sua Epistola sustulit? Cur nusquam in hac eadem sua Epistola expressè docuit, Religionem illam esse perfectiorem, quæ profitetur vitam mixtam; hoc est, habet pro fine cõtemplationem & actionem, sed semper tantùm inculcat actionem, prætermissa potiori & magis meritoria ex suo genere parte perfectionis, videlicet contemplatione? Sed quilibet agnoscat ex vngue leonem.

PROPOSITIO XVIII.

Illustrissime Domine, circumspice Religiosos Ordines, eumquè tuis, & bonis, & nepote orna.

HÆc Propositio imprudens dictum continet. Ornatus enim Religionis paupertas est, non bona temporalia, & diuitiæ; nã & Christus hunc decorem indutus erat. Gloria Religionis est, pati incommoditates, non abundare possessionibus. Panpertatem enim Religiosi vouerunt, non bonorum acquisitionem, & retentionem. Insipienter quoque poscitur nepos pro ornatu Religionis: ipse enim potiùs debet ornari à Religione, non illam ornare, quia nepos Illustriss.

tunc

tunc ornabit Religionem, quando factus religiosus, sanctus erit & perfectus. Væ Religiosis, si quærunt ornatum Religionis ex nobilitate professionum Ordinem. In Chronicis Minorum, vbi fit mentio de celebri illo Capitulo, quod à storeis cognominatum est (eo quod cubicula fratrum in agris constructa, & storeis ab invicem separata, singula essent) ad quod quinque propè fratrum millia conuenerè, & cui item S. Dominicus interfuit; legimus, tantum tunc temporis Sanctorum illorum Religiosorum feruorem, & pœnitentiæ studium fuisse, vt non tàm calcaribus, quàm frænis opus haberent. Nàm cùm S. Franciscus intellexisset multos eorum thoraces, & loricas squammatas, & circulos ferreos ad nudam carnem gestare, atq; indè non paucos morbum cõtraxisse, sciretquè id asperitatis genus impedimento esse quominùs prout oportebat, orationi insistere, & ministeria religiosa obire possent, atque adeò nonnullos indè emori, in virtute sanctæ obedientiæ mandauit, vt quotquot thoraces & orbes illos ferratos gestarẽt, depositos eos ad se deferrent, & eccè quingentæ tam loricæ, quàm circuli ferrei, inuentæ sunt. Cùm ergo in feruore Ordo in dies procederet, & fratres eius Capitulo indicto de illius boni conseruatione, ac progressu tractarent, cælitus fuit B. Francisco reuelatum, cacodæmones aliam in eius ruinam, quodam in vosodochio, quod inter Portiunculam, & Assisium situm erat, congregationem celebrare, ad quã vno de viginti dæmonum millia, & amplius conuenerant. In qua cùm varij varias, tum S. Patri Francisco, tum eius Ordini, & sequacibus oppugnandis, atque expugnandis, artes, & consilia proponerent, tandem quidam de turba dæmon cæteris vafrior & generosior, tale consilium dedit; Sanctus hic Pater Franciscus, eiusq; sectatores, tanto feruore mundum & mundana fugiunt, & abominantur, tamquè contenti, ardenterquè Deum cæli diliguut, orationi vacant, corpora atterunt, vt in præsens parum, aut nihil omnia contrà eos vestra valitura sint molimina: quare author vobis sum, vt ne nunc adeò cassi vos labore fatigetis, sed patienter expectemus donec Francisco ex hac vita sublato, maior fratrum sit numerus, tunc namq; Adolescentes quosdam, nullo perfectionis zelo succensos, senes honoribus conspicuos, nobiles delicatulos, Doctores ob doctrinam arrogantes, atquè alios debilioris valetudinis in eum ingredi faciemus. Hi deindè ad Religionis nomẽ, & honorem conseruandum, eumquè adaugendum, passim quoslibet admittent. Hæc demùm via eos ad sui ipsorum, & rerum mundanarũ amorem, ad scientiarum desiderium, & ambitionem pertrahemus, tuncquè dilatam vindictam de ijs sumere fas erit, multos eorum sub potestatem, & ius nostrum redigendo. Placuit omnibus vafrũ hocce

&

& astutum consilium, & expectare aliquantulùm satiùs visum fuit, quã modò inani, cum incerta spe fructus, labore sudare. Videant ergo Religiosi, quantum periculum eis immineat, si nepotes Illustrissimorum cum bonis tàm auidè quærant, si per aggregationem nobilium, Religionis nomen, & honorem, & ornatum conseruare, & adaugere prætendant. Perpendat Theologus, quàm ineptè, & periculosè consilium dederit, quærendo ornatum Religionis ex nepote Illustrissimi, & in ipso non alias qualitates, sed nobilitatem considerando: & fortassis magis ad bona Illustrissimi attendendo.

PROPOSITIO XIX.

Illustrissime Domine, circumspice Religiosos Ordines, eumquè tuis & bonis, & nepote orna, quem præ cæteris videris proximè accedere ad Episcopalem statum, docendo, & prædicando, & alias Ecclesiasticas functiones obeundo, pro dilatanda diuina gloria, & Sanctæ Ecclesiæ incremento.

HÆC Propositio insufficiens est, & genio Authoris parum propensi ad contemplationem ostendit. Religio enim illa est perfectior, quæ proximè accedit ad Episcopalem statum, non solùm docendo, & prædicando, sed etiam contemplando; imò priùs contemplando, & deinde contemplata tradendo. Episcopus enim ex vi sui status, debet ducere vitam mixtam; id est contemplatiuam simul, & actiuam. Quod egregiè monstrat S. Gregor. 2. Past. cap. 1. *Tantum*, inquit, *debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet à grege vita Pastoris. Oportet namquè vt metiri se solicitè studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur sub cuius æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contrà delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam, in internorum solicitudine non relinquens.* Idem cum Gregorio sentit

tit D. Thom. 2. 2. quæst. 184. art. 7. ad 3. Cùm enim proposuisset sibi argumentum in contrarium huiusmodi. *Status Religiosorum ordinatur ad vitam contemplatiuam, quæ potior est quàm vita actiua, ad quam ordinatur status Episcoporum. Dicit enim Gregor. in Pastor. quòd per vitam actiuam prodesse proximis cupiens Isaias, officium prædicationis appetiit. Per contemplatiuam verò Ieremias amori conditoris sedulò inhærere desiderans, ne mitti ad prædicandum debeat, contradicit. Ergo videtur quod status Religiosorum sit perfectior, quàm status Episcoporum.* Ad hoc argumentum respondet sic: *Ad tertium dicendum, quòd sicut Gregor. dicit in Pastor. Sit Præsul actione præcipuus, præ cunctis contemplatione suspensus: quia ad ipsos pertinet, non solùm propter seipsos, sed propter instructionem aliorum contemplari. Vndè Gregor. dicit super Ezechielem. quòd de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur Psal. 144. Memoriam suauitatis tuæ eructabunt.* Idem clariùs habet in eadem 2. 2. quæst. 182. art. 1 ad 1. *Ad Prælatos*, inquit, *non solùm pertinet vita actiua, sed etiã debent esse excellentes in vita contemplatiua. Vndè Gregor. dicit in Pastorali: Sit rector actione præcipuus, præ cunctis in contemplatione suspensus.* Idem habet opusc. 18. cap 18. *Cùm*, inquit, *Episcopus mediator inter Deum, & homines constituatur, oportet ipsum & in actione præcellere, in quantum minister hominum constituitur, & in contemplatione præcipuum esse, vt ex Deo hauriat, quod hominibus tradat.* Hæc S. Thom. Religio ergo perfectior debet accedere ad Episcopalem statum, non solum docendo, & prædicando, sed etiã contemplando, quod debebat Theologus exprimere, & non fecit. Inde patet, quòd illa Religio proximè accedit ad statum Episcopalem, quæ profitetur vitam mixtam, hoc est contemplatiuam simul, & actiuam: siquidem Episcopus ex vi sui status tenetur ad vitam mixtam. Et profectò si vita mixta perfectissima est, & si status Episcoporum perfectissimus est, vtique statui Episcoporum debetur vita mixta, & consequenter Religionibus accedentibus proximè ad statum Episcopalem.

Sed prætermittere non possum, quin magna admiratione prosequar laborem Theologi vanum & cassum. Dum enim imprudens suum consilium vult stabilire, magis illud destruit. Persuadet enim Illustrissimo vt ei Religioni nepotem suum offerat, quam præ cæteris viderit proximè accedere ad statum Episcopalem. Vndè facillimè poterit suboriri cogitatio Illustrissimo, & non sine fundamento, vt potius suum nepotem addicat Episcopatui. Si enim perfectior Religio est, quia accedit propius ad statum Episcopalem; & si Religio diligenda, & eligenda, quæ proximè accedit ad statum Episcopalem: multò magis diligendus, & eligendus ipsemet Episcopatus. iuxtà illud pronunciatum Philosophicum: *Propter quod vnum quodque tale, & illud magis.* Quòd si

Illuristrissimus discursu Theologi illectus, suum nepotem potius ministerio Episcopali deputauerit, profectò ipsius labor inanis, & irritus erit.

PROPOSITIO XX.

Religio, quæ Episcoporum statui propinquior est, perfectior est.

HÆC Propositio si nudè vt sonat accipiatur, verissima est: Si autem secundum sensum authoris quem intendit, falsissima in vniuersum, & absolutè loquendo. Ea autem mens est Theologi, vt patet ex præcedenti propositione: quòd Religio, quæ Episcoporum statui propinquior est per institutum docendi, & prædicandi, ea perfectior est. Quod simpliciter dictum, falsum est: Religio enim Eremitarum perfectior est, quàm quæcunque Religio, etiam destinata doctrinæ, & prædicationi. Sanè vita Eremitica est culmen & fastigium vitæ Religiosæ; nam omnes ferè Patres docent, ad vitam Eremiticam non debere quemquam transire, nisi priùs diligenter in Cœnobio se exercuerit; propterea quòd Eremus non adferat perfectionem, sed præsupponat: vt asserunt B. Hieronymus in Epistol ad Rusticum, Cassianus Collat. 19. cap. 10. Augustin. lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 31. Benedictus in Reg. cap. 1. Bernar. serm. 3. de Circumcis. Sed quia Theologus fidem sibi conciliare voluit auctoritate S. Thomæ, audiat ipsum docentem in 2. 2. quæst. 188. art. 8. *Considerandum est*, inquit, *quòd id quod est solitarium, debet esse sibi per se sufficiens. Hoc autem est, cui nihil deest, quod pertinet ad rationem perfecti. Et ideò solitudo competit contemplanti, qui iam ad perfectum peruenit. Quod quidem contingit dupliciter. Vno modo ex solo diuino munere; sicut patet de Ioanne Baptista qui fuit repletus Spiritu Sancto, adhuc ex vtero matris suæ: Vnde cùm adhuc esset puer, erat in desertis: vt dicitur Luc. 1. Alio modo per exercitium virtuosi actus secundùm illud ad Hebr. 5. Perfectorum est solidus cibus eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni, ac mali. Ad exercitium autem huiusmodi iuuatur homo ex aliorum societate dupliciter. Vno modo quantùm ad intellectum, vt instruatur in his, quæ sunt contemplanda. Vnde Hieronym. dicit ad Rusticum Monachum: Mihi placet, vt habeas Sanctorum contubernium, nec ipse te doceas. Secundò, quantùm ad affectum; vt scilicet noxiæ affectiones hominis reprimantur exemplo, & correctione aliorum. Quia, vt dicit Greg. 30. Moral. super illud: Cui dedi in solitudine domum.*

Quid

Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Et ideò vita socialis necessaria est ad exercitium perfectionis. Solitudo autem competit iam perfectis. Vndè Hieronymus dicit ad Rusticum Monachum. Solitariam vitam reprehendimus minimè: quippè quam sæpè laudauimus. Sed de nido Monasteriorum huiusce modi volumus egredi mulnes, quos Eremi dura rudimenta non terreant, qui specimen conuersationis suæ multo tempore didicerunt. Sicut ergo id quod iam perfectum est, præeminet ei, quod ad perfectionem exercetur: ita vita solitariorum si debitè assumatur, præeminet vitæ sociali. Hæc Sanctus Thomas. Ex quibus clarè habetur, statum solitariorum esse statum perfectorum. Sed inde sic arguere licet. Id quod perfectum est, præeminet ei, quod ad perfectionē exercetur. Sed solitudo competit perfectis, vita verò socialis necessaria est ad exercitium perfectionis. Ergo vita solitariorum præeminet vitæ sociali. Hæc omnia, & singula S. Thomas habet. Sed si adhuc Theologus renitetur huic veritati, perpendat sua dicta. Nam ex his facillimè colligitur, Religionem solitariorum esse perfectiorem præ cæteris. In primis enim dicit, potiorem & perfectiorem esse statum in Episcopis, quàm in Religiosis, quia status Episcoporum, est status perfectorum, status verò Religiosorum, est status tendentium ad perfectionem. Sed etiam status solitariorum est status perfectorum; status verò aliorum Religiosorum est status tendentium ad perfectionē. Ergo status solitariorum est potior & perfectior, quàm status aliorū Religiosorum. Deindè verò dicit, quòd Religio quæ Episcoporū statui propinquior est, perfectior est. Sed Religio Eremitarum statui Episcoporum propinquior est. Ergo Religio Eremitarum perfectior est. Minor huius argumenti patet indè, quia status Episcoporum est status perfectorum. Status quoque Eremitarum est status perfectorum. Magis ergo accedit ad statum Episcoporum status Eremitarum, quàm status Religiosorum tendentium ad perfectionem.

Sed argues Theologe ad hominem. Suprà enim dixi, vitam mixtā, id est contemplatiuam simul, & actiuam, esse perfectiorem vita tantùm contemplatiua, & quòd summum gradum in Religionibus tenent etiam secundùm S. Thom. Religiones illæ, quæ tenent vitam mixtam. Non ergò perfectior Religio Eremitarum est, sed perfectiores Religiones sunt, quæ attendunt simul contemplationi & actioni. Verùm hæc obiectio diluenda est ab ipsomet Theologo, qui potissimùm in sui defensionem assumpsit doctrinam S Thomæ receptam (vt ait) ab omnibus. Vtrumque enim S. Thom. docuit in eadem 2.2. quæst. 188. Nimirùm in articulo 6. docuit; quòd *summum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum*. In art. verò 8. docuit, quòd *sicut perfectum præeminet ei, quod ad perfectionem exercetur: ita vita solitariorum:*

riorum; si debitè assumatur, præeminet vitæ sociali. Si hæc Theologus iudicabit oppositа, & repugnantia; omninò necesse est, quod iudicet S. Thomam sibi ipsi esse contrariũ. Quod si nefas iudicauerit dicere, S. Thomam in eadem Quæst. apertè sibi contradixisse, necesse est quod dicat, hæc duo non esse sibi repugnantia, videlicet quòd summum gradũ in Religionibus teneant, quæ sunt ordinatæ ad prædicandum & docèdum, & quòd vita solitariorum præeminet vitæ sociali, sicut id quod perfectum est, præeminet ei, quod ad perfectionem exercetur. Sed quia hæc prima facie videntur sibi aduersari: ideò omninò conciliandа sunt: nam vtrumque debet esse verum, quod ab interprete diuinæ voluntatis prolatum est. Illud tamen aduertat Theologus, non maiorem in verbis meis apparere oppositionem, quàm in verbis S. Thom., quia verba mea non sunt mea; sed S. Thomæ. Vt ergo dicta S. Thom. & mea concordem. Notandum est, quòd status est duplex. Alius est perfectorum. Alius est tendentium ad perfectionem. Ex his status perfectorum ex suo genere perfectior, & excellentior est, quàm status tendentium ad perfectionem, vt per se patet. Vnusquisque verò horũ statuum diuiditur per status cõtemplatiuorũ, & actiuorum v. g. Status perfectorum duplex est: alius est status perfectorum profitentium vitam mixtam; id est contemplatiuam simul, & actiuam; sicut est status Episcoporum. Alius verò est status perfectorum, profitentium tantùm vitam contemplatiuam, sicut est status Eremitarum. Rursus status tendentium ad perfectionem; alius est tendẽtium ad perfectionem vitæ mixtæ, ideſt contemplatiuæ simul, & actiuæ: alius verò tendentium ad perfectionem tantùm contemplatiuæ. Dupliciter ergo potest institui comparatio Religionum; vel Religionum vnius generis, ad Religiones alterius generis; vel certè Religionum intrà idem genus differentium specie. Si fiat comparatio vnius Religionis ad aliã Religionem secundùm diuersum genus; tunc illa Religio erit perfectior, cuius genus est potius, & dignius. Et sic Religio Eremitarum est præstantior, quàm quæcunque Religio tendentium ad perfectionem, quia status perfectorum ex suo genere est potior, quàm status exercentium se ad perfectionem. Si verò fiat comparatio intrà idem genus secundùm diuersas species: tunc illa Religio erit perfectior, cuius species est excellentior. Et sic intrà genus Religionum tendentiũ ad perfectionem, est perfectior Religio, quæ tendit ad perfectionem vitæ mixtæ, contemplatiuæ scilicet & actiuæ, quàm illa Religio, quæ tendit ad perfectionem vitæ tantùm contemplatiuæ. Is ergò est Ordo perfectionis statuum in Ecclesia Dei. Supremum gradum tenet status perfectorum: & ex hoc statu potissimum gradum tenet status perfectorum

torum contemplatiuorum, & actiuorum; qui est status Episcoporum. Secundùm verò gradum tenet status perfectorum contemplatiuorum; qui est status Eremitarum. Deindè hos status sequitur status tendentium ad perfectionem. In quo genere primum locum tenet status tendentium ad perfectionem vitæ mixtæ, id est contemplatiuæ, simul & actiuæ: secundum verò locum tenet status tendentium ad perfectionē vitæ tantùm contemplatiuæ. Quando ergo S. Thom. dixit, & ego ei assensi, quòd vita solitariorum præeminet vitæ sociali, fecit comparationem generis ad genus, quia vt dictum est, ex suo genere status perfectorum est præstantior, quàm status exercentium se ad perfectionē. Quando verò dixit, quod summum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinatæ sunt ad docendum, & prædicandum, siuè (vt ipse se explicauit in 2. 2. quæst. 188. artic. 7. in corp.) *quæ sunt instituta ad contemplandum, & contemplata aliis tradendum*, locutus est in eodem genere; quasi dixisset: In Religionibus tendentibus ad perfectionem, supremū gradum tenent; quæ ordinatæ sunt ad perfectionem vitæ mixtæ. Et ità omninò oportet dicere, nisi velit asserere Theologus, Sanctum Thomam in eadem quæst. sui oblitum, docuisse aduersantia sibi. Quod vtique puto non dicet, nam auctoritati doctrinæ Angelicæ se submittit.

Sed libet secundò respondere ad positam obiectionem sic. Eremitę quamuis in actuali exercitio profiteantur vitam tantùm contemplatiuam, tamen in præparatione animi habent etiam vitam actiuam. Colligitur id ex S. Thom. 2. 2. quæst. 182. art. 1. ad 3. vbi ait: *Quòd ad opera vitæ actiuæ interdum aliquis à contemplatione auocatur, propter aliquam necessitatem præsentis vitæ: non tamen hoc modo, quòd cogatur aliquis totaliter contemplationem deserere. Vnde Augustin. 19. de Ciuit. Dei. Otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium iustum, scilicet actiuæ vitæ, suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati, si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sed nec si omninò veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suauitas, & opprimat ista necessitas. Et sic patet, quod cùm aliquis à contemplatiua vita ad actiuam vocatur, non hoc fit per modum subtractionis, sed per modum additionis.* Et in eadem 2. 2. quæst. 188. art. 8. in resp. ad 4. art. *Quòd sicut Augustin. dicit in 19. de Ciuit. Dei. Studio cognoscendæ veritatis nemò prohibetur: quod ad laudabile pertinet otium. Quòd autem aliquis super candelabrum ponatur, non pertinet ad ipsum, sed ad eius Superiores. Quæ sarcina si non imponatur, vt Augustin. ibidem subdit, contemplandæ veritati vacandum est, ad quam plurimum valet soliuudo.* Hæc S. Th. in quibus clarè habetur, quòd negotium vitæ actiuæ suscipit necessitas charitatis, & quòd si hæc sarcina non imponitur, vacandum est con-

tem-

templationi; imponere autem pertinet ad Superiores. Eremitæ ergo habent in dispositione animi vitam actiuam, si vrgeat necessitas charitatis, & si iubeant Superiores: quia vt ait S. Tho. 2.2. quæst. 188. art. 8. ad 3. *Habent obedientiam in præparatione animi*; & ità de facto Eremitæ necessitate charitatis vrgente è latebris prosiliebant. Sic de magno Antonio memoriæ proditum est, quod nualescente pessima secta Arianorum, relicta solitudine Alexandriam veniens, breuissimo temporis spatio, miram Arianis intulerit cladem. Simile quid de Acepsema Eremita fertur, qui cum sexaginta annis maneret reclusus, nullumque mortalium videret, tandem dum periclitaretur salus proximorū, relicta illa tàm stricta solitudine, cucurrit ad iuuandos illos. De Abbate Apollonio, qui Thebaidem incolebat, refert Nicephorus lib. 9. cap. 14. & Palladius, quòd relicta solitudine, persecutionis tempore, curam suscepit confirmandi animos Christi Confessorum, eosq; multum iuuit ad martyrij coronam. De S. Romualdo vitæ Eremiticæ authore, eius præclara gesta testantur, quanto ardore salutis animarum flagrauit: à quo similiter zelo salutis animarum, & discipuli eius, eiusdemq; instituti eremitici sectatores minimè degenerarunt. Cuius vel vnicum (saltem exemplum hoc loco producam, de quodam Bonifacio Camaldulensi Eremita, qui vehementi desiderio conuersionis animarum inflammatus, cùm à Romano Pontifice consecratus fuisset priùs Archiepiscopus suæ nationis, magnam deindè partem suæ gentis, & ipsum denique Regem, cum grandi miraculo conuertit ad fidem Christi: quæ omnia luculenter nouissimè Fridericus Fornerus in Palma Triumphi lib. 1. cap. 7. refert. De Aphraate quoque viro sanctissimo scribit Theodoretus lib. 4. c. 24. quòd quando Valens Imperator aduersùs Ecclesiam fureret, ipse ex spelunca sua pallio vili, ac sordido indutus, prodijt in publicum, vt causam salutis proximorum ageret. *Ac cùm quidam dixisset*, inquit Theodoretus, *Hic est ille Aphraates, ex cuius nutu pendet ciuitas vniuersa. Ibi tum Imperator*; *Cedo, inquit, quo te conseras? Ille tum sapienter sanè & appositè: Pro tuo*, inquit, *regno precaturus. Tum Imperator: At domi*, inquit, *tibi manendum est, & intrà cellam, vti lex monastica postulat, orandum. Cui diuinus ille vir: Præclarè admodum*, inquit, *dicis, o Imperator; istud sanè mihi faciendum est, & hactenus feci, dum omes Seruatoris pace fruerentur. Verùm quoniam iam magnoperè conturbantur, & multum eis impendet periculi, necesse est omnes vias persequi, non modo ne à feris capiantur, sed etiam vt conseruentur incolumes. Nam dicito mihi quæso, o Imperator, si filia alicuius essem, & sederem in conclaui, vti ædes curarem, atque deinde cernerem, flammas in eas incidisse, adesque paternas iam conflagrare: dicito mihi, inquam, quid me facere oporteret, intusne manere, & ædes incensas negligere, expectareque donec flamma impe-*

tus

tus longiùs peruaderet: an relicto conclaui, sursum deorsumque curritare, & aquam afferre, qua flammam extingueremus? Hoc certè se responsurum constat. Nam hæ sunt partes filiæ prudentis, & prouidæ. Atque hoc ipsum nos agimus, ò Imperator. Etenim cùm tu iam in Patris nostri ædes flammam inieceris has circumcurritamus, quò eam maturius possimus extinguere. Hæc sunt exempla, quæ probant, qualiter viri solitarij, in iuuanda proximorum salute, sua opera non defuerint. Denique aliquos etiam ex Eremo constat fuisse assumptos ad Episcopale munus obeundum, & ad curam animarum suscipiendã: ex quibus multos commemorat Athanasius in epistola ad Draconc. Monach. quem cùm ad ministerium animarum acceptandum, plurimũ reluctantem confirmare vellet, hos in exemplum ei adducebat. *Neque enim*, inquit, *tu solus ex Monachis es constitutus, neque solus Monasterio præfuisti, neque solus à Monachis dilectus es. Nosti enim Serapionem Monachum esse, & quot Monachorum fuerit Præfectus. Neque à te ignoratur quot Monachorum Pater fuerit Apollonius. Nosti Agathonem. Neque ignotum habes Arsithonem. Memor es Ammonij cum Serapione peregrè profecti. Fortassis etiam audisti de Muite in superiore Thebaide. Poteris item rescire de Paulo, qui est apud Latos, & de alijs multis. Et tamen isti Episcopi constituti non contradixerunt: sed habentes pro exẽplari Eliseum, & conscij quid Elias egerit; & eruditi quid discipuli Christi, Apostolique fecerint, susceperunt hanc curam, neq; ministerium hoc aspernati sunt: neque propterea à seipsis deteriores facti sunt; Sed & laboris mercedem expectant, proficiẽtes ipsi, aliosque proficere cohortantes. Quot ab idolis conuerterunt? quot a furiosa & dæmoniaca consuetudine suis admonitionibus compescuerunt? quot adduxerunt Christo seruos? adeo, vt qui ista signa conspiciant, admirentur.* Hæc ibi. Ex his itaque patet, quod non est alienum ab instituto eremitico, præcipuè in casu necessitatis, saluti proximorum etiam externis remedijs prouidere, quinimò maximè conueniens, quemadmodum etiam hoc fusiùs probat, & explicat, Reu. P. F. Noster Thomas à Iesu Carmelita Discalceatus, in opere de procuranda salute omnium gentium, lib. 2. cap. 5.

Tandem tertio respondetur ad eandem obiectionem. Quod Eremitæ etiam de facto incumbunt saluti animarum. Colligitur hoc ex S. Thoma 2. 2. quæst. 188. art. 8. ad 4. vbi ait: *Illi qui solitariam vitam agunt multùm viles sunt generi humano. Vnde Augustinus dicit in lib. de Mor. Ecclesiæ, de his loquens: Pauci solo, qui eis per certa intervalla temporum adfertur, & aqua contenti, deserti ssimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mẽtibus inhæserunt. Videntur autem nonnullis res humanas, plusquam oporteret, deseruisse, non intelligentibus, quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur.* Hæc S. Thom. Et sanè quis dixerit Sanctissimos Eremi cultores, ex eo quod à communi ho-

minum

minum consortio se subtraxerunt, protinus eorum salutem neglexisse, & dilectionem non retinere? Profectò vita solitaria, quæ est perfectorum & consummatorum, non excludit dilectionem proximi. Quàtò enim magis crescit dilectio Dei, tantò crescit magis dilectio proximi; Cum ergo Eremitæ præsupponantur pertigisse ad talem dilectionem Dei, ad qualem Cœnobitæ tendunt. vtique oportet eos habere maiorem dilectionem proximi, quàm Cœnobitas, & tanto ardentiori amore alios prosequi, quanto eminentiori. Eccè enim illi, qui in occulta, & secreta sedent eremo hominibus incogniti, soli Deo noti, quomodò putamus totius Mundi peccata sustinent? quomodò Deum concinnis gemitibus placant? quomodò iram & furorem eius reprimunt? quàtà bona hominibus impetrant? quantum Ecclesiam Dei suis precibus promouent, & eius tranquillitatem procurant, & mille alia bona hominibus præstant? Vt meritò Iustinianus, Nouel. Authentic. Constit. 133. dixerit: *Solitaria vita atque in ea contemplatio, res planè sacra est, & quæ suapte natura animas ad Deum adducat, neque ijs tantùm, qui eas incolunt, commodet, sed etiam omnibus alijs, puritate sua, & apud Deum interpellatione competentem de se vtilitatem præbeant.* Et rursus propè finem de eisdem: *Si enim illi, puris mudisque manibus, pro Republica preces Deo obtulerint: manifestùm sanè, quod res multarum pulchrè se habebit, & ciuitates in bono statu erunt. Deo nempe propitio, ac benenolo constituto, quomodo non omnia in summa pace, & recta legum moderatione vigebunt? Terra quoque nobis fructum feret, & celerius bona sua edet, per Dei benenolentiam precibus illorum vniuersam Rempub. in vnum colligentibus. Sed & communis hominum figura venerabilior erit, quæ vemig; quod præstantius est, illorum puritatem reuerita.* Hæc ibi. Non ergo ex hoc, quòd Eremitæ, nõ exercent externa opera vitæ actiuæ, valet inde colligere, eos negligere salutem aliorum; & dilectionem proximi prorsus excluisse; alioqui pari ratione dicere liceret, Beatos in cœlis non iam amplius nos diligere, aut nõ iam amplius nostri memores esse, quoniam ministeria sua nobis visibiliter non exhibent: at sicut dilectio eorum, & solicitudo circa nos, maior est, quamuis eam nobis cernere non liceat; ita & dilectio eorum, qui vitam Eremiticam profitentur, & solicitudo circà salutem hominum, multò præstantior est, multoq; ardentior, quàm sit eorum qui visibiliter laborant.

PRO-

PROPOSITIO XXI.

Pondera, illum Ordinem, qui accedit proximè ad statum Episcoporum, accedere etiam proximè ad illum viuendi modum, quem Christus Dominus, & eius Apostoli sectati sunt, qui proculdubio fuit omnium perfectissimus.

HÆC Propositio absolutè est falsa, & deceptoria. Pro cuius declaratione sciendum est: quòd aliud est viuendi institutum; aliud verò modus viuendi: quæ duo etiam ipsemet Theologus distinxit Consideratione 4. suæ Epist. vt patuit in Propositione xv. Quamuis ergo status Episcoporum proximè accedat ad statum vitæ Christi, & Apostolorum; & ideò est perfectissimus status, post statum Christi, & Apostolorum: tamen modus viuendi Episcoporum non accedit proximè ad modum viuendi Christi, & Apostolorum; & ideò non sequitur, quòd Ordo ille, qui accedit proximè ad statum Episcoporum, accedat etiam proximè ad illum viuendi modum, quem Christus Dominus, & eius Apostoli sectati sunt. Quòd autem modus viuendi Episcoporum, non accedat proximè ad modum viuendi Christi, & Apostolorum patet ex inductione modi viuendi Christi, & Apostolorum.

Vt ergo priùs loquamur de Christo capite: hic certè pauperrimam vitam duxit, Apostolus enim 2. ad Corint. cap. 8. *Scitis*, inquit, *gratiã Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est cùm esset diues.* Supra quem locum dicit Glossa: *Respice pauperrimum habitaculum eius, qui ditat cælũ. Vide præsepè sedentis super Cherubim. vide pannis obsitũ eũ, qui pelagus arenæ iunxit. Vide deorsũ pauperiatẽ, diuitias eius sursũ considerans.* In progressu ẽt vitæ Christus pauper fuit, quia Matth. 8. dixit: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autẽ hominis nõ habet vbi caput reclinet.* Quasi diceret secundùm Hieronym. *Quid me propter diuitias, & sæculi lucra cupis sequi, cùm tantæ sim paupertatis, vt ne hospitiolum quidem habeam, & tecto non vtar meo?* Vel secundùm Chrysost. Hom. 28. in Matth. quasi vellet dicere: *Quid pecunias credis collecturum, si me sequaris. Nonné vides nec diuersorium mihi esse, nec tantum quidem, quantum auibus?* Matth. verò 17. habetur, quod cùm peteretur ab eo, vt solueret didrachma dixit Petro: *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens da eis pro me, & te.* Suprà quem locum Gloss. dicit: *Dominus, tantæ paupertatis fuit, vt vndè tributa solueret, non haberet.* Id ipsum

etiam colligitur ex eo, quod Christus paupertatem commendauit, & Apostolis iniunxit. Scriptum est autem Act. 1. *Cæpit Iesus facere, & docere*; quia horum, quæ docuit, in se exemplum præbuit. Singulare autem paupertatis testimonium Christus in passione monstrauit, quando omnibus rebus exterioribus priuatus, in cruce pependit. Quam totius vitæ Christi paupertatem pulcherrimè complexus est Sanctus Anselmus lib. de diuer. Sacram. *Pauper*, inquit, *ita fuit Christus, vt veniens in mundum, non in sua sed in aliena domo nasceretur, & natus propter inopiam loci, in præsepio brutorum animalium poneretur, & viuens in mundo non haberet vbi caput suum reclinaret; nec moriens, vnde nuditatem suam tegeret; nec mortuus, vndè involueretur, nec sepulchrum, aut locum, vbi corpus mortuum locaretur*. Hæc Anselmus. Christus ergo pauperem vitam duxit. Et quia Theologus in primis doctrinæ S. Tho. vult inhærere: idcò adiungo, quod ex sententia S. Thom. Christus fuit pauper, non solum in particulari, sed etiam in communi, hoc est, taliter à se rerum omnium dominium abdicauerat, vt nullius rei proprietatem, non modo in particulari, sed neque in communi habuerit, sed tantummodo simplicem rerum vsum retinuerit. Ita Opusc. 19. cap. 6. ait: *Primordium perfectionis in Christo, & in Apostolis fuit; sed ipsi non leguntur sua relinquentes aliquas possessiones habuisse in communi, imò potius legitur, quòd nec etiam domos habebant ad manendum. Ergò perfectio paupertatis non requirit aliquas possessiones communes*. Vide si placet eũdem S. Thomam Opusc. 17. cap. 15. Et S. Bonau. latissimè Opusc. de Paupertate Christi, & in Apologia Pauperum, tractantem hanc sententiam. Sed quod caput est Nicolaus IV. in cap. Exijt de verborum significatione in 6. definiuit, Christum verbo, & exemplo docuisse perfectam paupertatem, quæ consistit in abdicatione omnium rerũ, nullo sibi dominio relicto, nec in particulari, nec in communi; ac proindè talem paupertatem esse sanctam, & meritoriam. Et quamuis hoc falsum esse, & hæreticum docuerit Ioann. xxij. in Extrauag. Cum inter nonnullos. tamen vt docet Bellarm. lib. 4. de Romano Pontifice cap. 14. non. dissentiunt Nicolaus, & Ioannes. Nam Nicolaus IV. dicit; Christum aliquando perfectissimam illam paupertatem verbo, & exẽplo docuisse: aliquando autem paupertatem minùs rigidam exemplo demonstrasse, tanquam communem omnium Patrem, & Doctorem. Ioannes autem definit esse hæreticum asserere, Christum nihil vnquam hic in terris habuisse proprij, saltem in communi, sed negat semper talem vitam Christum egisse. Ioannes quoque non negat Christum aliquando nihil habuisse proprij, nec in speciali, nec in communi, sed negat semper talem vitam Christum egisse.

Denique Christus adeò pauperem vitam duxit, quòd etiam ex tali pau-

paupertate ad mendicandum descenderit. Proferam testimonium S. Thom. quia Theologus vult doctrinam excerptam ex S. Thom. Hic ergo in Opusc. 19. cap. 7. ait: *Nunc tertiò restat ostendere, quòd prædicti non solùm viuere possint de eleemosynis sponte oblatis, sed etiam eas petere mendicando. Quod probatur exemplo Christi, in cuius persona in Psalm. 33. dicitur: Ego autem mendicus sum, & pauper. Glo. hoc dicit Christus de se, ex forma serui.* Et infrà. *Mendicus est, qui ab alio petit, & pauper, qui sibi non sufficit. Item in alio Ps. 69. Ego verò egenus, & pauper sum. Glo. Sum egenus, ideſt, petens: & pauper sum, ideſt, insufficiens mihi: quia & mundanas copias non habet, & intùs vbi est dines, semper ambit, desiderat, accipit. Item in alio Psal. 108. Persecutus est hominem inopem, & mendicum. Glo. scilicet Christum. Et alia Glo. Pauperes insequi sola sæuitia est: alij pro diuitijs, & honoribus interdum huiusmodi patiuntur. Istæ duæ vltimæ glossæ ostendunt manifestè, quòd de mendicitate verum temporalium prædicta verba intelligere oportet. Item 2. Corinth. 8. Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est: Glo. in mundo. Et quòd in hoc Christus sit imitandus, patet per Glo. quæ ibidem dicit: Nemo se contemnat, pauper in cella, dines in conscientia, securior dormit in terra, quàm cum auro dines in purpura. Non ergo expauescas cum tua mendicitate ad eum accedere, qui indutus est nostra paupertate. Item quod Dominus victum petierit expressè habetur Luc. 19. vbi Dominus dixit ad Zachæum. Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Glossa. Non inuitatus inuitat, quia etsi nondum audierat vocem inuitantis, audierat tamen affectum. Item Marci 11. Circumspectis omnibus, cùm iam vespere esset, &c. Gloss. Circumspectis omnibus si quis eum hospitio susciperet. Tanta enim paupertatis fuit, & ita nullis adulatus, vt in tanta vrbe, nullum hospitium inueniret. Ex quo patet, quod Christus ità pauper erat, quod hospitium conducere non posset: sed ab alijs hospitium petebat, & expectabat.* Hæc S. Thomas. Vide si placet Thomam Valdensem lib. 4. Doctrin. Fidei, vbi acerrimè contra Hæreticos quosdam, qui vt mendicitatem damnarēt, Christum mendicasse negabant, defendit Christum, actualiter, personaliter, & vocaliter mendicasse. Et hæc quidem de Christo.

De Apostolis autem certum est in primis eos paupertatem coluisse, vt colligunt SS. Patres, & Theologi, ex illis verbis: *Ecce nos reliquimus omnia.* Et iterùm Matth. 10. dicitur: *Nolite possidere aurum, neque argentū, neque pecuniam in zonis vestris, neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Et Marc. 6. *Præcepit eis ne quid tollerent in via, &c.* & Luc. 9. *Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.* Paulus verò ad Corinth. 6. ait: *Sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Suprà quem locum Ambrosius inquit: *Quantum ad præsentem vitam pertinet pauperes videbantur, sed spirituales diuitias credentibus largiebantur. Egeni in*

terris, in cœlis duites. S. verò Thomas lect. 2. suprà idem caput dicit: *In his temporalibus sumus sicut egentes; id est ab alijs accipientes: sed tamen quantum ad spiritualia, sumus multos locupletantes.* Et post pauca. *Tanquam nihil habentes scilicet in temporalibus; quia omnia dimiserunt propter Christum. Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, &c. Sed interius, & in spiritualibus omnia possidentes, scilicet per interiorem magnitudinem cordis. Et hoc ideo est, quia ipsi viuebant non sibi, sed Christo: & ideo omnia, quæ sunt Christi reputabant, vt sua. Vnde cum Christo omnia sint subiecta, omnia possidebant, & omnia tendebant in eorum gloriam.* Idem quoque Apostolus 1. ad Corint. 4. ait: *Puto enim, quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus, mundo, & Angelis, & hominibus: Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo, Nos infirmi, vos autè fortes. Vos nobiles, nos autem ignobiles.* Et demùm subdit: *Vsque in hanc horã, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus.* Pauperes ergo fuerunt Apostoli. Imò quod plus est, paupertatem suam voto firmarunt, vt docent SS. Patres, & Theologi. Ex his S. August. lib. 17. cap. 4. de Ciuit. Dei, sic ait: *Dixerant enim potentes illi. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Hoc votum potentissimi vouerant. Sed vnde hoc eis, nisi ab illo, de quo hic continuò dictum est: Dans votum vouenti? Alioquin ex illis essent potentibus, quorum infirmatus est arcus. Dans, inquit, votum vouenti. Non enim Domino quisquam quicquam ratum voueret, nisi qui ab illo acciperet, quod voueret.* Et quia Theologus vult S. Thomam audire, profero ipsum loquentem 2.2. quæst. 88. artic. 4. ad 3. *Apostoli, inquit, intelligumur vouisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum relictis omnibus sunt secuti:* Imò necesse est, quod Theologus dicat secundùm mentem S. Thomæ, quod Apostoli duxerunt vitam pauperem, non solùm in particulari, sed etiam in communi: quia id docuit Opusc. 17. cap. 15. & Opusc. 19. cap. 6. verba ipsius suprà citata sunt. Hic adducam dumtaxat verba ex Opusc. 17. cap. 15. *Manifestum, inquit, secundùm expositiones præmissas, Apostolis interdictum fuisse, ne agros, vel vineas, vel alia huiusmodi bona immobilia possiderent.* Vide etiam si placet Bonauent. in Apologia Paup. Tandem debet docere Theologus, secundùm mentem S. Thomæ, Apostolos mendicasse Opusc. enim 19. cap. 7. sic ait; *Item hoc probatur exemplo Apostolorum, qui iussi sunt à Domino necessaria ad victum in via non ferre vt patet Matth. 10. Mar. 6. Constat autem, quòd ipsi imperiosè non poterant accipere. Ergo satis euidens est, quòd necessaria victus humiliter petebant, quod est mendicare. Item hoc etiam patet de discipulis Apostolorum, post resurrectionem Christi.* Dicitur enim in 3. c. Ioan. *Pro nomine eius profecti sunt:* Gloss. *Pro nomine Christi ampliando profecti sunt.* Gloss. *Alienati à rebus proprijs, ergo sine necessarijs vitæ ibant: ex quo patet, quòd necesse habebant petere.* Hæc S. Thomas de Apostolis. Ex quibus omnibus

pa-

patet, qualis fuerit modus viuendi Christi, & Apostolorum.

Iam verò de Episcopis certum est eos non colere, neque profiteri paupertatem, & eam non habere annexam suo statui: tantùm abest, quod debeat eam vouere, vel exercere etiam in communi, aut mendicato pane viuere. Non ergo modus viuendi Episcoporum accedit proximè ad modum viuendi Christi, & Apostolorum. Ideò, & S. Thomas docet (vt infrà videbitur) quod Episcopi habent possessiones nõ ex vi institutionis suæ à Christo, sed per dispensationem Ecclesiæ. Falsum ergo est, quod supposuit Theologus in sua Propositione, nempè modum viuendi Episcoporum accedere proximè ad illum viuendi modum, quem Christus Dominus, & eius Apostoli secuti sunt.

Denique hæc Propositio hæresim redolere videtur. Quia.n. Christum, & Apostolos, paupertatem seruasse, & coluisse, de fide est, & traditum in Decretis Pontificum: & quia manifestum est, Episcopos paupertatem non seruare: inde ex propositione certa de fide, & assũptione certa naturaliter infertur Conclusio Theologicè scientifica, quę aliquo modo pertinet ad fidem, quod videlicet modus viuendi Episcoporum non accedit proximè ad modum viuendi Christi, & Apostolorum: Cuius contrarium, quia supposuit Theologus in sua Propositione, contrà fidem indirectè docuisse videtur.

Vltimò aduertat Theologus, quòd dicit modum viuendi Christi, & Apostolorum, procul dubio fuisse omnium perfectissimum. Quia.n. monstratum est ex S. Thoma, modum viuendi Christi, & Apostolorum fuisse in paupertate, non tolùm in particulari; sed etiam in communi: consequens est, quòd debet fateri secundùm mentem S. Thomæ, modum viuendi in paupertate tàm in particulari, quàm in communi, esse perfectissimum; quod, & S. Thomas diserte verbis docuit, vt posteà monstrabitur. Non diffiteberis Theologe, si te doctrina S. Thomæ tuam Epistolam muniuisse non pœniteat.

At indè ego sic vlteriùs arguo. Religioni perfectissimæ conuenit modus viuendi perfectissimus; vt patet ex tua Consideratione 4. vbi coniungis perfectiùs viuendi institutum, cum modo viuendi perfectiore; vt visum est Propositione XV. Sed modus viuendi perfectissimus ex S. Thoma est viuere in paupertate, tàm in particulari, quàm in communi: quia is fuit modus viuendi Christi, & Apostolorum, qui procul dubio fuit omnium perfectissimus: ergò modus viuendi in paupertate, tàm in particulari, quàm in communi, competit Religioni perfectissimæ. Quid ais Theologe? negas? an concedis? At necesse est, quòd concedas, tùm propter dicta: tùm quia S. Thomas Opusc. 17. cap. 15. ait: *Summa paupertatis est perfectio, vt ad exemplum Christi aliqui homines possessioni-*

sionibus careant. Cap. verò 16. ait: *Possessiones communes expedit possideri propter eos, qui non sunt summæ perfectionis capaces, qualis in primis credentibus fuit, qui tamen imperfectiores omninò negligendi non erant: vndè & apud illos, qui summam perfectionem sectabantur, possessiones non erant: sicut etiam Dominus, cui Angeli ministrabant, loculos habuit propter necessitatem aliorum, quia scilicet eius Ecclesia loculos habitura erat: sicut Aug. dicit super Io. Vndé si qua sit Congregatio, in qua omnes ad maiorem perfectionem tendant, expedit eis communes possessiones nō habere*. Hæc S. Thomas. Sed tu Theologe, vel inuitus concedas, quòd perfectissimæ Religioni competit modus viuendi in paupertate tàm in particulari, quàm in communi. Iterum à te peto Theologe, quid dicis? Negas, vel concedis? Negare non potes, quia secundùm formā, benè infertur consequentia, & infertur ex tuis dictis, & ex dictis S. Thomæ, quibus te voluntariè alligasti. Si verò concedis: quomodo docuisti in hac Epistola, quòd Religionibus ordinatis ad prædicandū & docendum, competit, & expedit habere possessiones, & redditus? I nunc Theologe, & primùm discas regulas ex doctrina S. Thomæ excerpere, antequam præsumas Theologorum, præcipuè verò Thomistarum lectioni eas præsentare.

PROPOSITIO XXII.

In quo clarè expressus est finis salutis animarum quàmplurimarum.

HÆC Propositio est insufficiens. In vita enim Christi, & Apostolorum non solùm relucet finis salutis animarum, sed etiam Contemplatio. Christus enim Dominus vitam mixtam, id est contemplatiuam simul & actiuam duxit, vt docet S. Thomas 3. p. q. 40. art. 1. ad 2. *Vita*, inquit, *contemplatiua simpliciter est melior, quam actiua, quæ occupatur circà corporales actus: sed vita actiua, secundùm quam aliquis prædicando, & docendo contemplata alijs tradit, est perfectior, quàm vita, quæ solùm contemplatur: quia talis vita præsupponit abundantiam contemplationis; & ideò Christus talem vitam elegit*. Hæc Sanctus Thomas. Et quidem quòd Christus duxerit vitam contemplatiuam, manifestum est. Triginta namq; annos priusquam prædicare cœpit, in silentio & contemplatione transegit. Sed quid dico triginta annos, quandoquidem omnes Theologi cum S. Thoma 3 p. q. 9. art. 2. Et tota ferè quæst. 10. docent, Sanctissimam animam Christi, à primo instanti conceptionis, & deinceps con-

continuò, habuisse scientiam beatorum, seù comprehensorum, quæ in clara Dei visione consistit. Baptizatus verò à Ioanne in desertum recessit, & in eo quadraginta diebus manens ieiunauit. Postmodũ verò Euangelium prædicare cæpit, ità tamen quod sæpiùs in deserto secedebat. sæpiùs in montem ascendebat, sæpiùs in oratione Dei pernoctabat. Et quemadmodum Sol per diem nos illuminat, & radijs lucis suæ, ac calore huius hemisphærij corpora fouet: nocte autem discedit, seq; à nobis abscondit, non vt otiosus maneat, sed vt in alio mundi tractu viuentibus splendeat: Ità Christus verus iustitiæ Sol in die hominibus doctrinæ suæ splendore lucebat, & eos beneficiorum calore fouebat; noctu verò in montibus, & locis solitarijs delitescens, à mortalibus se subtrahebat, vt cum æterno Patre nostra negotia peragereret. Id autem eo fine fecit, quem S. Gregor. lib. 6. Moral. cap. 17. notauit. *Humani*, inquit, *generis Redemptor per diem miracula in vrbibus exhibet, & ad orationis studium in monte pernoctat, vt perfectis videlicet prædicatoribus innuat, quatenus nec actiuam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia penitus aperationis nimietate contemnant; sed quieti contemplantes forbeant, quod occupati ergà proximos loquentes refundant.* Hæc Gregor.

Quòd verò Apostoli duxerint vitam contemplatiuam, patet ex hoc, quia ad Rom. 8. dicitur. *Primitias spiritus habentes*. Vndè colligunt Theologi, eos septem dona Spiritus sancti habuisse in eminentissimo gradu non solum secundùm habitum, sed etiam secundùm actum. Actus autem doni sapientiæ est contemplatio, Ad Philipp. quoque 3. dicitur. *Nostra autem conuersatio in cœlis est*. vtique per contemplationem, vt notat S. Thomas supra hunc locum. Philo verò Iudæus antiquissimus scriptor in lib. de Contemplatiua vita, siuè de supplit. virtut. hoc testimonium perhibet de Apostolis, atque de iliorum etiam sectatoribus, quòd eo vsque fuerint diuinarum rerum contemplationi dediti, vt abiecisse curam carnis omnem, ac reficiendi etiam corpusculi, per cõtinuos dies aliquot obliti prorsus esse viderentur, vix vt quandoq; sexto, aut septimo die cibum caperent. Dictum quoque Philonis approbat Illustris Cardinalis Hosius, lumen nostræ Poloniæ Tom. 1. fuorũ eruditissimorum operum cap. 74. Et subiungit: *Et quidem ita eos decebat, quos Christus lumina mundi constituerat, quique vniuersum orbem diuinæ sapientiæ sale condire debebant*. Et rursus: *Neque vero*, inquit, *ipsi soli fuere diuinitatis contemplatores, sed quos in fide Christi instituerant, eos quoque spiritualium donorũ speculatores esse cupiebant*. Hæc ille. Non minus illustre alterius Cardinalis Roberti Bellarmini testimonium, in hac eàdem materiâ placet adferre. Ipse enim tomo 4. suarum Disp. lib. 1. de bonis Operib. in partic. cap. 19. sic inquit: *In testamento nouo Apostoli primi fuerunt, qui relicta*

licta cura temporalium verum, munus suum proprium esse dixerunt. verbo Dei, & orationi sine intermissione instare. Nos inquiunt Actor. 6. orationi, & verbo Dei instantes erimus. Constat autem, quòd oratio maximè spectat ad Contemplationem, vndè cùm Apostoli sine intermissione orationi instantes esse dicuntur, quasi continuò contemplatiui esse intelliguntur. Vndè, & de S. Iacobo fratre Domini nostri testatur Egesippus lib. 5. suæ Historiæ, vt refert Baronius tomo primo Annalium circà annum Christi 63. quòd videlicet solus in templum intrare solitus erat, atque ibi genibus humi positis, assiduò in oratione persistebat, adeò quidem quòd etiam genua eius Carmeli instar, tuberculis contractis, obdurauerant. Sanctus verò Chrysost. apud eundem Baron. ibidem addit etiã, non tantùm eius genua, sed & frontem, ob iugem in pauimento prostrationem, callo obductam fuisse. Non solùm autem Apostoli contemplabantur, sed etiam Saluator solitus erat sæpiùs eos à turbis seorsum subducere in deserta, vt constat ex Euangelistis. Imò, & ante passionem suam egressus fuit cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus. Ioannis verò 18. dicitur. *Sciebat autem, & Iudas locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis.* Lucæ verò 22. dicitur. *Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem oliuarum. Secuti sunt autem illum, & discipuli.* Duxerunt ergò Apostoli vitam contemplatiuam. Quòd autem simul, & actiuam; res ipsa, vocatio videlicet nostra ex gentibus, & adoptio in libertatem filiorum Dei loquitur.

Disce hinc Theologe, à Religione ad docendum, & prædicandum destinata, ac verè Apostolicam vitam profitente, non esse alienum, aliquando in deserta secedere, longa contemplationi tempora tradere, noctes insomnes in oratione ducere, vel saltem noctis silentia, surgendo ad laudandum Deum, & orandum pro proximis rumpere. Talis enim modus viuendi fuit Christi, & Apostolorum.

PROPOSITIO XXIII.

Ordines Ecclesiastici, & eorum variæ functiones per conciones, confessiones, lectiones, &c.

NON possum non admirari, quòd Theologus inter actus, & functiones Prædicatorum verbi Dei non meminerit præcipuarum conditionum viri Apostolici, vt scilicet iuuet proximos, maximè bono exemplo, & feruenti oratione pro eis fusa. Sanè potissima, & prima fun-

functio attendentis saluti animarum, est bona, & sancta vita præluce-re. *Capit*, inquit S. Luc. Act. 1. *IESVS facere & docere:* Triginta an-nis fecit, vt triennio doceret; sed & in ipsomet triennio fecit. Ioannes quoque vt Christum prædicaret fecessit in desertum, & adeò duram (vt notum est) vitam egit: ideòque erat lucerna ardens, & lucens; ar-dens sibi, lucens proximo. Tritum est illud Senecæ dictum: *Longum iter est per præcepta, breue & efficax per exempla. quia homines amplius oculis, quā auribus credunt.* Sanctus verò Bernard. serm. de S. Benedicto ait: *Sermo viuus, & efficax, exemplum operis est: plurimùm faciens suadibile, quod monstra-tur factibile.* Certè Euangelicus Doctor, & Prædicator talis esse debet, vt possit confidenter dicere *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 1. Cor. 4. Aliàs si vita à doctrina discrepat, prædicator historionem agit, qui Regis personam repræsentat. Rex tamen non est. Si scitè repræsen-tat humilitatem, nec tamen est humilis: si honoris contemptum præ-dicat, quem nondum spreuit: si silentium, & recollectionem commē-dat, est tamen garrulus & vagus: si ad pœnitentiam inuitat, quam mi-nimè præsefert, aut facit: histrio est, & mimus, non prædicator Euan-gelicus: Est sicut pictor, qui licèt sit deformis, egregiè tamen alteriùs pulchritudinem in tabula delineat. Est sicut terminus saxeus, qui in agro defixus viam demonstrat, ipse nihilominus fixus suo loco manet. Est sicut cymbalum tinniens, quod alios ad templum conuocat, ipsum verò minimè intrat. Talis Prædicator vnà manu animas aduocat, aliā auocat; vnà impellit, alterà repellit; vnà extruit alterà destruit. Væ illis, qui dicunt, & non faciunt. *Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Matth. 5. Ideò, & Apost. 1. Corint. 2. ait: *Ser-mo meus, & prædicatio non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostēn-sione spiritus, & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.*

Altera verò conditio pro Christo legatione fungentis est, vt proxi-mum iuuet suis orationibus. Magis certè oratio Moysis Amalecitas prostrauit, quàm vniuersæ bellatorum hastæ, & gladij. Magis expu-gnabit dæmones oratio feruens, quàm abundantia verborum. Dixe-rat Deus, vt disperderet Israelitas, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, & auerteret iram eius, ne dispер-deret eos. Sapientiæ quoque 18. dicitur: *Sed non diu permansit ira tua. Pro-perans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem, allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus.* Sic prædicator debet esse medius inter Deum, & Auditores. Propterea Deus per Ezechielem expostulat cap. 22. *Et quæsiui de ijs virum, qui interponeret sepem, & staret op-*

positus contra me pro terra, ne dissiparem eam: & non inueni. Et effudi super eos indignationem meam: in igne iræ meæ consumpsi eos: viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus. Et cap. 13. inquit: *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel.* Isaias quoque cap. 64. conqueritur. *Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te.* Sic oratio iusti tenet Deum.

Cæterùm, quantum iusti prosint in medio nationis prauæ, & peruersæ, clarissimè demonstrat illud colloquium Dei, & Abrahæ, quod habetur Genesis 18. *Nunquid*, inquit Abraham, *perdes iustum cum impio? Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo? Absit à te vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius, non est hoc tuum: qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc.* Dixitque Dominus ad eum: *Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos. Respondensq; Abraham ait: Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis. Quid si minus quinquaginta iustis, quinque fuerint? delebis propter quadraginta quinque vniuersam vrbem? Et ait; Non delebo, si inuenero ibi quadraginta quinque. Rursumque locutus est ad eum: Sin autem quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies? Ait: Non percutiam propter quadraginta. Ne quæso,* inquit, *indigneris Domine si loquar: Quid si ibi inuenti fuerint triginta? Respondit: Non faciam, si inuenero ibi triginta. Quia semel ait, cœpi, loquar ad Dominum meum. Quid si ibi inuenti fuerint viginti? Ait: Non interficiam propter viginti Obsecro,* inquit, *ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel: Quid si inuenti fuerint ibi decem? Et dixit, non delebo propter decem.* Sed mirabilius est, quod Dominus per Ieremiam cap. 5. ait: *Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* Suprà quem locum exclamat S. Hieronym. *Grandis*, inquit, *amor iustitiæ, vt nequaquam tuxtà interrogationē Abrahæ, & responsionem Dei pro decem viris iustis, Deus liberauit ciuitatem; sed si vnus inuenerit, iam iamque peritura Hierusalem, qui faciat iudicium, & quærat fidem, siuè, vt Symmachus transtulit, veritatem, tamen Deus misereatur Hierusalem.* Quanti interest, vt in Republica aliqua sint iusti. Ideò, & Religiosi reclusi, atque è claustro, & cella sua non egredientes; ideò & Eremitæ æstimandi sunt: nàm in illo etiam angulo latentes maximè prosunt Reipublicæ, quàm Deus Opt. Max. ob paucos illos tolerat. Sinit.n. zizania, & triticum crescere vsque ad messem, ne fortè colligendo zizania, eradicetur simul cum eis triticum. Horum orationes reddunt efficaces labores aliorum concionatorum, & confessariorum. Sæpè æstimabit Prædicator se fructum facere, sed non ipse facit; at is, qui feruidas preces Deo obtulit. Quàm plures spirituales filios viri abstracti

stracti sibi vendicabunt præ multis ministris verbi Dei. Hos quidem isti suos esse putant, sed in die iudicij apparebit non esse ipsorum, sed aliorum: & Ioseph verum pueri patrem non esse, sed tantùm putatium. (*Et putabatur filius Ioseph* Luc. 3.) Tunc apparebit, quòd sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est. Tunc dicetur: Lætare sterilis, Eremitica Religio, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis, quia multi filij desertæ magis, quàm eius, quæ habet virum, quæ nupsit actiuam vitam contemplatiuæ. Tunc videbis te, ò sacra Eremus, manipulis filiorum, & corona prolis vallari. Et dices in corde tuo. Quis genuit mihi istos? Ego sterilis, & non pariens. Ego non prædicationi, non administrationi Sacramentorum insisto: & istos quis enutriuit? Dicam: Orationes, suspiria, lachrymæ, gemitus vestri, ò Angeli terrestres, imò cælestes, ò Eremitæ. Desiderium panperum exaudiuit Dominus. Oratio humilis vestra penetrauit cælos. Deus voluntatem timentium se fecit, & deprecationem eorum exaudiuit. Non ergo se extollant Religiones actiuam vitam profitentes, quod maximum fructum in Ecclesia Dei faciunt, nã sæpè non suis impensis, sed aliena industria interueniente, eum faciũt. Nam neque, qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incremẽtum dat Deus. Vt autem det incrementum, orationes Sanctorum faciunt. Tu verò, ò Theologe, disce deinceps viris Apostolicis, sanctã vitam, & exemplarem, indefessum & iuge orationis studium inculcare, & inter potiores functiones incumbentium conuersioni animarum numerare.

PROPOSITIO XXIV.

Perfectio vitæ Christi, & Apostolorum agnosci potest, tùm ex fine omnium operum eius, qui erat gloriam Dei dilatare, abstrahendo homines ab infidelitate, & falsa fide, ad rectam fidem, & à vita impia ad piam, & ità salutem eorum procurare.

HÆC Propositio in duobus deficit. Primò quidem: quia finis operum Christi primarius erat dilectio Dei; secundarius verò salus animarum. Deindè etiam, quia Christus non tantùm intendebat conuersionem à fide falsa, & impia vita, sed etiam profectũ, imò

& perfectionem ipsorum. Magis quippè gloria Dei dilatatur procurando perfectionem paucorum, quàm conuersionem multorum. De quo suprà dictum est.

PROPOSITIO XXV.

Perfectio vitæ Christi, & Apostolorum agnosci potest, tùm ex medijs, quibus vsus est cum Apostolis ad salutem humanam procurandam, & fructum meritorum suorum ijs communicandum, scilicet per prædicationes, disputationes cum Pharisæis, per Sacramenta, &c.

HÆC Propositio redolet eundē spiritum, quem Propositio xxiij. Cur enim Theologus non meminit Passionis Christi, quæ potissimum medium, quo vsus est Christus ad salutem humanam procurādam, virtute cuius alia media efficaciam habent? Cur non meminit exemplorum Christi? Inter alios enim fines Incarnationis Christi, erat iste, (vt ait S. Thomas 3.p. quæst. 1. art. 2. in corp.) *vt nobis exemplum se præberet*. Vndè Augustinus dicit in quodam sermone de Natiuitate Domini. *Homo sequendus non erat, qui videri poterat. Deus sequendus erat, qui videri non poterat, vt ergò exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.*

PROPOSITIO XXVI.

Perfectio vitæ Christi, & Apostolorum agnosci potest, tùm ex ratione viuendi, quàm in persona sui tenuit communem in victu, & vestitu cum honestis hominibus.

HÆC Propositio monstrat Theologum delicatum. Quare enim non dixit, Perfectionem vitæ Christi agnosci ex ratione viuendi, quàm in sua persona tenuit pauperrimam, vt ostensum est: sed potiùs communem in victu, & vestitu cum honestis hominibus perpendit? Cur non meminit ieiunij quadragenarij, secessus in desertū, pernoctationis in Oratione, fatigationis itinerum, eius quod non habebat

vbi reclinaret caput, non habebat vbi nasceretur, vtilitatis pannorum, atrocitatis flagellorum, asperitatis spinarum, acerbitatis denique crucis? Sed potius id aduertit, quod aduerterunt, & Pharisæi. *Ecce Magister vester manducat cum peccatoribus*. O Pharisæi, cur non dicitis: Eccè Magister vester circuit castella, & regiones? Eccè Magister vester ascendit in montem dimissis turbis solus orare? Eccè Magister vester fugit in montem? cognouerat enim quòd venturi essent, vt facerent eũ Regem? Eccè Magister vester ieiunans, non vult facere ex lapidibus panes? Eccè Magister vester fatigatus ex itinere, sedebat sic suprà fontem? Eccè Magister vester sitit? Eccè Magister vester quærit frũctum in ficulnea; & nõ inuenit? Vobis autem tantùm admirationi est quod manducat. Ex horum numero est Theologus, qui manducationi Christi attendit cruci verò minimè; carnem vult, non ossa dura tangere. Est ex his multis, qui volunt sequi Christum ad fractionem panis. Non ex his paucis, qui sequebantur ad calicem passionis. Sed qua ratione Theologus perfectionem in ratione viuendi communi, quoad victum & vestitum ponit? Vt enim notat S. Bonauen. in Apolog. Paup. Resp. 1. *Refulgent à Christo tanquam à totius nostræ salutis exemplari, & originali principio, actus multiformes. Nam quidam actus in ipso respiciunt sublimitatem potentiæ, quidam sapientiæ lucem, quidam seueritatem iudicij, quidam officij dignitatem, quidam condescensionem miseriæ, quidam informationem vitæ perfectæ, vt paupertatem seruare, virginitatem custodire, Deo & hominibus seipsum subijcere, noctes in Oratione peruigiles ducere, pro crucifixoribus exorare, & morti se summa charitate, etiam pro inimicis offerre. Cùm igitur sex sint huiusmodi actuum varietates, in his vltimis dumtaxat ipsum imitari est perfectum. Nàm in istis, quæ sunt excellentiæ singularis, est impium, & luciferianum, nisi fuerit alicui priuilegij singularis dono concessum. In his autem, quæ sunt seueritatis, & dignitatis est præsidẽtium, & prælatorum. In his quæ condescensionis, est infirmorum, in quantum loquimur ad actum extrinsecum. Neqaaquam igitur, vt dogmatizat, summa Christianæ perfectionis consistit in vniuersali imitatione actuum Christi; sed tantùm illorum, qui vitæ perfectæ imitationem respiciunt. Ex quo apparet, quòd huiusmodi veritatis ignorantia, prima fuit in eo causa erroris.* Hæc S. Bonauent. Vide Theologe, quàm graui censura à S. Bonauent. perstringaris; nimirùm te errasse asserit; quia docuisti, perfectionem Christianæ vitæ consistere in imitatione actuum Christi, eorum qui condescensionem ipsius respiciunt: cùm tantùm imitari in ijs, quæ ad informationem vitæ perfectæ pertinent, sit perfectum. Sed persistis in tua sententia; & ais manducationem, & potum Christi, esse opera informationem perfectæ vitæ respicientia: nàm hoc est quod dixisti. *Perfectionem vitæ Christi agnoscì ex ratione viuendi, quam tenuit communem in victu.* At idem S. Bonauen. te con-

condemnat in eadem Apolog. Paup. Authoritate S. Chrysost. super Matth. hom. 27. *Vides, ait, quanta est Christi in condescensione diligentia: sicut cùm comedat, & bibat; cùm videatur ex aduerso Ioanni faciens; & hoc Iudæorum gratia salutis facit, magis autem orbis terrarum vniuersi. Quid his clarius* subiungit Bonauenturæ dici potest? *In quibus asserit Christum condescendisse in cibo, & potu Iudæis, qui vtique infirmi erant, non tam carne, quàm mente. Nam, & infirmi atem carnis ipse Ioannes habebat.* Ex mente igitur Chrysostomi, & Bonauenturæ victus Christi, scilicet cibus, & potus, opus condescensionis erat. Non ergò imitari Christum in victu perfectum est. Fallum ergo dixit Theologus imò errauit, quòd perfectio vitæ Christi agnosci possit ex ratione communi viuendi, quàm tenuit communem in victu. Sed iam descendamus ad singula puncta huius Propositionis: & causa distinctionis, & claritatis, eam diuidamus per aliquot Propositiones.

PROPOSITIO XXVII.

Christus rationem viuendi in persona sua tenuit communem:

QVAMVIS Theologus non dixerit absolutè, Christum tenuisse rationem communem viuendi; (sed cum limitatione, scilicet in victu, & vestitu: quia tamen aliqui Authores absolutè scripsit reliquerunt, quòd Christus communem vitam duxerit; & hæc vox aliquibus potest esse occasio erroris: idcò Propositio hæc tractanda est. Nàm in primis Christus, non solùm vt Deus, sed etiam vt homo, erat verè Rex Regum, & Dominus Dominantium: siuè (vt Theologi docent) etiam secundùm humanitatem, habebat dominium verum, & directum omnium rerum, imò totius vniuersi, *Postula*, inquit Psalm. *à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Et nunc Reges intelligite, eruditimini, qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, Apprehendite disciplinam*, alij legunt *Osculamini filium*. Ideò adduxit Deus Reges ad præsepè infantis, vt filium oscularétur, & adorarent. Sed nunquid Christus communem vitam egit cum Regibus? Veritas ipsa rei clarè loquitur. Princeps erat, quare non communem vitam duxit cum Principibus? Summus Sacerdos erat, quare non duxit communem vitam cum Summis Sacerdotibus? Sed nec cum homi-

minibus honestis vitam duxit communem; cum ijs dico, qui non sunt principes, nec tamen sunt pauperes. In mundum enim veniens pauperrimam Matrem elegit, pauperem nutriciū adhibuit, in summa pauperrate nasci voluit; quod & stabulum & præsepe ab ipsis bestijs mutuatum, & comitatus earundem bestiarum, & panniculi, & visitatio pastorum, vilium vtique personarum, abundè testantur: Sæuitiā quoque Herodis fugiendo, non resistendo, vt pauper declinauit. Sustentabatur laboribus, & opera patris sui putatiui, vtiq; pauperis. Forsan etiam, vt aliqui Doctores existimant, arte fabrili, stipem sibi parabat. Nàm propterea videtur vocatus faber. Mar. 6. *Nonnè hic est faber, filius Mariæ?* Postmodum duxit vitam pauperrimam, vt suprà probatum: & non solùm in particulari, sed etiam in communi, vt docet S. Thomas; ideò necesse habebat mendicare, & ex eleemosynis viuere; vt idem S. Doctor asserit; & suprà dictum est. Virginitatem quoque coluit, quàm Pharisæi, Saducæi, Sacerdotes, non seruabant. Si autem Christus communem vitam duxit, maximè debuit illam ducere communem cum Sacerdotibus, Legisperitis, Scribis, Doctoribus, Pharisæis. Erat enim Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech: & Sacerdoti iudicatur congruum, conformitatem vitæ habere cum alijs Sacerdotibus; & ij maximè possunt intelligi nomine honestorum hominum, dum agitur de Prædicatorum verbi diuini qualitatibus. Sed & ab eisdem Sacerdotibus, plurimùm se discreuerat paupertate. In deserta quoq; æpiùs secedebat, quod non faciebant Pharisæi, & Sacerdotes. Ieiunauit quoque quadraginta diebus, & noctibus, qui ieiunij modus non erat communis. Et præter illa ieiunia, quæ in veteri lege Iudæis communia fuere, quæ quoque Christus seruauit, vt Doctores docent, *quia non venerat soluere legem, sed adimplere*: Matth. 5. arbitratur quoque Abulen. suprà Matth. cap. 4. quæst. 14. Quòd interdum aliqua alia, quamuis breuiora, quàm fuerit illud quadragesimale, supererogatoria obseruauit. Quòd quamuis scriptum non sit, sicut nec de obseruatione illorum ieiuniorum, quæ erant ex lege cunctis Iudæis communia - id tamen nil obstare, quominus aliquis teneat à Christo obseruata fuisse, probat Abulen. Christus quoq; non est vsus pretiosis vestibus, quòd apertè docet S. Thomas Opusc. 19. contra Impugnantes Religionem cap. 8. *Non est credibile*, inquit, *quòd Dominus Iesus Christus pretiosis vestibus indueretur, qui Ioannem commendabilem ostendit, quòd nō erat mollibus indutus: Alioquin Pharisæi, qui exteriorem sanctitatem ostentabant, sicut de eo dicebant, quòd erat vorax, & potator vini, & publicanorum amator, ita & de eo dixissent, quòd esset mollibus indutus. Milites etiam qui eū illudebant, non eum veste purpurea induissent, in signum regiæ dignitatis, si tunica inconsutilis, aut eo*

& serico contexta fuisset. Sed quòd tunicam eius milites diuidere noluerunt, hoc non fuit propter pretiositatem vestis, sed propter numerum; quia quatuor partibus superfuerat, quas milites de vestibus Christi fecerunt. Et si diuisa fuisset, omninò fuisset inutilis: in quo manifestè apparet, quòd non erat de pretiosa materia. Hęc S. Thomas. Non solùm autem vestis Christi pretiosa non erat, sed etiam vilis fuit, sicut pauperum. Qui enim natus, vilibus pannis fuit inuolutus, non potuit postea indui nisi vili veste; ne dissonantem à natiuitate vitam institueret: qui pauperem vitam duxit, vtique pauperum veste tegi debuit. Non est etiam Christus vsus mutatorijs vestibus, vt apertè colligitur ex Magistro Historiarum super Euangelia; cum quo etiã multi alij concordant, inter quos est Vvaldensis lib. 3. Doctri. Antiq. Fid. cap. 27. Hi dicunt de veste inconsutili Christi, quòd eam nunquam dimiserit ex quo adhuc puero sibi proprijs manibus mater sua, Regina generosa eam texuit; sed semper eo crescente, creuit & ipsa.

Denique Christus non adhibuit multiplicitatem vestium. Censet enim Euthymius super Ioann. 13. & 19. Et Matth. 27. Non nisi tres vestes Christum habuisse, nimirùm interiorem tunicam, siuè fubuculũ, & aliud vestimentum, quod super hanc gestari solet, & pallium, quod est extremum operimentum aliarum vestium. In hoc tamen non egisse Christum contrà consilium, quod dederat Apostolis Matth. 10. *ne duas tunicas haberent*: hoc enim intellexit de pluribus vestibus mutatorijs eiusdem rationis, & non de pluribus vestibus diuersarum rationum, quæ veluti vnum indumentum constituunt, quo homo integrè, & decenter vestiatur. Cæterùm erat tale tempus, quando Christus non solùm omni multiplicitate carebat vestium, sed neque vnicum habebat vestimentum, dùm scilicèt ipso in cruce nudo pendente, vestimenta eius inter se milites diuiserunt. In qua diuisione non spectarunt vtilitatem suam, & vt vult S. Chrysost. non tàm ex auaritia, nec propter vestium æstimationem, moti fuerunt ad diuidendas, vel sortiendas eas: (alioqui idem feciissent de vestibus latronum, quæ pretiosiores fuerũt, iuxtà Euthymium suprà citatum. *Indumenta*, inquit, *Christi viliora fuerunt, quàm latronum, qui cum ipso crucifixi erant*) sed id feciisse eos in nouam irrisionem Christi, ipsum nimirùm subsannando; ac si ea vestimenta essent eo digna, qui se Regem prędicauerat. Quod similiter & Theoph. in cap. 15. Marci sentit. Magis hoc ad opprobrium, & ex quadam lasciuia feciisse illos: quasi subsannatiuè dicerent. Quia iste dixit se Regem, habeamus singuli aliquid de regalibus vestimentis eius. Vel certè dicendum est, feciisse hoc illos. (vt alij tradunt) quia Christus totaliter omnibus fortunæ bonis in cruce spoliatus, voluit perfectissimæ pau-

paupertatis exemplum proponere, & loco testamenti suis imitatoribus relinquere. Non ergo Christus communem vitam duxit quoad vestitum. Ad quod etiam pertinet, quòd Christus Dominus nudis pedibus incesserit, & calceamentis non est vsus, sed tantùm sandaliis, quod multi SS. Patres docuerunt, & ex professo, ac fusè probat S. Bonauen. in Opusculo, in quo ostendit, Christum & Apostolos incessisse discalceatos, vbi inter alia citat verba S. Gregorij Nazianzeni. *Optabam*, inquit, *homines videre, qui viuerent ad exemplum prædicatoris Euangelij Christi, nudis pedibus incedentes, propter regnum pauperes, propter paupertatem veges*. In eodem Opusc. ea quæ videntur esse in contrarium, sufficientissimè & eruditissimè soluit.

Christus quoquè, nec domicilium proprium habuit, vt patet ex eo, quòd non in sua domo natus, imò nascenti, *non erat locus in diuersorio*: ab alijs etiam læpè emendicauit hospitium, vt à Zachæo, Martha, & ab eo apud quem celebraturus erat Pascha cum discipulis: Denique proprio sepulchro caruit. Sed magis id exprimunt verba ipsius Saluatoris nostri. Matth. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*. Non dixit: Homines huius sæculi habèt sua prædia, possessiones, & domos: ego verò nequaquam. Sed bestias produxit, vt ostenderet, se etiam hac re illis inferiorem: neque magnas bestias, vt leones, elephantes, boues, & equos, & alia huiusmodi attulit; sed minores, scilicet vulpeculas, & aues cæli. Tàm arctam paupertatem monstrauit Dominus mundi: vt non putem posse remanere locum ambigendi apud aliquem, an Christus habuerit possessiones, prædia, cæteraquè huiusmodi bona immobilia? posteaquam ipsemet tàm Illustre testimonium de se perhibuit; scilicèt se nec habere vbi caput suum reclinaret.

Christus etiam quamuis cum hominibus conuersatus fuerit, tamen frequenter in loca secretiora se recipiebat, & à consortio illorum sæpiùs se subtrahebat: & hoc quidè ipso etiam tempore prædicationis. Vt plurimùm quoque cum pauperrimis, & simplicibus conuersabatur: secundùm illud Prouerb. 3. *Cum simplicibus sermocinatio eius*. Ideòq; discipulos pauperes, & simplices, non diuites & nobiles, in suum collegium assumpsit, & cum illis ordinariè conuersatus est: Nonnunquam etiam cum peccatoribus, & publicanis, quorum (vt ait Chryf. Hom. 38. in Matth.) *Mensas elegit, vt publicanos, & peccatores saluaret*. Cæterùm in aulis diuitum, aut Regum, vt minimùm commoratus fuit. Et inuitatus à Regulo Ioan. 4. vt descenderet in domum suam, & sanaret filium suum, ire noluit: Sed & tempore passionis nullum signum coràm Herode ostendere voluit, nec aliquam prædicationem instituere. Vndè

pulcherrimè quidam author inquit: *Cur silet verbum Dei in aula Herodis Tetrarchæ, quod in deserti locis turbas docet, & iuxtà mare ex naui Petri? O Domine, eximiam nobilemque habes Auditorum copiam in hac aula Regem habes Herodem, Sacerdotum Principes, Herodis exercitum. Rex ipse te rogat; Diuinum os aperi, rerum diuinarum imperitos Auditores doce. Tacet verbum Dei, nil respondet Herodi interroganti. Noluit Christus respondere, & miraculum facere coram Rege, eiusque nobilibus, vt exemplum nobis præberet fugiendi ostentationem coram Magnatibus. Vinam concionatores iactantiam declinent, vtinam pauperibus cupiant Euangelizare, (cæteris paribus) potiùs, quàm Regibus.* Hæc ille. Sic igitur patet, quomodo Christus minimè se familiarem exhibuerit Regibus, & Magnatibus huius sæculi. Vndè & ipsemet de Ioãne loquens Matth. 11. inquit: *Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt*; seu vt Lucæ 7. habetur: *Ecce qui in veste pretiosa sunt, & in deliciis, in domibus Regum sunt.* Quibus verbis iudicabat, non decere eos in aulis Regum morari, qui mollibus, & pretiosis non vestiuntur, & in delitijs non sunt. Certè Christus nunquàm locum in aula habere potuit, in qua veritas locum non habet, vt videre est ex illo, quòd cum Pilatus quæsijsset à Christo. *Quid est veritas?* responsum tamen veritatis de veritate minimè expectare voluit. Et sanè Christus vt in plurimùm in aulis Regum, & Magnatum malè tractatur. Ibi deridetur, ibi contemnitur, ibi exiugillatur, & inde turpiter eijcitur: quemadmodum hæc Christo contigisse tempore passionis legimus, & modò spiritualiter contingere videmus. Meritò Christus declinabat aulas Regum, & Magnatum, & Principũ, vbi sua doctrina exulare cogebatur, ac proindè cum pauperibus magis conuersatus est, eisque Euangelium prædicauit, secundùm illud, quod de seipso in synagoga, ex Isaia legit, vt habetur Luc. 4. *Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me.* Non enim diuites quæsiuit, aut potentes, quibus lætissimum Euangelij nuntium promulgaret, sed plebem. Ideò, & Principes plebis Iudæorum potiùs eius prædicationi restiterunt, & tandem cruci eum addixerunt. Quare, & pauperes elegit Prædicatores iuxtà illud Matthæi 11. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* Ecce inter alia signa, quòd ipse esset verus Christus posuit pauperum prædicationem (per hoc enim, quod dicit, *pauperes euangelizantur*, intelligit Theophylactus, ipsos Apostolos prædicãtes) prædicatores nempè Christi pauperes esse debent, & indè gaudere, quòd à Regibus, & principibus contemnuntur, & exiugillantur.

Illud etiam notandum est, quòd Christus quamuis cum hominibus conuersatus fuerit, non tamen negotijs sæcularibus se implicuerit.

Quòd

Quòd clarè colligitur ex historia Euangelica. Vt enim habetur Lucæ 12. *Quidam de turba dixit ei; Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit illi: Homo. quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? Dixitque ad illos. Videte, & cauete ab omni auaritia: quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex bis quæ possidet.* Vbi duo singulariter aduertenda sunt. Primum est, quòd à Christo requisitum fuit, non vt diuideret hæreditatem; sed vt diceret fratri, vt diuideret hæreditatem: quod non videbatur esse alienum à prædicatione Euangelij; vt quamuis ipsimet diuitioni non se immiscuisset; tamen consilium de ea facienda suggeresset: quòd tamen renuit. Aliud est, quod statim subiunxit: vt caueamus ab omni auaritia: quia facilè nota, & suspicio auaritiæ cadit in eos, qui consilijs dandis, de substantiarum distributione se ingerunt. Quod debuit cauere Theologus scriptor huius Epistolæ, ne hæc nota caderet in illum, sed potiùs Illustrissimo scisciranti, quomodo posset bona sua distribuere? respondere cum Christo potuit, ne dicam debuit. *Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem*: eò magis, quia Christus voluit, vt sui imitatores non se intricarent curis mundanis. Quod potest patere ex eo, quod habetur Lucæ 9. Dixerat enim Dominus ad quendam. *Sequere me: ille autem dixit: Domine permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum. Dixitque ei Iesus: Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei. Et ait alter: Sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renuntiare his, qui domi sunt. Ait ad illum Iesus. Nemò mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Vndè, & ex hoc fonte hausit, quod deindè eructauit Paulus 2. ad Timoth. 2. *Nemò militans Deo, implicat se sæcularibus negotijs.* Non ergo Christus communem vitam duxit quoad negotiorum tractationem.

Sed tandem quomodo omninò communem vitam duxit, etiá quoad exteriorem hominem, qui nequaquam communi morte, vt est res clarissima, mortuus est, & (vt suprà dictum est) non communem natiuitatem elegit? nisi aliquis dicat, quòd progressus vitæ ipsius dissonabat à principio, & fine: quod asserere, nescio si audeat aliquis Christianus, ne dicam Catholicus. Verendum est ergo, ne detur occasio errori, pronuntiando absolutè Christum communem vitam duxisse, quoad exteriorem conuersationem. Sed si placet alicui, quòd Christus communem vitam duxerit, (quod etiam aliqui scriptum reliquerunt) intelligat Christum communem vitam duxisse cum pauperibus: vt patet ex tota serie eius vitæ; & est definitum in decretis Pontificũ: Christum pauperem vitam duxisse. Conforme est id Sancto Thomæ 3. p. q. 40. art. 3. ad 2. vt infrà citabitur. Sed quia Theologus cum limitatione protulit dictam Propositionem, ideò rursùm expendenda est.

PROPOSITIO XXVIII.

Christus rationem viuendi in persona sua tenuit communem in victu, & vestitu, cum honestis hominibus,

HÆC Propositio, videndum est, ne sit occasio deceptionis: Nomine enim honestorum hominum, non intelliguntur pauperes; sed nomines mediocres, siue medij inter diuites, & pauperes: quamuis & huiusmodi conditionis homines, scilicèt qui videntur ex suo statu esse mediocris fortunæ, aliquando soleant esse diuites, vt patet in artificibus: siue ducant vitam indifferentem ad paupertatem, & diuitias, hoc est, cui coniungi possint, & diuitiæ, & paupertas. De fide autem est, quòd Christus pauperem vitam duxerit: & consequenter dicendum, quòd vitam communem duxerit in victu, & vestitu cum pauperibus. Maximè enim paupertas exterior apparet in victu, & vestitu. Non ergo Christus duxit communem vitam in victu & vestitu, cũ mediocribus nominibus, siue cum his quorum status est indifferens ad diuitias, & paupertatem. Quòd si Theologus attendat ad mentem S. Thomæ: iam quòd secundùm ipsum (vt visum est) Christus Dominus fuit pauper, non solùm in particulari, sed etiam in communi; multò magis indè infertur, quòd Christus non duxerit vitam communem, in victu, & vestitu, cum mediocribus hominibus, qui nomine honestorũ hominum videntur intelligi, sed duxit communem vitam cum pauperibus. Ità expressè S. Thomas 3. p. q. 40. art. 3. ad 2. *Communi*, inquit, *vita vti quantum ad victum, & vestitum, potest aliquis, non solùm diuitias possidendo, sed etiam à mulieribus, & diuitibus necessaria accipiendo, quod etiam circà Christum factum est: dicitur enim Lucæ 8. Quòd mulieres quædam sequebantur Christum, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Sed placet adhuc diuisam per membra trutinare Propositionem Theologi.

PROPOSITIO XXIX.

Christus rationem viuendi in persona sua tenuit communem in victu cum honestis hominibus.

HÆC Propositio eodem modo expendenda est vt priùs. Nam vt omittamus ieiunia Christi, esuriem, & sitim ipsius; certè quando

quando legitur non ad mensas diuitum, sed cum discipulis manducasse, ficmentio de cibis vilibus, vt panibus hordeaceis, piscibus, melle. Et id debet attendi, vt æquum iudicium feratur, an Christus communem vitam duxerit in victu cum alijs. Quando enim vocabatur ad mensas aliorum: non mirum est, quòd ille qui dixit: *manducate quæ apponuntur vobis*. id ipsum perficeret, & quòd more pauperum mendicantium quæcunque oblata sibi manducaret. Eo igitur modo diceretur Christum communem vitam duxisse in victu cum honestis hominibus, quo diceretur pauperem ex eleemosyna viuentem, communem vitam in victu cum Rege ducere, quando oblatum sibi cibum de mensa Regis mãducat, vel communem vitam in victu cum quibusuis diuitibus, quia de mensa quorumcunque diuitum sibi cibum offerentium, epulatur. Christus autem, (vt suprà dictum est) ex eleemosynis, & mendicato pane viuebat.

PROPOSITIO XXX.

Christus rationem viuendi in persona sua tenuit communem in vestitu cum honestis hominibus.

HÆC Propositio trutinanda est eo modo, quo & præcedens. Chrysost. enim Hom. 84. in Ioannem de tunica Christi contexta desuper per totum, ait: *In Palæstina ex duobus pannis vestes contexunt: quod significans Ioannes*, inquit, *Desuper contexta*. *Quod mihi dicere videtur, vt vestimentorum vilitatem ostenderet. Nam quemadmodum in alijs omnibus, ita in habitu vilem speciem præferebat.* Euthymius etiam suprà citatus censet: indumenta Christi viliora fuisse, quàm latronum, qui cum ipso crucifixi erant. Sed audiamus S. Isidorum Peluſiotam lib. 1. Epist. 74. ad Crotonem Monachum hac de re laquentem. *Quòd vestitus mollities, & subtilitas, colorque elegans, religiosæ ac Deo gratæ exercitationis regulam minimè seruet, Theologum Ioannem interroga Domini tunicam describentem; ac tibi dicet. Erat autem tunica eius inconsutilis desuper contexta per totum. Quis autem vestis illius vilitatem ignorat? vt qua Galilæorum pauperes vtantur; apud quos etiam maximè huiusmodi vestis genus fieri solet, arte quadam, vt pectoralia, retractim consutum. Audi etiam Matth. cum de Ioanne Baptista verba facit, ac tibi dicet. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum ex pilis camelorum. Vide item illum animi magnitudine præditum, ac diuino spiritu afflatum Lucam, Herodis fastum narrantem, atque eam, qua indutus erat, vestem traducentem eosque, qui mollia indumenta gerunt, in*

Regum domibus versari dicentem. At huiusmodi vestimenta spirituali illo thalamo fulguris in modum rutilante minimè digna sunt. Quamobrem si huius desiderio teneris, vilem Dei nostri IESV *vestitum imitare. Nam mollities præsentis lasciuiæ est, non cælestis splendoris.* Hæc ille. Eccè clarissimè vilem Christi vestitum, & communem cum pauperibus asserit.

PROPOSITIO XXXI.

Vt ponderat S. Thomas 3. p quæst. 40. art. 2. vbi quærit: Vtrum Christus austeram vitam in hoc mundo ducere debuerit? Et respondet; Conuenientissimum fuisse, vt se Christus in cõuersatione hominibus conformaret. Secundum illud Apostoli ad Corinth. 9. Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifaciam. Ideoquè congruum fuisse, vt Christus in cibo potuque communiter se ficut alij haberet. Idquè probat verbis Christi Matt. 11. Venit Ioannes non manducans, neque bibens. Venit filius hominis manducans, & bibens; & dicunt: Eccè homo vorax, & potator vini.

HÆC Propositio falsè, & incongruè assumit auctoritate S. Thomæ ad probationem intenti. Theologus .n. dicit, quòd Christus Dominus rationem viuendi in persona sua tenuerit communem in victu & vestitu. Sanctus autem Thomas nihil meminit de vestitu; sed tantũ de cibo & potu; vt legenti constabit. Theologus vult, quòd Christus Dominus rationem viuendi in persona sua tenuerit communem in victu, & vestitu, cum honestis hominibus. S. autem Thomas docet Christum in cibo potuque communiter se sicut alios habuisse. Quod non est alienum à statu pauperum. Rectè enim pauperes dicuntur, communiter se habere in cibo potuque sicut alij, quia manducant de cibis sibi oblatis à quibuscunque. Et certè si in hoc sensu diceret aliquis Christum communem vitam in victu duxisse cum alijs, quia manducabat sibi oblata à quibuscunque, & ex eleemosynis quorumcunque victitabat, non erit alienus à modo loquendi S. Thomæ, & à mente ipsius; vt visum est.

PRO-

PROPOSITIO XXXII.

Ex quo loco colligunt alij quoque SS. Patres, consultò instituisse Christum vitam minùs seueram, ac rigidam quàm Ioannem, vt facilius omnes lucrifaceret.

HÆC Propositio vera quidem est cum aliquibus limitationibus: potest tamen simplicibus præbere occasionem erroris, vt estiment Christum non duxisse vitam seueram, & rigidam. Absolutè .n. loquendo falsum est, Christum non duxisse vitam austeram, & rigidã: comparatiuè tamen loquendo, verum est quòd Christus minus seueram, & rigidam vitam instituit, quàm Ioannes: non quidem pro toto tempore vitæ suæ, sed pro tempore prædicationis: neque quoad omnes austeritates, sed quoad aliquas, vt ieiunium, abstractiones ab hominibus, & similes: & hoc quoad exterioré apparentiam, non quoad afflictiones carnis, quæ passim non videntur ab alijs, vt ponderant aliqui pij Theologi. Porrò quòd absolutè loquendo Christus duxerit vitam austeram; demõstrat ipsius natiuitas in paupertate, in incommoditate, frigore; duriſſima lex circumcisionis, fuga in Ægiptum, & exilium, ieiunium quadragenarium, summa paupertas, scilicet cum abdicatione omnium, tàm in particulari, quàm in communi, nuditas pedum, peregrinatio tot regionum sine vllo vehiculo, frequens fatigatio, tolerantia famis & sitis, prolixitas vigiliarum, siuè pernoctatio in oratione, cubatio in nuda humo, priuatio domicilij proprij, deniq; clarissimè ipsa mors, & crux, cuius dolores adeò intensi fuerunt, vt non desit opinio aliquorum existimantium eos excessisse intensiuè omnes dolores omnium martyrum collectiuè sumptos. S. autem Thomas 3. p. qu. 46. art. 6. ait: *Vterque dolor in Christo* (scilicet, & dolor sensibilis, & dolor interior) *fuit maximus inter dolores præsentis vitæ*. Sed quis dubitet, tormenta & supplicia Christi fuisse horrenda, & atrocissima, ac mortem acerbissimam? Denique Saluator noster initium prædicationis suæ fecit de pœnitentia agenda. Matth. 4. *Exinde Iesus cœpit prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite*. Constat autem quòd Christus prius faciebat, quàm docebat. Prius ergo pœnitentiæ exemplũ alijs præbuit, per quam non propria, sed aliena exsoluebat peccata. Hinc est quòd aliqui Theologi æstimant Christum nõ solùm austeritate, quæ est manifesta, respectu hominum vsum fuisse, sed etiam secretis, & occultis cor-

corporis castigationibus, & afflictionibus: hoc enim non indecens, neque incredibile esse videtur, imo conuenientissimum ardori, quo tenebatur salutis & redemptionis nostræ, & desiderio satisfaciendi abundantissimè pro peccatis nostris. Si enim quamuis gutta vna sanguinis eius sufficientissima, ac efficacissima fuit ad redemptionem generis humani, tamen totum sanguinem profudit; ita quamuis exterior vitæ austeritas nota hominibus, abundantissimè sufficeret ad satisfactionem pro peccatis nostris, tamen verisimile est, quòd amor extorserit ab illo secretas macerationes corporis. Illud etiam aduertendum est ex S. Tho. loco citato, quod ea quæ erant afflictiua corporis Christi, etsi minora quoad apparentiam, quàm rigores Ioannis Baptistæ videbantur, ex alio tamen capite plurimùm præponderabant. Sanctissimum enim Saluatoris nostri corpus, quia erat optimæ, ac subtilissimæ complexionis, ac tactus perceptibilissimi (vtpotè quod formatum fuerat miraculosè operatione Spiritus sancti) omnes totius vitæ molestias, omnes fatigationes, omnes afflictiones, omnes cruciatus, tantò acrius sensit, tantoq; vehementius pertulit, quàm alius quiuis ex hominibus; quantò constitutio corporis illius excellebat, & præminebat cuiuuis alterius complexioni. Quod ergo ex vna parte videbatur deesse austeritati, ex alia parte supplebatur.

Sed quia Theologus dicit, aliquos SS. Patres docuisse, quòd Christus minùs seueram vitam instituit, quàm Ioannes Baptista: sciendum est, quòd hoc in Christo fuit condescensionis, & conuenientiæ, propter infirmitatem quorundam, non tam corporis, quàm mentis: qui Christū in arduis non possunt imitari. Hanc rationem dat S. Bonauent. loco citato suprà, circà propositionem xxvj. Et Abulen. in Matth. cap. 11. quæst. 43. & suprà cap. 4. eiusdem Matth. qu. 13. *Quia*, inquit, *plures homina futuri erant mediocris, quàm excellentis vitæ, & propositi: ideò Christus pauco tempore secutus est vitam arduam, & ab omnibus separatam; reliquo autem tempore mediocritatem tenuit.* Hæc Abulensis. Perfectis ergo vitæ austeræ dedit exemplum, ieiunando quadraginta diebus, & noctibus, & manendo in solitudine; imperfectis autem condescendit, seruando mediocritatem: vtsuprà dictum est.

Notent hic Prædicatores, vt antequam muneri prædicationis se accingant, priùs per vitæ contemplationem, & austeritatem vitia carnis in se perfectè mortificent. *Hoc enim conuenit vitæ*, (vt ait S. Tho. 3. p. q. 40. art. 2. ad 3.) *secundùm quàm aliquis contemplata aliis tradit; quàm Christus dicitur assumpsisse, vt primò contemplationi vacet, & postea ad publicam actionis descendat aliis conuiuendo.* Quæstione verò 41. art. 3. ad 1. ait: *Nullus debet assumere prædicationis officium, nisi priùs fuerit purgatus, & in virtute perfectus,*

fectus, sicut & de Christo dicitur Actor. 1. Quod cœpit IESVS facere, & docere. Et ideò Christus statim post Baptismum austeritatem vitæ assumpsit, vt doceret, post carnem edomitam oportere alios ad prædicationis officium transire secundum illud Apostoli. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauero ipse reprobus efficiar. Hæc S. Thomas. Imprimant suis cordibus, (per viscera Christi oro & obtestor) has tres aureas sententias ab Angelico Doctore exaratas, iuxtà prototypum omnis perfectionis Christum. Prima est, *Prædicator primò contemplationi vacet, & postea ad publicum actionis descendat, alijs conniuendo.* Secunda est, *Nullus debet assumere Prædicationis officium, nisi prius fuerit purgatus, & in virtute perfectus.* Tertia est, *Post carnem edomitam oportere ad prædicationis officium transire.*

PROPOSITIO XXXIII.

Quemadmodum ait Sanctus Chrysost. homil. 38. in Matthæum.

HÆC propositio falsissimam citationem continet, & magnam infidelitatem Authoris ostendit, ipsiusq; doctrinam potius redarguit, quàm defendit. Quòd vt pateat necessarium est in primis producere integrum locum S. Chrysostomi. Sic ergo ille inquit Aniano interpr. *Cui autem assimilabo generationem hanc? similis est pueris sedentibus in foro, qui ad clamantes sodalibus suis dicunt: Tibia cecinimus vobis, & non saltastis; lamentati sumus, & non planxistis. Hæc rursus, quamuis suspendi, separarique a superioribus videantur, valde tamen illis connuncta sunt; & ad illum locum pertinent, quo sibi ipsi censuit, Ioannem facere ostendebat, etiamsi ea quæ fiebant, contraria essent. Probat igitur nihil spectare ad salutem ipsorum, quod iam diligenter adhibitum non sit, & in medium illud quasi adducit Propheticum. Quid oportebat facere hæc vineæ, & non feci? Cui enim, ait, similem existimabo hanc generationem? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes cum æqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentati sumus, & non planxistis. Venit enim Ioannes, neque manducans, neque bibens: & dicunt dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens: & dicunt. Ecce homo vorax, & vini potator, publicanorum amicus, & peccatorum. Huiusmodi autem est, quod dicitur. Oppositis quibusdam itineribus, ego & Ioannes ad vos venimus, idemque fecimus, quod venatores solent facere; qui quando fugacissima, captuque difficillima, insectantur animalia, non vna via, sed diuersis, & non diuersis solùm, sed per contraria plerumque aggrediuntur, vt si alterum effugerint, in alterum incidant. Nam quoniam vinum-*

sum penè genus hominum maximè ieiunantes solet admirari, & duritiem viuendi minimum approbare: idcircò statim à teneris vnguiculis, dispensatione diuina duriter vixit Ioannes, ad hoc vt ad credendum verbis suis populi ducerentur. Sed cuiusnam rei gratia, inquies, hoc ipse iter viuendi ingressus non est? Imò verò hanc quoque viã ipse confecit cum quadraginta diebus ieiunauerit, & circumierit ità docens, vt non haberet vbi caput reclinaret. Sed tamen etiam aliter id ipsum præparauit, vt facilius omnes lucrifaceret. Idem enim erat, aut etiam maius, testimonio eius, qui durissima disciplina viuendi fuerat vsus approbari, quàm ipsum ieiunare, atque duriter viuere. Præterea præter vitæ sanctimoniam, nihil aliud magni Ioannes ostendit. Nullum enim, ait, signum Ioannes fecit: Christus verò signorum, atque miraculorum testimonio claruit. Illam autem aliam viuendi viam, qua ieiunio claros effecit, Ioanni omninò postea dimisit: ipse verò publicanorum, atque peccatorum mensas elegit, vt publicanos, & peccatores saluaret. Interrogabimus ergo Iudæos, si ieiunium admirantur, atque collaudant, cur Ioanni ieiunanti non crediderunt, cuius verba ad Iesũ apertissimè illos addiicebant? Quòd si grauis quædam res, atque tristis ieiunium ipsis videtur; cur Iesum comedentem, atque bibentem repulerunt? vtraq; enim via, siuè Ioannem, siuè Iesum recepissent, salutem consequebantur. Illi autem quasi crudelis quædam bestia, contumelijs vtrumque lacerarunt. Non erat ergo culpæ eorum, quibus non credebatur, sed eorum qui credere nolebant. Nemò enim non insanus, contraria simul vituperare, ac laudare studet. Quod autem dico huiusmodi est: qui remissos latosque homines laudant, hi seueros, atque tristes ferre non possunt; & qui seueros laudant, hi latos repudiant. Non enim patimur vtrosque simul iudicio nostro approbare. Propterea etiam ipse ait; Tibia cecinimus vobis, & non saltastis; ideſt, remissiore viuendi disciplina volui vos attrahere, & noluistis: lamentati sumus, & non planxistis; ideſt noluistis attentam Ioanni mentem adhibere, qui durissima disciplina viuendi ad vos venit. Non enim ad aliud Ioannes, ad aliud ego vos induco: quippe vnum est vtriusque consilium, etiamsi viuendi studia contraria videantur. Quapropter ea quæ ab vtrisque facta sunt, communia sunt. Non enim à dissrepantia, sed a summa concordia contrarias vias elegimus, quæ tamen ad vnum exitum omninò perducunt. Qua igitur excusatione vti poterutis? Hæc S. Chrysost. Quibus perpensis iudicet æquanimis Lector, an S. Ioannes Chrysost. dixerit Christum instituisse vitam minus seueram, ac rigidã, quàm Ioannem? ad quod vtique intentum Theologus citat hanc auctoritatem. Imò verò oppositum S. Chrysost. expressè asserit, quando ait Christum quoque viam duræ vitæ confeciſſe, cùm quadraginta dies ieiunauit, & circuiuit, ita docens vt non haberet vbi caput reclinaret. Et quamuis asserat, Christum Ioanni dimisisse viam viuendi, quæ ieiunio claros effecit; tamen in altero duritiam vitæ Christi consideraſt: nempè in circumeundo regiones, ità vt non haberet vbi caput reclinaret. Sic ergò Christus, quamuis in vno austeritatem vitæ Ioannis sec-

ta-

ctatus non fuerit, in altero tamen excessit. Non est autem necesse asserere, Christum dimisisse omnes austeritates Ioanni: & non est necesse virum, cuius austera vita iudicatur, omnes austeritates assumere: sed secundùm exigentiam rerum & officiorum, quæ gerit, has assumere, alias intermittere. Videat ergo Theologus an rectè citauerit S. Chrysostomum? Videat an ex mente Chrysost. Christus vitam minus seueram, & rigidam, quàm Ioannes absolutè loquendo, hoc est in omni, instituerit? Imò potiùs discat ex S. Chrysost. Christum vitam etiã austeram duxisse: & si placet ei perfectionem vitæ Christi ponere in ratione viuendi communi, ponat etiam perfectionem vitæ Christi in ratione viuendi austera, si non est delicatus, non suscipiat vitã tantùm Christi communem, sed etiam austeram. Sed video semper blanda prædicat. Sciat deinceps ordinem vitæ, quem debet tenere Prædicator ad imitationem vitæ Christi, vt scilicet ad exemplum ipsius, prius ducat vitam austeram, deindè verò communem. Hoc enim vult S. Thomas citatus 3. p. q. 41. art. 3. ad 1. cuius ipse coloribus depingere studuit suam Epistolam. Statuat ergo hanc Maximam, & hoc primum principium. *Prædicator Euangelij, ad exemplum Christi, debet prius ducere vitam austeram, deindè verò edomita carne communem.* Non igitur Prædicator Euangelij debet nusquam exercuisse vitam austeram, sed semper tantùm communem. *Ideò enim Christus*, ait Sanctus Thomas, (vt non negligatur, quod non frequenter inculcatur) *statim post Baptismum, austeritatem vitæ assumpsit, vt doceret post carnem edomitam oportere alios ad prædicationis officium transire.*

PROPOSITIO XXXIV.

Illam ergò Religionem perfectissimam ne dubita, quæ est vitæ, & muneri Apostolico simillima.

PRopositio equidem verissima & certissima. Sed non est talis Religio vitæ, & muneri Apostolico simillima, qualem in hac Epist. depinxit Theologus. Quod vt pateat necesse est prius inducere, qualis vita fuerit Apostolorum. Deinde verò cum ea, Religionis à Theologo probatæ Idæam Platonicam conferre. In primis ergo certũ est, quòd vita Apostolorum fuerit contemplatiua, simul & actiua, & taliter disposita; qualiter conuenit vitæ, secundùm quam aliquis contemplata aliis tradit, qualem etiam Christus dicitur assumpsisse, (vt ait S.

Thomas 3. p. q. 40. art. 2. ad 3.) *vt primo contemplationi vacet, & postea ad publicum actionis descendat, aliis conuincendo.* Vndè, & Apostoli longis orationibus se priùs occupabant, vt suprà habitum est. Deinde ét tæpiùs secretiora loca, & ab hominũ consortio abstracta petebant, vt Oecumenius de illis testatur. *Segregata*, inquit, *ab vrbibus loca sectabantur Apostoli, vtpotè solitudini, & quieti amici.* Singulariter autem quando onus prædicationis suscepturi erant, & in omnes mundi partes Euangelij seminandi gratia mittendi, vacarunt solitudini, manentes in cænaculo, *perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Iesu, & fratribus eius*, secundùm præceptum Domini, *Sedete hic in ciuitate; donec induamini virtute ex alto.* Noluit quippe Christus (quemadmodũ ait S. Chrysost. suprà hunc locum) discipulos suos ante Aduentum Spiritus sancti, tanquam inermes, & sicut absque auriga equos prodire in publicum. Vndè & dixit, quòd sederent. Sedere autem est quasi quiescere ab exteriori occupatione, quod maximè solitarijs competit, secundùm illud, quod dicitur Threnor. 3. *Sedebit solitarius, & tacebit.* Apostoli quoq; pauperem vitam duxerunt, vt passim SS. Patres, & Theologi docent, & etiam suprà dictum est. Et sanè si inspiciamus testimonia SS. Patrum, & Historias de Apostolis, eos summæ paupertatis fuisse, quilibet iudicabit. In primis enim S. Gregor. Nazian. in Oratione de amore paupertatis, adeò pauperem viuendi normam S. Petrum sibi præscripsisse ait, vt lupinis famem vrgentem expelleret, nempè quia aliquid aliud ei deerat, præ inopia summa, quo se reficeret. Sanctus quoque Paulus de seipso ait Act. 10. *Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupiui.* Hinc S. Chrysost. de laudibus Pauli, sic inter alia habet: *Paulus pecuniam non possedit. Nàm ipse hoc testatur. Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur. Et quid dico pecuniam, cùm ipse necessarium sæpè non haberet cibum, nec quo circumdaretur indumentum?* Et rursus ibidem: *Iob cùm boues, & oues haberet innumeras, erat in pauperes liberalis. Paulus verò nihil aliud corpore suo possidens de hoc ipso sufficienter indigentibus ministrabat.* Sanctus quoque Ambrosius in 2. Corint. cap. 11. ait: *Cùm in ciuitate Diabolus eum occidere non posset, latrones sibi excitabat in via, cùm nihil ferret, quod latrones caperent.* Consentit S. Bonauen. in Apol. Paup. Resp. 3. cap. 1. vbi sic de eodem Apostolo inquit: *Quomodo ergo dicit habere omnia & abundare? Nec debet, nec potest intelligi, quantum ad opulentiam, siuè affluentiam rerum, sed quantùm ad sufficientiam mentis.* De qua S. S. Augustin. in lib. de Beata vita. *Nullus perfectus aliquo eget; & quod videtur corpori necessarium sumet, si affuerit, si non affuerit, istarum rerum non frangetur inopia.* Hæc S. Bonauent. Qui etiam paulò ante in eodem loco testatur de S. Ioanne Euangelista, eandem formulam paupertatis, & ipsum

cum

cum discipulis suis tenuisse, ex quibus aliqui, qui magnas reliquerant opes, dum postmodum præ nimia egestate tentarentur, sic eis fertur dixisse, vt in eius legenda habetur: *Nunquid non valet manus Domini, vt faciat seruos suos diuitijs affluentes? Sed in hoc certamen statuit animarum, vt sciat se æternas habituros diuitias, qui pro eius nomine temporales opes habere noluerunt.* Quamuis autem dicatur S. hic Euangelista, Virginem matrem à Christo in cruce sibi demandatam in sua recepisse; non tamen inde sequitur, ipsum verè pauperem non fuisse, vel aliquid suũ possedisse: quemadmodum hoc pulchrè ostendit S. Ambrosius tomo 1. in lib. Exhort. ad Virg. *Quid est in sua*, inquit, *cùm reliquerit patrem, & Christum secutus sit? Aut quomodo in sua cùm ipsi Apostoli dixerint: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te? Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana & sæcularia non habebat, quia de mundo non erat? Quæ ergo habebat sua, nisi ea, quæ à Christo acceperat? Bonus verbi sapientiæque possessor, bonus receptor gratiæ. Audite quæ Apostoli à Christo acceperint. Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remissa erunt: & quorum detinueritis detenta. Neque enim mater Domini Iesu nisi ad possessorem gratia demigraret, vbi Christus habebat habitaculum.* Hæc Sanctus Ambrosius. Cui consentit in eadem explicatione Vvalden. lib. 4. Doct. Fid. Ant. ar. 1. cap. 5. *Videte*, inquit, *confessionem Sancti Ambrosij, quod S. Ioannes vi professionis illius, Ecce reliquimus omnia: nihil sibi reseruauit de mundo, non aurum, nec argentum, non agrum, nec domum, sed omnibus his contemptis pauper, & nudus in solum hospitium gratiæ, quod accepit, matrem Domini recollegit, quæ vtique ad eum non diuertisset, si quidpiam præter gratiam possideret, quia non est conuentio Dei ad Belial.* Hæc Vvaldensis. Eandem Paupertatis districtionem B. Thadæum Apostolum seruasse ostendit S. Bonauent. vbi suprà ex Euseb. lib. 1. Eccl. Hist. cap. 13. *Cùm enim*, inquit, *post Christi ascensionem Abagarus Rex saluatus à præfato Apostolo, præciperet eidem dari aurum & argentum, ille non accepit, dicens; Si vostra reliquimus, quomodo accipiemus aliena?* Et quamuis Eusebius Thadæum hunc non existimet Apostolum, sed vnum ex numero septuaginta discipulorũ Christi; nihilominùs S. Hieronymus in Matth. cap. 10. vnà cum S. Bonauent. hoc loco, eum potiùs ex duodenario numero Apostolorũ fuisse tradit. Vide Baron. tomo 1. Ecclesiast. Annal. circà annum Domini 43. Demùm S. Ambrosius quorundam Apostolorum in speciali commendat paupertatem, lib. 9. in Luc. cap. 20. vbi sic inquit: *Imaginem Cæsaris non habet Petrus, quia dixit reliquimus omnia, & secuti sumus te. Imago Cæsaris non reperitur in Iacobo, & Ioanne, quia filij tonitrui sunt.* Per imaginẽ verò Cæsaris apertè intelligit diuitias sæculi, vt patet, tùm ex præcedentibus verbis illius, tùm ex subsequentibus ibidem: Sic enim posteà subinfert. *Et si tu vis non esse obnoxius Cæsari, noli habere quæ mundi sunt.*

Sed

Sed si habes diuitias obnoxius es Cæsari. Si vis nil Regi debere terreno, relinque omnia, & sequere Christum. Sanctus quoque Bernard. supra illud, *Ecce nos reliquimus omnia*, sic ait: *Habetur in Euangelio, & perfectionis consilium, & infirmitatis remedium. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Hæc perfectio est. Si quidem filius hominis vbi caput reclinaret non habebat. Petro, & Ioanni nec aurum, nec argentum erat. Paulus simplici victu, & vestitu contentus, hæc ipsa labore manuum acquirebat.* Hæc igitur omnia satis superque demonstrant, quàm verè pauperes, & egeni fuerint Apostoli, vt meritò de eis dixerit S. Hieronym. in Epist. 35. ad Exuper. *Nemo Apostolis pauperior fuit, & nemo tantùm pro Domino dereliquit.*

Eò vique autem Apostoli paupertatem sectati sunt, quòd non solùm in particulari, sed etiam in communi pauperem vitam duxerunt: Hoc est, ita fuerunt pauperes, quòd dominium rerum, quibus vtebantur, penes ipsos nullatenus remanebat, vt suprà probatum est ex S. Thoma. Et tanè Christus fuit pauper in particulari, & in communi: vtiq; Apostoli qui Christi vitam maximè imitati sunt, & perfectissimè in se expresserunt, debuerunt esse pauperes, & in particulari, & in communi. Eo magis, quòd Apostoli fuerunt professores perfectionis excellæ atque adeò in summo fastigio perfectionis erant constituti: Vndè meliora semper charismata æmulati sunt, & ea, quæ maioris perfectionis sunt obseruarunt. Maioris autem perfectionis est paupertas illa, quæ est sine possessionibus in communi, quàm illæ, quæ possessiones in cõmuni habet, vt expressè docet S. Thomas Opusc. 19 cap 6. vbi multoties id repetit, & pluribus rationibus probat. Apostoli ergo paupertatem, quæ possessiones in communi excludit, coluerunt: Imò paupertatem voto firmarunt, vt suprà dictum est. Mendicarũt etiam, vt probat Vvaldensis, lib. 4 Doctr. Fid. art. 1. cap. 6. Hoc manifestè colligit Theoph ex illo Luc. 9. *Nihil tuleritis in via.* suprà quæ verba sic inquit: *Sic ipsos mendicos iubet, quòd neque panem ipsos portare vult, neque aliquid aliud, quibus indigent multi.* Et rursus super illud Luc. 10. *In eadem domo manete. Vide*, inquit, *qualiter discipulos mendicare instituit, & pro pretio eos nutrimentum habere nolui.* Sed quia Theologo sufficit auctoritas S. Thomæ, ea iam est supra producta ex Opusc. 19. cap. 7.

Paupertatem quoque Apostolorum manifestè commendat victus illorum simplex & tenuis, qualis solet esse Pauperum, & è mendicato comparatus. Talem enim fuisse colligitur ex eo quod habetur Matth. 12. & Mar. 2. & Luc. 6. Apostolos quadam vice transeuntes per sata, dum esurirent, cæpisse vellere spicas, & confricantes eas manibus suis, manducasse crudas segetes. Suprà quem locum Matth. 12. S. Hieron. *Quòd spicas*, inquit, *segetum manibus confricant, & medium consolantur, vitæ austerio-*

sterioris indutium est. *Non præparatas epulas, sed simplicem cibum quærentium*. Et S. Chrysost. in eundem locum: *Tu vero*, inquit, *abstinentiam discipulorum mecum admirare. admirare, inquam, quomodo nullam corporis curam, nullum studium habeant; sine præmeditatione aliqua, ac præparatione mensam sibi sic constituunt, vt continua ferè cogantur inedia premi*. Ad hoc etiam facit, quòd quotiescunq; discipulos Christi mensas instruxisse legimus in Euangelio, toties, ac semper frugalissimi victus mentionem fieri scimus, vtpotè solius panis appositionem cum paucis piscciculis, sicut habetur Matth. 14. & 15. & Luc. 9. & etiam Ioann. 21. vbi similiter post resurrectionē leguntur obtulisse Christo ad manducandum partem assi piscis, & fauū. mellis. Præterea ad confirmandum adhuc magis frugalitatem mensæ Apostolorum, & tenuitatem victus ipsorum, plurimùm facit id, quod de aliquibus eorum in speciali proditum Historijs legimus. Ac in primis de ipso Principe Apostolorum B. Petro constat ex Gregor. Nazianzeno. Orat. de Amore Paup. *ipsum lupinis minuto ąſe veneuntibus famē pellere consueuisse*. Deindè de Iacobo fratre Domini Ægesippus apud Euseb. lib. 2. cap. 22. affirmat, ipsum *nec carnes in cibum, nec vinum in potum, vnquam adhibere solitum fuisse*. Quod etiam complures alij conformiter de hoc Apostolo tradunt. De Matthæo etiam Clemens Alexād. lib. 2. Pedag. cap. 1. testatur his verbis: *Matthæus Apostolus, seminibus, baccis, & oleribus, absque carnibus vtebatur*. Timotheum etiam discipulum Pauli à vino ordinariè abstinuisse, colligunt SS. Doctores, & præcipuè S. Chrysost. ex illis verbis Apostoli. 1. ad Timot. 5. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere, propter stomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas*. Imò, & ipsum Apostolum abstemium fuisse scribit Baron. Tom. 1. Annal. Eccl. circà annum Christi 53. Eius verba sunt hæc. *Ex his igitur colligi planè posse videtur. Paulum, qui magna ex necessitate Timotheo languenti stomacho prohibuit aquam bibere, & vt modico vino vteretur præcepit, à vino penitus temperasse; Sicque haud impossibile ei fuisse (quod abstemius semper esse soleret) Nazaræorum in templo munus explere*. Demùm idem Apostolus ad Rom. 14. maximè commendat ciborum delectum, dicens. *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur*. Vndè credibile est, quod hic Apostolus sāctus, id quod adeò commendabat alijs, ipsemet quoque obseruauerit. Quemadmodum hoc etiam haud obscurè colligere licet ex illo 1. Corinth. 8. vbi sic ait: *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*. Suprà quem locum S. Thomas scribens, ait: *Proponit se in exemplum abstinentiæ, vbi primo implicat scandalum: secundo ex hoc explicat abstinentiæ propositum. ibi. Non manducabo, &c.*

De-

Denique communiter tradunt antiquissimi Historici, & plures ex Sanctis Doctoribus, familiare admodum fuisse Christianis, in illa florentissima Ecclesia primitiua, nec carnes manducare, nec vinum bibere, quantumlibet his legitimè vti possent: quod sanè non nisi ex institutione Apostolorum, & ab eis sumpto exemplo ipsos fecisse putandũ est. Et sic de illis primis Christianis, qui in Alexãdria à S. Marco erudiebantur, referunt. Eusebius lib. 2. Histor. cap. 17. S. Hieronym. in lib. de viris illustrib. in Philone, & plures alij citati à Bellarmino tomo 4. de bonis Operib. lib. 2. cap. 5. quòd ad vesperam tantum cibũ sumere, & à carnibus, ac vino abstinere solebant. S. quoque Epiphanius in Compend. Doctr. quæ habetur in fine libri aduersus hæreses, testatur multos fuisse, qui sponte abstinerent à carnibus per totum annum: sed in hebdomada, quæ S. Pascha præcedit, totam Ecclesiam perseuerare solitam in esu siccorum; & idem plures alij SS. Patres tradunt.

Non solùm autem Apostoli victu modico reficiebantur, sed etiam arctissima ieiunia coluerunt. Cum enim illi certa quædam ieiunia obseruari in Ecclesia statuerint: consequenter ipsimet eadem obseruarunt. Sed & vltrà statuta ieiunia sæpè etiam fit mentio de alijs ieiunijs Apostolorum in actibus. Imò S. Chrysost. Hom. 71. de sancto Quadragesimali ieiunio, inquit, *quod Apostoli semper semper ieiunabant*. Ruper. similiter lib. 4. de Diuin. Offic. cap. 9. Tomo 2. *in perpetuo luctu, & ieiunio ipsos vixisse*, Gregor. Nazianz. docet S. Petrum Principem *Apostolorum penè semper ieiunasse*. Idem intelligendũ de alijs Apostolis; ipsos videlicet summo ieiunio deditos fuisse. Ad hoc etiam facit testimonium Apostoli 1. ad Corinth. 4. *Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus*. S. Thomas suprà hunc locum ait: *Vsque in hanc horam: id est continuò, & esurimus, & sitimus*. Idem Apostolus sæpiùs in suis Epistolis innuit de ieiunijs multis, quæ sustinebat; præcipuè verò 2. ad Corint. 6. & 11. vbi inter alia, quę perpessus est, recenset ieiunia multa. Suprà quem locum S. Thomas ait: *In ieiunijs multis; scilicet voluntarie assumptis, & propter exemplum bonum, & propter macerationem carnis*. 1. *Corinth.* 9. *castigo corpus meum*, &c. Denique Apostolos ieiunijs fuisse deditos, maximè apparet ex eo quod habetur Matth. 9. Mar. 2. & Luc. 5. Quæsierãt enim à Christo discipuli Ioannis, quare discipuli sui non ieiunarent. Respondit Saluator noster: *Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiũ cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt*. Non autem arguebantur Apostoli de ieiunijs ex lege statutis, vt aduertit Abulen. suprà Matth. 9. Q. 72. Certùm est enim, quod Apostoli, sicut & de Christo suprà dictum est, obseruabant omnia ieiunia necessitatis, quæ à lege,

vel

vel aliàs instituta fuerunt, cùm & ipsi erant quoque Iudæi; & consequenter ijsdem legibus tenebantur, quibus, & alij. Et postea cum adhæserunt Christo non est verisimile, eos ab illo fuisse à ieiunijs absolutos, cum & ipse ea seruauerit, & nequaquam se ad soluendum legẽ, sed ad implendum legem venisse testatus fuerit. Arguebantur ergo Apostoli, quòd non ieiunarent, de ieiunijs supererrogatorijs. Consequenter itaque, quando respondit Christus, *quòd venient dies, quando & ipsi ieiunabunt*: intelligendum est de ieiunijs supererrogatorijs, quæ facturi erant Apostoli post Christi discessum. Quòd autem Apostoli manente Christo secum corporaliter non ieiunarunt, hoc Sanctus Thomas Opusc. 18. cap. 9. ait dispensationis cuiusdam fuisse. Cui consentiunt alij.

Ad paupertatem quoque Apostolorum spectat, quòd illi vilibus, & abiectis vestibus vtebantur, tùm vt Christo Domino, & Magistro serui, & discipuli conformem habitum gestarent, tùm quia etiam vilis vestis maximè decet prædicatorem, vt glos. super illud Marci 1. *Erat Ioannes vestitus pilis*, inquit: *Conueniens vestis Prædicatori*. Hanc vilitatem vestium indicare videtur Paulus 1. ad Timoth. 6. his verbis: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus*. Quasi diceret; Non sumptuosos cibos quærimus, sed quibus fames tantummodo pellatur, his contenti sumus. Non item pretiosiores vestes conquirimus, sed quibus frigus arceatur, & membra debitè tegantur, his contenti sumus. Sed clarè Chrysost. hom. 56. ad Populum Antiochenum de saccis, & cilicijs Monachorum sui temporis loquens, eos tali a vestimenta gestasse testatur, non solùm ad imitationem Eliæ, & Elisæi, & Ioannis Baptistæ, sed etiam Apostolorum. Sic enim inquit: *Vestis autem eis fortitudine digna. Non enim caudatis vtentes vestibus, iuxtà eneruatos, & molles, induuntur; sed iuxtà Beatos illos Angelos, Eliam, Elisæum, Ioannem, secundùm Apostolos: eũ vestimenta sint ipsis parata, his quidem ex caprarum pilis, his autem ex pilis camelorum. Sunt autem, & quibus solæ sufficiunt pelles, & hæ iam dudum confectæ*. Hæc Chrysost. Si ergo Monachi vilissimis, & abiectissimis vestibus, ad exemplum Apostolorum vsi sunt vtique, & ipsi Apostoli similibus induebantur. Et sanè hæc erat maior potentia Christi, per homines vilissimos, pauperrimos, & abiectos, quibus nullus mundi ornatus erat, & in quibus maximus contemptus eiusdem resplendebat, attrahere ad se vniuersum orbem terrarum.

Non solùm autem Apostoli pretiosis vestibus non sunt vsi, sed neq; etiam vestibus duplicatis, seù mutatorijs eiusdem rationis; quamuis non sit inconueniens, eos vsos fuisse pluribus vestibus diuersarum rationum, quæ velut vnicum indumentum constituunt, quo homo inte-

grè, & decenter vestiatur sicut etiam suprà de vestitu Christi dictũ est. Hoc enim modo intelligunt Theologi præceptum Domini Matth. 10. Mar. 6. & Luc. 9. Ne Apostoli duas tunicas haberent. Et sanè quis dixerit, Paulum plura vestium genera habuisse, qui sæpiùs de sua nuditate, & frigoris molestia conquestus est? 1. Enim ad Corinth. 4. ait: *Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus.* 2. verò ad Corinth. cap. 11. inquit: *In frigore, & nuditate.* Non ergò habuit vestes duplicatas, cui necessariæ defuerant. Hinc Chrysost. de eodem paulò ait. *Eum necessarium sæpè non habuisse cibum, nec quo circundaretur, indumentum.*

Porrò de calceamentis Apostolorum non est opus plura fusè dicere; sed sufficit remittere Lectorem ad Opusculum S. Bonaventuræ, quod inscribitur de sandalijs Apostolorum: vbi Seraphicus Doctor ex professo probat, & luculentissimè deducit, Apostolos Domini nõ habuisse vlum calceamentorum, sed solum sandalijs calceatos incessisse ad exemplum Christi: idque ex multis capitibus ostendit, nempè ex Euangelij contextu, quia præcepit eis Christus Matth. 10. *Nolite possidere calceamenta.* Et Mar. 6. *Calceatos sandalijs misit eos.* Et rursum. *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.* Idem quoque Luc. 9. habetur. Deindè verò authoritatibus Sanctorum. S. Chrysost. suprà Matth. aiens is. *Apostoli eum vna tunica, & discalceati, circuibant totum mũdum, & superabant.* S. Hieronymi asserentis, *Apostolos non habuisse caligas in pedibus.* Et iterum. *Apostoli sine vinculis pellium, & onere calceamentorum, ad prædicationem noui destinantur Euangelij.* Tandem S. Augustini, & aliorum auctoritatibus, quas longum esset referre. Tertiò ex testimonijs antiquissimarum picturarum, seù cælaturarum, vel etiam nouarum, in quibus Apostoli, vel cum soleis, vel cum nudis pedibus exprimuntur. Vndè Bonaventura subdit: *Ridiculosum est valdè, quòd literatus hoc neget, quod clamant lapides, & testantur.* Vltimò ex nonnullis traditionibus; quia nimirùm plerisque in locis, vsque in hodiernum diem, sandalia Apostolorum, & Christi discipulorum, & præcipuè Romæ S. Petri, & in Hispania in Ciuitate Ouedensi, S. Andreæ, ad deuotionem fidelium, & eius veritatis adstipulationem reseruãtur. Speciatim verò de SS. Petro, & Paulo, & Iacobo fratre Domini, eos nudis pedibus incessisse, ostendit S. Bonauent. At quia Theologus faciliùs authoritati S. Thomæ acquiescit, eam adduco. Sanctus ergò Doctor in commentar. suprà Matth. 10. nõ solùm id expressè docet, sed etiam huius duplicem rationem ponit. *Primò quidem,* inquit, *vt apud omnes pauperes reputarentur: secundum illud Apost. 1. Corinth. 1. Non multùm potentes elegit Deus: ideò voluit, quòd abiecti essent: pauperes enim in partibus Orientis vadunt discal-*

calceati; vtuntur tamen quibusdam, quæ sandalia dicuntur, & fiunt de paleis: ideò volebat, vt irent sicut pauperes illius patriæ. Deindè verò etiam inquit. *Ideo præcepit, eos ire discalceatos, vt firmaret eos, vt magis robusti essent ad sustinendum; secundùm quod etiam Plato docuit, quòd homines non multùm cooperirent pedes, nec caput.* Hæc S. Thom. de Platonis verò præcepto habes in S. Hieron. suprà illum Euangelij locum: *Nolite portare calceamenta*; testimonium, vbi sic ait. *Vt Plato etiam præcepit illas duas corporis summitates non esse velandas, nec assuefieri debere mollitiei capitis, & pedum: cum enim hæc habuerint firmitatem, cætera robustiora sunt.*

Ad paupertatem quoque Apostolorum spectat, quòd propria domicilia non habuerunt; vt expressè docet *S.* Bonauent. in Apologia pauper. In primis verò id colligitur ex eo, quod quando Christus misit eos ad prædicandum, non eos certam aliquam domum habere permisit; sed in quamcunque ciuitatem, seu castellum intrauerint, & quemcunque illic dignum inuenirent, ad quem diuerterent, illic præcepit vt manerent, vt habetur Matth. 10. Deindè verò ex eo, quod si Apostoli habuissent certa, & propria domicilia, non fuisset necesse Christo, quando vixit cum eis, quærere locum quo diuerteret, neque ab alijs extraneis hospitium mendicare quemadmodum sæpiùs eum fecisse cõstat. Sed neque tantæ paupertatis fuisset Saluator noster, vt neque vbi caput suum reclinaret, haberet, si tales in comitatu suo discipulos teneret, qui domos possiderent. Neque prætereà oportuisset, solicitos fuisse Apostolos, vbi pararent Pascha, si interim ipsi suas habuissent domos, vbi commodè possent celebrare illud. Quod enim scriptum est de Ioanne. *Accepit eam in sua.* suprà monstratum est ex *S.* Ambrosio, qualiter intelligendum sit.

Sed vt in omnibus satisfaciamus Theologo, testimonium *S.* Thom. exhibeo, cuius doctrinæ non potest non subscribere, quia eam in sui munimentum assumpsit. Hic ergò Opusc. 19. Cap. 6. *Primordium*, inquit, *perfectionis in Christo, & in Apostolis fuit. Sed ipsi non leguntur sua relinquentes, aliquas possessiones habuisse in communi; imò potius legitur, quòd nec etiã domos habebant ad manendum, vt suprà probatum est. Ergò perfectio paupertatis non requirit aliquas possessiones communes.* Hæc S. Thomas.

Ex dictis infertur, Apostolos duxisse vitam satis austeram, & rigidam. Tanta enim paupertas ipsorum, penuria rerum omnium in victu parcitas, in ieiunijs perpetuitas, in vigilijs diuturnitas, in vestimẽtis ruditas, in nuditate pedum asperitas, sunt signa vitæ rigidæ, & à consolatione terrena prorsus alienæ. Sanè D. Hieron. suprà illa verba Matt. 12. *Discipuli esurientes cæperunt vellere spicas, & manducare*; sic inquit, *Quod segetum spicas manibus confricant, & inediam consolantur, vitæ austeritatis in-*

dicium est, non præparatas epulas, sed cibos simplices quærentium. Hæc omnia prædicta si attentiùs considerabimus, & præter illa alias quoque corporis maceraciones voluntarias, ac varias tribulationes, manifestè videbimus, quàm austera fuerit vita illorum. Expressit id Paulus 1. ad Cor. 4. dicens. *Puto, quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquã mortidestinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus. tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsque adhuc*. Supra quem locum S. Thomas ait: *Vsque in hanc horam*; *ideſt continuè à conuersione nostra, vsque in præsens tempus, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus*. Ad Corinth. quoque 2. cap. 4. ait; *Semper mortificationem IESV in corpore nostro circumferentes, vt & vita IESV manifestetur in corporibus nostris*. S. Thomas super hunc locum ait. *mortificationem circumferentes: ideſt vbiq; portantes, & sustinentes, quia quocunque eamus patimur*. Et in eadem Epist. 2. ad Corinth. cap. 6. ait: *Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieunijs*, S. Thomas ait: *In ieunijs aliquando voluntarijs, aliquando inuoluntarijs propter penuriam*. 1. verò ad Corinth. 9. de se ipso sic inquit. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne forte cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. Suprà quem locum S. Thomas dicit. *Castigo corpus meum: tangit rationem prædictorum vtriusque: vbi primò tangit austeritatem vitæ &c.* Cassianus verò in eadem verba Apostoli lib. 5. de Instit. Renunc. cap. 17. *Vis audire*, inquit, *verum athletam Christi legitimo agonis iure certantem? Ego igitur, inquit, sic curro non quasi in incertum: sic pugno nõ quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & seruituti subijcio, ne alijs prædicans, ipse reprobus efficiar. Vides vt in seipso ideſt in carne sua colluctationum summam, velut in basi quadam firmissima, statuerit, & prouentum pugnæ in sola castigatione carnis, & in subiectione sui corporis collocarit*: Et Cap. 18 cùm hæc eadem verba Apostoli iteraſset, subdit. *Quod propriè ad continentiæ labores, & corporale ieunium, atque afflictionem carnis pertinet, per hanc se pugilem quendam strenuum suæ carnis esse describens, nec in vanum aduersus eam ictus continentiæ exercuisse designans; sed triumphum pugnæ, mortificatione sui corporis acquisisse, quo verberibus continentiæ castigato, & cæstibus ieiuniorum elisо, victori spiritui immortalitatis coronam, & incorruptionis contulit palmam*. Et paucis interiectis. *Sic pugnat, ieunijs scilicet, & afflictione carnali, non quasi aerem verberans ideſt in vanum, &c.* Sanctus verò Hieronymus eò pertinere hæc verba Apostoli putat, quò illa quæ alibi de seipso scribit. 2. Corinth.

11.

11. *In ieiunijs multis, in vigilijs, in fame & siti, in frigore, & nuditate, in laboribus, in carceribus.* Suprà quem etiam locum S. Thomas sic inquit. *Hæc consequenter enumerat mala à pœnè assumpta, quæ sustinentur in domibus. Et enumerat tria mala oppositis tribus bonis, quæ sunt necessaria ad vitam domesticam. Primum bonum est requies somni. Secundum est sustentatio cibi. Tertium est fomentum vestis. Requiei ergò somni opponit laborem, & vigilias &c. Sustentationi verò cibi, opponit duplicem subtractionem cibi: vnam quæ est necessitate: Vndè dicit: in fame, & siti: quia scilicet ad litt. deficiebat sibi aliquando cibus, & potus. Aliam, quæ est ex voluntate. Vndè dicit in ieiunijs multis, scilicet voluntariè assumptis, propter exemplum bonum, & propter macerationem carnis &c. Fomento verò vestis opponit duo: Vnum ex parte naturæ. Vndè dicit: in frigore. Aliud ex parte moræ. Vndè dicit: & nuditate.* Hæc S. Thomas. Austera ergò erat, & rigida vita Apostolorum.

Denique non est omittendum, Apostolos sicut & Christum, Psalmodijs vios fuisse. Quod in primis patet ex Matth. 26. vbi dicitur. *Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti.* Constat autem ex Concil. Toletano 4. cap. 12. hymnum hunc non simpliciter pronuntiatum fuisse, sed verè, & propriè à Christo, & Apostolis decantatum. Verba Concilij ad hunc scripturæ locum attendentis, sunt hæc. *De hymnis etiam canendis, & Saluatoris, & Apostolorum, habemus exemplum.* Et aliàs quoque constat, quod hymnus non potest vocari, nisi canatur. August. enim explicans titulum Psalmi 73. dicit. *Hymni cantus sunt continentes laudes Dei. Si sit laus, & non sit Dei, non est hymnus. Si sit & laus, & Dei laus, & non canetur, non est hymnus. Oportet ergò vt si sit hymnus habeat hæc tria: Et laudem, & Dei, & canticũ.* Idẽ S. August. Epist. 119. c 18. sic ait. *Sine dubitatione faciendũ est maximè illud, quod etiam de scripturis defendi potest. Sicut de hymnis & Psalmis canẽdis, cũ & ipsius Dñi, & Apostolorũ, habeamus documẽta, & exempla, & præcepta.* Et profectò Act. 16. habetur, q Paulus, & Syllas media nocte orãtes, laudabant Deũ Hilarius Beda, Historia Scholastica, & nõnulli alij, eos tunc cecinisse, & hymnos decantasse censent; atque adeò clara, & elata voce, quòd etiam *audiebant eos, qui in custodia erant*, vt ibidem in Act habetur. Ipse etiam Paulus ad Ephes. 5. & ad Colos. 3. monet Christianos, vt in Psalmis, hymnis, & cãticis spiritualibus se exerceant. Vide si placet hac de re fusissimè tractantem Thomam Vvaldẽsem lib. 3. de Sacram. cap. 17. & 18. Ex his ergo omnibus collige, quænam Religio sit vitæ, & muneri Apostolico simillima, videlicet ea, quę profitetur vitam contemplatiuam simul, & actiuam, ita vt primò contemplationi vacet, & posteà ad publicum actionis descendat. Ea, quæ suos operarios aliquando ad deserta subducit, & à consortio hominũ interdum subtrahit. Ea quæ profitetur vitam pauperrimam, non so-

lùm

lùm in particulari, sed etiam in communi, ita quòd non acceptet possessiones. Ea quæ mendicato pane sustentatur, victu tenui & vili vtitur, & ieiunijs frequentibus occupatur. Ea quæ vestitum rudem, & abiectum præsefert. Ea quæ est rigida, & austera, & cum Apostolo, in vigilijs multis, in fame, & siti, in frigore, & nuditate exercetur. Ea denique quæ Psalmodiæ vacat. Talem enim omninò vitam Apostolos duxisse, iam fusè monstratum est.

At quia Theologus non talem in sua Epistola expressit, vt legenti constat, & vel ex hoc capite manifestissimè apparet, quia vult eam habere redditus, ac possessiones, & ob id ab Illustrissimo Nepotem, cum bonis, ei vendicare conatur: vtique sequitur, eum nō proposuisse Nepoti Illustrissimi Religionem vitæ, & muneri Apostolico simillimam, ac proindè nec Religionem perfectissimam; quod tamen erat suum intentum. Aduerte lector, ne facilè fucata vitæ Apostolicæ imagine decipiaris; nam, quod Theologus tuo palato exhibet, videtur esse mel, sed reuera est fel; quod oculis tuis obijcit, videtur esse aurum, sed reuera est aurichalcum. Sic Theologus scitè personam impostoris exequitur. Sed benè est, quia sua spe frustratur, intentio eius collabitur, atque artes eius, & impostura, passim discooperiuntur.

PROPOSITIO XXXV.

Illa Religio est perfectior alijs, quæ cæteris paribus, habet media efficaciora ad consecutionem eius finis, propter quem est instituta.

HÆC Propositio est insufficiens, & satis inuoluta, & ita potest esse deceptoria: quamobrem est explicanda. Perfectio enim Religionis ex medijs attenditur, non simpliciter, & absolutè, sed tantùm respectiuè: quia media non quæruntur propter se, sed propter finem. Simpliciter autem, & absolutè perfectio Religionis attenditur ex fine, quia finis quæritur propter se ipsum. Illa ergo Religio simpliciter perfectior erit, quæ ordinatur ad finem perfectiorem. Quæ autem habet media efficaciora ad consecutionem eius finis, propter quem est instituta, secundùm quid erit perfectior: quia perfectio Religionis primariò attenditur ex fine, secundariò ex medijs. Vndè potest esse Religio ordinata ad finem minùs perfectum, quæ tamen efficaciora media habeat ad consecutionem sui finis, quàm alia, quæ est ordi-

ordinata ad finem perfectiorem, non tamen talis Religio dicetur perfectior simpliciter, sed tantùm secundùm quid. Tota hæc doctrina deducitur ex S. Thoma. 2. 2. q. 188. art. 6. Locus ipsius suprà citatus est circà Propos. xxvij. Nec excusant illa verba. *Cæteris paribus* Theologum: debuerat enim singula clarè, & enucleatè proponere, non autè inuoluere, & simplicibus implicata, & indigesta obtrudere.

Aduerte Theologum sibi ipsi è diametro repugnantem. Infrà enim docet, perfectionem Religionis non metiendam ex vitæ austeritate externa, neque ex paupertate; quæ duo sunt media ad consecutionem finis ordinata: nam paupertas ordinatur ad perfectionem Charitatis; austeritàs verò vitæ externa ad cõseruationem castitatis, quæ etiam est instrumentum perfectionis. Hic verò expressè docet illam Religionẽ esse perfectiorem, quæ habet media efficaciora ad consecutionem sui finis. Sed de hoc iterum redibit sermo. Tu verò Theologe, considera, quo spiritu scripseris, quandoquidem diuisum in te correpertum est: nisi velis austeritatem vitæ externam, & paupertatem, non esse media perfectioni assequẽdæ subseruientia; quod sanè non audebis dicere, ne SS. Patrum seueris sententijs, delicatum tuum ingenium elidatur.

PROPOSITIO XXXVI.

Illa Religio est perfectior, quæ cæteris paribus non tantum efficaciora media habet ad suum finem perfectissimum, sed etiam plura talia, & magis ordinata.

HÆC sanè regula, mi Theologe, non est excerpta ex recepta ab omnibus S. Thom. Doctoris Angelici doctrina, ac proinde tuæ promissioni non satisfecisti. Quod, vt palam videas, en profero text. S. Thomæ ex 2. 2. quæst. 188. artic. 6. in corp. vbi sic inquit. *Si sit finis idem, secundariò attenditur præeminentia Religionis, non secundùm quantitatẽ exercitij, sed secundùm proportionem eius ad finem intentum.* Hæc S. Thomas. Cõstat autem, quod pluralitas mediorum pertinet ad quantitatem, vt ipse Aristoteles te docebit. Magis ergo debuisses dicere. *Illa religio est perfectior, quæ cæteris paribus, habet media efficaciora, & suo fini magis proportionata.* Sed video, quod in tua epistola magis ad quantitatem, quàm ad proportionem regularum attendisti: & ideò etiam circà quantitatem creasti.

De-

Demùm quia Author vitæ communis Christi, imitatione, suam alijs omnibus Religionibus præfert, quæcunque illa sit, præsens hic punctus tractandus est, vt eius Achilles penitùs cadat, antequam huius puncti tractatio nobis è manibus elabatur. Porrò Christum vitam duxisse communem inficiari non possumus; affirmat S. Thomas 3. p. quæst. 40. art. 2. vbi ex hoc, quod decuit ex fine Incarnationis Christum cũ hominibus conuersari, conuenientissimum fuisse deducit, vt se eis in conuersatione conformaret, secundùm illud Apostoli. 1. Cor. 9. *Omnibus omnia factus sum*. Et hinc vlteriùs infert, conuenientissimum fuisse, vt Christus in cibo, & potu communiter se sicut alij haberet, id quod S. August. lib. 16. contra faustum cap. 30. probat ex eo quod de se, ac de Ioanne Dominus dicit; quia enim Ioannes non vtebatur illo cibo, quo vtebantur Iudæi dicit. *Venit Ioannes non manducans, neque bibens:* cum ergo de seipso dicat *venit filius hominis manducans, & bibens*, consequens est, quod eo cibo vteretur, quo communiter vtebantur Iudæi. Cæterùm vt huius sententiæ malum intellectum, ex quo delicatulus Theologus alijs omnibus Religiosis austeriorem vitam ducentibus se vnum præfert, funditùs euertamus, ea quę sequuntur in communem vitam Christi adnotanda sunt.

Primò, vitam communem duxisse Christum post austeram. Nam illicò post baptismum secessit in desertum, ibique ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus non manducans, neque bibens, non vt Ioannes, quòd non vteretur cibo, quo communiter Iudæi vtebantur, sed nullum prorsus cibum, nullum potum capiens. Ratio autem, quare sic ieiunauit, altera est, vt ait Chrysostomus in Matt. Hom. 13. *vt nos instrueret quàm magnum bonum est ieiunium, & qualiter est secutum aduersus Diabolum, & quomodo post baptismum non lasciuia, sed ieiunio intendere oportet. Non vltrà autem processit ieiunando, quàm Moyses, & Elias, ne incredibilis videretur carnis assumptio*: altera, vt nos instrueret, quod nullus debet assumere prædicationis officium, nisi priùs fuerit purgatus, & in virtute perfectus, sicut dicitur de Christo Actuum 1. *Cœpit Iesus facere, & docere*, & quod post edomitam carnem oportet alios ad prædicationis officium transire, quod Diuus etiam Paulus docuit: *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar*. Quare cum Author huius epistolæ profiteatur vitam ducere communem, non præmissa vita austera, non potest se vita communi Christi, qui austeram præmisit, sufficienter tueri.

Secundò, Christus vitam communem duxit, non cum Regibus, & Principibus, licèt ipse esset Rex Regum, & Dominus dominantium, & Princeps Regum Terræ, neque cum diuitibus: imò ipse cum esset di-

ues,

nes, pro nobis inops factus est, vt nos sua inopia diuites essemus; eademque ratione, nec cum honestis hominibus, *vt* proprio marte dixit author, honesti enim homines sunt homines mediocres, qui scilicet nec Principatu, nec diuitijs, alijs præeminent, nec pauperie omnibus subsunt, sed medium statum obtinent, quem Salomon expetebat inquiens: *Nec diuitias, nec paupertatem dederis mihi, sed tantùm tribue victui meo necessaria*, extrema enim non solùm mutuò, sed etiam medio opponuntur, quatenus alterius extremi participationem habet. Cum quibus ergo Christus communem vitam duxit? cum pauperibus Atque hoc sensu dixit D. Thom. 3. p. quæst. 40. art. 3. ad 2. Christum communē vitam duxisse nempè cum pauperibus. *Communi*, inquit, *vita vti quantùm ad victum, & vestitum potest aliquis non solùm diuitias possidendo, sed etiam à mulieribus, & diuitibus accipiendo, quod etiam circà Christum factum est, dicitur enim Lucæ 8. quòd mulieres quædam sequebantur Christum, quæ ministrabant ei de facultatibus suis*. Sicut ergo pauper non diceretur communem vitam cum Regibus, & diuitibus ducere, quia aliquando in mensa Regis, vel diuitis comederet, quæ apposita erant, vel quia oblata de mēsa Regis, vel diuitis per se comederet, ita Christus ex hoc, quod interdum in mensa diuitum, vel honestorum hominum, quæ apponebantur comedebat, vel quæ à diuitibus, aut honestis viris oblata erant cum discipulis suis comedebat, non est propterea dicendus communem vitā cum diuitibus, vel cum honestis viris duxisse. Quare non potest Author, se cum veritate de communi vita Christi iactare, cùm ipse profiteatur non oblata in dies, nec emendicata comedere, sed quæ sibi præparantur à Religione diuitias in communi possidente.

Tertiò spectandæ sunt rationes ob quas Christus, & discipuli eius præ Ioanne, & discipulis eius vitam agerent communem. Vtrunque enim verum est. Nam Christus de se, ac de Ioanne dicit Matth. 11. *Venit Ioannes non manducans, neque bibens, & venit filius hominis manducans, & bibens*. Et discipuli Ioannis quæruntur Marci 2. *Quare discipuli Ioannis, & Pharisæorum ieiunant: discipuli autem tui non ieiunant?*

S. Thomas 3. par. q. 40. art. 2. ad secundum hanc reddit rationem, *quòd sicut alij homines per abstinentiam consequuntur virtutem continendi, ita Christus in se, & in suis discipulis per virtutem suæ diuinitatis carnem comprimebat*. Quam rationem accipit à Beda super locum præfatum Ioannis Marci 2. vbi ait; *quod Ioannes vinum, & siceram non bibit, qui illi abstinentia meritum auget, cui potentia nulla inerat naturæ. Dominus autem cui naturaliter suppetebat delicta donare, cur eos declinaret quos abstinentibus poterat reddere puriores?* Hæc autem ratio non suffragatur Authori huius epistolæ, cùm in ipso non minùs, ac in Ioanne, & eius discipulis sit corrupta,

ac vitiata naturâ, nec per virtutem diuinitatis immediatè comprimatur, vt à Christo in suis discipulis comprimebatur. Quare non est ex hac ratione, cur ipse vitam communem cum Christo, & discipulis eius præ Ioanne, & discipulis eius ducat.

Hinc etiam constat id quod ex Apostolo inquiente. *Non est Regnum Dei esca, & potus*, ait S. Thomas, *quòd abstinentia in cibo, & potu non pertinet per se ad salutem*, non suffragari Authori ad elliciendos adolescentes in suam vitam communem non præmissa austeriori vita, licèt enim abstinentia in cibo, & potu non spectet ad salutem per se, ideòst solitariè sumpta quoad subtractionem ciborum, (potest enim hæc benè, & malè fieri) spectat tamen ad salutem, quatenus ex recta ratione fit, nempè vt oportet ad valetudinem, & ad comprimendam carnem, ne voluntatem à bono rationis deijciat propter delectationes, quæ sunt in cibis, vel in rebus Venereis, quibus gula deseruit, necnon ad satisfaciendum Deo pro offensis in ipsum commissis, per voluntariam corporis castigationem. Quomodo autem nosse potest Author, Adolescentibus in suam Religionem admittendis, ijsdemque suis Professoribus, non fore opus in adolescentia, in iuuentute, in virilitate propter dictos effectus abstinentia in cibo, & potu? Nunquid enim fortè in sua Religione caro comprimitur per virtutem diuinitatis immediatè, vt in Apostolis, Christo cum eis degente? Aut forte sua Religio, non est status pœnitentiæ vt reliquæ omnes?

Aliam rationem reddit Christus, Marci 2. de suis discipulis, quod præ discipulis Ioannis, & Pharisæorum non ieiunarent, *Nunquid enim*, ait, *possunt filij Nuptiarum ieiunare quamdiu sponsus cum illis est? Venient autem dies in quibus auferetur ab illis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus*. Est enim Christus Ecclesiæ Sponsus, vt Baptista eum appellauit Ioan. 3. *Qui habet sponsam, sponsus est*, quam sibi Christus fide desponsauit, & charitate copulauit, vt filios, fideles, iustos, electos, per baptismum, & gratiam ex ea sibi generet. Filij Nuptiarum sunt domestici sponsi, apud quos Nuptiæ celebrantur, quarum tempus non lugubre, sed lætum, ac festiuum est. Vt decimit sponsa Canticorum 1. *Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum*. Et ideò *non possunt filij sponsi lugere, quamdiù sponsus cum illis est*; vt ait Matt. cap. 1. atque ideò nec ieiunare; ieiunia enim non sunt læti temporis, ac festiui quale est Nuptiarum. Ac si ergo diceret Christus, Cum mei discipuli in Nuptijs sint quamdiù ipse sponsus cum eis versor, arguendi non sunt, quòd ieiunia non obseruent, sed nec semper cum eis versabitur sponsus, nec semper ieiunia non obseruabunt. Tempus enim erit cum ab eis auferetur sponsus, scilicèt cùm ego in Cælum discedam, illosque quoad

præ-

præsentiam attinet, corporalem, & visibilem relinquam, tunc ieiunabunt, erit illud tempus laborum, tristitiæ, ac ieiuniorum, hoc verò nuptiale est & lætitiæ. In eandem sententiam Chrysologus Sermone 31. de Christo ait, *Ecclesiam tunc desponsabat, ideò indulgebat se mensis, conuiuantibus se non negabat, humanum, comitem, blandum se pia charitate reddebat, donec diutiùs humana coniungeret, & faceret de terrena societate cælestem consortium.* Constat autem Professores Religionis Authoris huius epistolæ nõ esse filios Nuptiarum, nec Christum Sponsum cum eis modò esse, secundũ corporalem, & visibilem præsentiam. Immeritò ergo Author de vita communi Christi, & discipulorum eius, præ Ioanne, & discipulis eius gloriatur, eisque, alijs omnibus Religiosis se præfert. Cùm Religiosi successerint Apostolis in vita Apostolica, non pro statu, quem habuerunt præsente cum eis Christo in carne visibili, sed pro statu, quo ab eis secundùm carnem visibilem abfuit, quo pacto etiam à nobis modò abest Christus Sponsus. In quo absentiæ statu non vitam communem, vt cum Christo degentes, duxerunt Apostoli, sed arctissimã, & maximè austeram. Quod in sequentem propositionem multis iam iam ostendemus.

Quartò, Christus vitam duxit communem, non vt secundùm eam exemplar perfectionis esset, sed vt sicut secundùm austeram vitam, se perfectionis exemplar præbuerat ijs, qui ad perfectionem contenderent, ita secundùm vitam communem exemplar infirmis esset omnibus omnia factus. Licèt enim omnia opera Christi ex dignitate personali maximæ dignitatis & perfectionis essent, tamen si quæque ex proprio genere considerentur, quædam erant informationis perfectæ vt cum Seraphico Doctore loquar: nimirùm paupertatem seruare, virginitatem custodire, Deo & hominibus se ipsum subijcere, noctes in oratione peruigiles ducere, pro Crucifixoribus exorare, & Morti se humana charitate, etiam pro inimicis offerre. Alia nonnulla condescensionis erant, vt ait Chrysostomus in Matt. Homil. 27. *Vides*, inquit, *quanta est Christi in condescensione diligentia, sicut cùm comedat, & bibat, cùm videatur ex aduerso Ioanni faciens, & hæc Iudæorum gratia: saluis facit, magis autẽ orbis terrarum vniuersi*. Malè ergo Author, ex imitatione vitæ communis Christi se alijs omnibus quoad vitæ perfectionem præfert, cum potiùs quoad infirmitatem, se eis præferre ex hoc debeat. Quam infirmitatem non carnis, quæ omnibus est communis, Patres vocant, sed mentis, quia scilicet validam, & magnam voluntatem magna perfectaque opera faciendi non habentes, minùs perfecta opera facere cõtenti sunt, instar turbarum in campestribus, ideſt, in humiliori, & infirmiori vitæ genere Christum sequentes, cùm non valeant cum Apo-

stolis in montem conscendentibus Christum in sublimi vitæ genere imitari.

Quintò demùm vitam communem non cum honestis hominibus, sed cum pauperibus duxit Christus, & duxerunt Apostoli, vt conuenientiorem ad ipsum etiam effectum sanctæ prædicationis exercendæ, etenim Lucæ 9. Dominus mittens suos discipulos prædicare regnum Dei ait ad illos: *nihil tuleritis in via, neque virgam, neque pecuniam, neque panem, neque duas tunicas habeatis*. Post Christi verò Ascensionem, multò austeriorem, quàm communem pauperum vitã Apostoli seruauerunt, vt mox in sequentem propositionem dicemus, multisq; confirmauimus in propositionem 30. austeritatem vitæ muneri, & officio sanctæ prædicationis non modò non officere, sed etiam mirum in modum cõducere, nimirum si pro animabus Christo lucrandis non pro vana gloriola sit exercenda, quàm delicatuli Prædicatores aucupantur. Quare cum S. Thoma iupradiximus Christum priùs in desertum secessisse, ibique 40. diebus, & 40. noctibus ieiunasse vt nos instrueret, quòd nullus debet prædicationis officiũ assumere, nisi priùs fuerit purgatus, & in virtute perfectus, & vitã cõmunẽ debere in Prædicatore præcedi à vita austera, vt etiam Apostolus suo exemplo nos monuit: *castigo*, inquiens, *corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar*. Maneat ergo, Auctorem de communi vita cum honestis hominibus, etiam vt conuenientiori ad sanctæ prædicationis exercitium, nequiter se omnibus alijs Religionibus prætulisse.

PROPOSITIO XXXVII.

Illa perfectior est Religio, quæ cæteris paribus, habet auxilia plura & meliora ad consequendum finem suum, & mediorum suorum vsum in suo ordine præscripta.

HÆC Propositio æquè est implicata, ac Propositio xxxv. & deficit in duobus. Primò quia perfectio Religionis ex auxilijs respectiuè, siue secundariò desumitur, absolutè autem, & primariò ex fine, vt iam dictum est. Secundò in hoc quia perfectionem Religionis ponit in pluralitate auxiliorum: quod vtiq; est contrà S. Thomam, vt visum est. Sic ergo dicere debuisses Theologe. *Illa perfectior est Religio, quæ cæteris paribus habet auxilia magis proportionata ad consequendum suum finem perfectissimum*.

PRO-

PROPOSITIO XXXVIII.

Illa Religio perfectior est, quæ cæteris paribus, pluribus & melioribus est fulta præsidijs, ad submouenda omnia impedimenta felici vsui mediorum ad sui finis consecutionem se se opponentia.

HÆC Propositio in ijsdem deficit, in quibus & præcedentes. Nam & perfectio Religionis ex præsidijs, est tantùm respectiua, ex fine verò, absoluta: & præeminentia Religionis non attenditur secundùm pluralitatem præsidiorum, sed secundùm proportionem ad finem intentum. Sic ergò Theologe debuisses dicere. *Illa Religio est perfectior quæ cæteris paribus, magis proportionatis est fulta præsidijs ad consecutionem sui finis perfectissimi.*

Sed iam vide, quàm verum sit, quod paulò ante dixi, te magis quantitatem Regularum, quàm proportionem earum attendisse: vt enim multiplicasses regulas, quas graphicè vna propositione concluisses, distinguis præsidia ab auxilijs, & hæc à medijs; & ita noua quadam ratione, aliud tibi sunt præsidia, aliud auxilia, & ab his aliud media. Ni fortè te excuses, quod præsidia, & auxilia, das in ordine ad media; quem sanè processum potuisses secundùm Philosophos formare in infinitum: quod si aduertisses, magis forsan regulas multiplicasses, & quantitati, quàm attendisti, meliùs prouidisses.

PROPOSITIO XXXIX.

Illum Ordinem Illustris. Domine, puta perfectiorem, qui cæteris paribus, maiorem fructum in Ecclesia Dei facit, verbis, scriptis, factis, exemplis, &c.

HÆC Propositio est vasra, inuoluta, & insufficiens. In primis; quia maior fructus dupliciter potest dici. Vel maior intensiuè: vel maior extensiuè. Siuè maior, aut secundùm quantitatem molis, vel quasi molis: aut secundùm quantitatem virtutis. Ille ergo Ordo est perfectior, qui cæteris paribus, maiorem intensiuè fructum

in

in Ecclesia Dei facit. Siuè maiorem secundùm quantitatem virtutis. Vt enim ex suprà dictis patet, maius est paucos perfectos facere, quàm multos conuertere à statu peccati ad statum gratiæ: ita quod conuersi abstinent quidem à delictis mortalibus, nō tamen sint perfecti. Secundò. Ordo aliquis maiorem fructum facit in Ecclesia Dei dupliciter. Primò suis impensis. Secundò alienis. Dictum est enim suprà, quòd prædicatores in Ecclesia Dei faciunt fructum propter Orationes Eremitarum. Ille ergò Ordo est perfectior, qui proprijs impensis, & non alienis, facit fructum in Ecclesia Dei. Qua ratione dictum est secundùm doctrinam S. Thomæ, 2. 2. q. 188. art. 8. vitam Eremitarum esse perfectiorem, quàm sit quæcunque vita in societate viuentium. Eremitæ autem faciunt fructum in Ecclesia Dei per orationes; & virtute orationum ab ipsis fusarum alij operarij. Nam neque, qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, qui exoratur ab Eremitis, vt det incrementum. Et mirum est, quòd Theologus inter media fructificandi, non expresserit orationes. Sed aliundè nil mirum, quia inimicus longarum orationū, amicus autem longorum discursuum videtur hanc. Epistolā scripsisse. Tertiò, ordo aliquis potest facere fructum in Ecclesia Dei dupliciter. Vel cum detrimento, non dico salutis, sed perfectionis propriæ. Vel certè sine detrimento perfectionis propriæ. Maius est autem, minorem fructum in Ecclesia Dei facere sine detrimento perfectionis propriæ, quàm maiorem fructum cum sufficientia quidem salutis, sed tamen cum detrimento perfectionis propriæ. Colligitur id manifestè ex *S.* Thoma Quodlib. 3. q. 6. art. 17. in resp. ad 6. *Etsi*, inquit, *procurare salutem aliorum sit maius, quàm intendere sibi soli, loquendo in genere: tamen non quocunque modò intendere saluti aliorum præfertur ei, quod est quocunque modo intendere suæ saluti: Si enim aliquis totaliter, & perfectè intendit suæ saluti, multò maius est, quàm si aliquis multa particularia opera agat ad salutem aliorum, si saluti propriæ, etsi sufficienter, non tamen perfectè intendat.* Hæc S. Thomas. Et meritò, vt aliundè patet. Vita enim contemplatiua ex suo genere est maioris meriti, quàm actiua; vt docet idem S. Thomas in eodem loco, & 2. 2. quæst. 182. art. 2. Maius ergò ex suo genere facit ille, qui seipsum perfectè tradit contemplationi, quàm qui alios applicat actioni, siue conuersioni ad Deum. Et sic ille Ordo perfectior erit, qui salua sua integra, ac totali perfectione, attendit etiam saluti aliorum. Et sanè secundùm S. Thomam, (vt multoties repetatur, id quod est maximi momenti) 3. p. q. 41. art. 3. ad 1. *Nullus debet assumere Prædicationis officium, nisi prius fuerit purgatus, & in virtute perfectus.* Propositio ergo Theologi absolutè dicta, est satis deceptoria, ne dicam falsa.

Dis-

Discant Religiosi ex dictis, non sibi blandiri de summa perfectione, ex eo quod videantur sibi, maiorem fructum in Ecclesia Dei facere.

PROPOSITIO XL.

Vndè sequitur, illam esse meliorem, quæ plures, et meliores, & per plures vias ac modos, et pro pluribus locis, ac personis, fructus edit, & per ipsos fructus tales à se editos, alios fructus nouos, & nouos, in alijs multiplicat.

HÆC Propositio in ijsdem deficit, in quibus & aliæ præcedentes. In primis quia supponit pluralitatem præstantium fructuum: cùm tamen fructus præstantissimi paucissimi sint. Fructus enim præstantissimus, perfectio est, quæ in paucis reperitur, vt suprà dictum est, circà Propos. iiij. Secundò, quia supponit pluralitatem viarum, & modorum pertinere ad perfectionem: cùm tamen secundùm doctrinam S. Thomæ suprà recensitam, præeminentia Religionis non attendatur secundùm quantitatem exercitij, sed secundùm proportionem eius ad intentum finem. Tertiò, quia vult illam Religionem esse meliorem, quæ alios applicat operibus vitæ actiuæ, cùm tamen secundùm S. Thomam 2. 2. q. 182. art. 2. ad 3. *Magis acceptum sit Deo, quòd aliquis animam suam, & aliorum applicet contemplationi, quàm actioni.*

PROPOSITIO XLI.

Quæ omnia sunt certissima signa summæ perfectionis.

HÆC Propositio certissimò est falsa, & ideò magnam præsumptionem, & temeritatem Authoris ostendit. Plurimi enim in statu peccati mortalis constituti, ac proindè dilectione Dei carentes, in qua consistit perfectio, faciunt magnum fructum in Ecclesia Dei, per plures vias, & modos, & pro pluribus locis, ac personis; & tamen tantum abest, quod sint in summa perfectione, vt ne quidem sint in

aliquo

aliquo perfectionis gradu. Patet hoc ex contextu Euangelico Matth. 7. *Multi*, inquit Christus, *dicent mihi in illa die. Domine, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis. Quia nunquam noui vos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Ergò secundum mentem Christi, multi possunt virtutes multas facere, imò & prophetare, imò & dæmonia eijcere, qui operantur iniquitatem. Quod si ita est, vtique Propositio Theologi repugnat Euangelio, & consequenter fidei. Idem deducitur ex loco S. Pauli ad Philipp. cap. 1. *Quidam quidem*, inquit, *& propter inuidiam, & contentionē: quidam autem, & propter bonam voluntatem. Christum prædicant: quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Euangelij positus sum: quidam autem ex contentione Christum annunciant, non sincerè, existimantes, præsturam se suscitare vinculis meis. Quid enim? dum omni modo siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur; & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* Hæc Paulus. Suprà quem locum S. Thomas lect. 3. sic inquit. *In Ecclesia prouenit vtilitas quandoque per bonos Prædicatores quoad bonam intentionem, quandoque per malos, quoad malam; & de vtroque gaudendum est. Per occasionem annunciat Christum, qui non intendit hoc principaliter, sed propter aliud, puta, lucrum, vel gloriam; per veritatem autem, quando ex recta intentione. Sed hoc vtroque modo fit ad vtilitatē Ecclesiæ.* Hæc S. Thomas. Eccè clarè ex mente Pauli docet S. Doctor, per malos Prædicatores prouenire vtilitatem Ecclesiæ. Et sanè experientia ipsa docet, quod multi sint, qui non sincerè, sed propter inuidiam, & ex contentione Christum annunciant: qui proindè non sunt in summo perfectionis: quia scriptum est Iacob 3. *Vbi zelus, & contentio ibi inconstantia, & omne opus prauum.* Et iterum 1. Corinth. 3. *Cùm sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis?* Et tamen tales prædicatores faciunt fructum in Ecclesia Dei. Falsissimum ergo est, quod fructificatio in Ecclesia Dei sit certissimum signum summæ perfectionis. Et certè etiam si Theologo non opponeremus Prædicatores in statu peccati existentes, sed solos Prædicatores tepidos, & imperfectos, qui & non sunt in summitate perfectionis, & tamen faciunt fructum magnum in Ecclesia Dei, vel inde facillimè possit conuinci falsitatis. Sed nostro Theologo illa sunt certissima, quæ sunt falsissima; ita tenebras lucem, & lucem tenebras dicit; ita absorptus est à spiritu præsumptionis. Promiserat monita ex certa SS. Patrum doctrina excerpta, cognitionem sine errore, & certam lucem: & ecce repugnantia sacro Euangelio, & doctrinæ Sanctorum, errores, & tenebras protulit. Quis deinceps promissis Theologi adhibebit fidem? Nullus sanè nisi similis Theologo.

PRO-

PROPOSITIO XLII.

Quæ sita est non in verbis, & gestibus, sed in factis heroicis: quia vt ait S. Gregor. Papa Hom. 30. in Euangelia.

Probatio dilectionis, exhibitio est operis.

PLurimùm sanè debet Orbis Theologo, quòd ab eo depulerit tenebras inscitiæ. Inualuerat enim opimo apud plerosque, summam perfectionem consistere in gestibus, quibus, sicut & verbis repræsentantur animi sensa. Hunc errorem, primus Theologus conatur elidere, vt nullus deinceps sentiat perfectionem summam consistere in gestibus. Sed sanè quis saltim vel vnus, adeò delirus fuit, qui id existimauit? Non indigebat sanè Mundus hac doctrina noua, cui oppositâ, nec per suspicionem aliquando amplexatus est. Sed iam audiamus docentem Theologum, in quonam consistat summa perfectio. *Summa*, inquit, *perfectio sita est in factis heroicis*. Hic mihi Theologus videtur sui ipsius omninò oblitus. Et non mirum. Nam fortasse ex gyratione in circulo, mens illi turbata est. Attendite enim circulum nostri Theologi. *Signa*, inquit superiùs, *summæ perfectionis sunt facta*. At in quo sita est summa perfectio? *In factis*, inquit, Perinde ac si quis diceret. Fauillam esse signum combustionis ignis; combustionem autem ignis consistere in fauilla. Videte quòd Theologus sit vnus de numero illorum, de quibus scriptum est Psal. 139. *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos*. Et iterùm Psal. 11. *In circuitu impij ambulant*. Mi Theologe, quomodo non es recordatus te dixisse: Perfectionem Christianæ vite consistere in dilectione Dei, & proximi? Non ergo in factis heroicis, quæ præsupponunt dilectionem Dei, & proximi. Et vt magis agnoscas crassitiem rudis ingenioli tui, attende quàm ineptè subiunxeris authoritatem S. Gregorij. Quale enim est hoc argumentum. Probatio dilectionis, exhibitio est operis. Ergo summa perfectio sita est in factis heroicis? Perindè ac si aliquis argumentaretur. Probatio ignis est fumus. Ergo ignis consistit in fumo. Profectò egregium argumentum ostendit tuum animum satis argutum, Debebas ergò dicere, quòd probatio summę perfectionis sunt facta heroica, non autem quòd summa perfectio sita est in factis heroicis. Sed iam si perfectio sita est in factis heroicis: quare infrà docuisti, perfectionem non esse agnoscendam ex austeritate, & paupertate? Forsan au-

steritas, & paupertas, non sunt tibi facta heroica? Quod si sunt: Ergo & in eis perfectio secundùm te sita est. Quomodo ergo oppositum docuisti?

PROPOSITIO XLIII.

Sicut plus donat ille, qui arborem fructiferam donat, quàm qui sola poma; ita & status, & persona, cæteris paribus melior est, Deoque magis grata, quæ non tantùm fructum fert bonum, sed facit res fructiferas quamplurimas, ex quibus fructus innumeri, perpetua successione, & multiplicatione nascuntur.

HÆC Propositio est contraria doctrinæ S. Thomæ 2. 2. q. 182. art. 2. ad 3. vbi ait. *Quanto homo animam suam, vel alterius propinquius Deo coniungit, tanto sacrificium est Deo magis acceptum. Vnde magis acceptum est Deo, quòd aliquis animam suam, & aliorum applicet contemplationi, quàm actioni.* Hæc S. Thomas. Ergo ex mente ipsius, ea persona, cæteris paribus, est magis Deo grata, quæ animam suam, & aliorum, applicat contemplatiuæ vitæ, quàm ea, quæ animam suam, & aliorum applicat actiuæ vitæ; quod est ex mente Theologi fructum facere bonum, & res fructiferas reddere.

PROPOSITIO XLIV.

Illa Religio est melior, quæ cæteris paribus, habet, & offert plures occasiones heroicas virtutum, & laborum pro Dei gloria, siue in iuuandis animabus pro variis modos, siue in tolerandis persecutionibus, & aduersitatibus ob studia pietatis.

HÆC Propositio absolutè est falsa. Vita enim solitariorum est simpliciter, & ex suo genere perfectior, quam vita in societate viuentium: quia vita solitariorum est vita perfectorum, vita verò in societate viuentium, est vita ad perfectionem se se exercentium. Quæ

omnia

omnia habet S. Tho. 2. 2. q. 188. art. 8. Et tamen facilè dicet Theologus, quòd vita socialis offert plures occasiones heroicas virtutum, & laborum pro Dei gloria, siuè in iuuandis animabus per varios modos, siuè in tolerandis persecutionibus, & aduersitatibus ob studia pietatis. Plures quoque possent dicere, quòd Ordo Equitum, verbi gratia, Hierosolymitanorum, S. Iacobi, S. Ioannis; &c. plures habet occasiones laborum, & virtutum heroicarum, præ illis Religionibus, quæ sunt purè contemplatiuæ: & tamen nullus audebit præferre Religiones purè actiuas, quales sunt Equestres, Religionibus merè contemplatiuis. Et reuera argumentum Theologi non concludit. Rectè enim considerauti, videbitur ratiocinatio Theologi esse eadem, quam sibi obijcit S. Thomas 2. 2. q. 182. art. 2. 1. loco *Meritum*, inquit, *dicitur respectu mercedis. Merces autem debetur labori: secundùm illud 1. ad Corinth. 3. Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborem: Sed vita actiua attribuitur labor, contemplatiuæ verò quies. Dixit enim Gregorius super Ezech. Omnis, qui ad Deum conuertitur, priùs necesse est vt defudet in labore, ideſt, Liam accipiat, vt post ad videndum principium in Rachel amplexibus conquiescat. Ergò vita actiua est maioris meriti, quàm contemplatiua?* Hoc est argumentum in contrarium. Sed iam audiat Theologus, & diligenter consideret responsionem Sancti Thomæ. *Labor*, inquit, *exterior operatur ad augmentum præmij accidentalis. Sed augmentum meriti respectu præmij essentialis, consistit principaliter in charitate: cuius quoddam signum est labor exterior toleratus propter Christum. Sed multò expressius eius signum est, quòd aliquis prætermissis omnibus, quæ ad hanc vitam pertinent, soli diuinæ contemplationi vacare delectetur.* Hæc S. Th. Notet quilibet aurea verba S. Thomæ. *Expressius signum charitatis esse, prætermissis omnibus, soli diuinæ contemplationi vacare, quàm laborem exteriorem tolerare propter Christum.* Quòd si expressius signum charitatis. Ergò & perfectionis, quia perfectio in charitate consistit. Non ergò secundùm mentem S. Tho. Theologus docuit, quòd illa Religio sit melior, quæ offert plures occasiones laborum pro Dei gloria.

PROPOSITIO XLV.

Ideo meritò S. Ioannes Climacus scribit gradu quarto. Noli citius currere, neque eleueris facilè cum enarrari audis solitariorum Patrum vitas, tu enim protomartyris militia incedis.

HÆC Propositio potest esse occasio erroris, & deceptionis: inde enim aliquis potest existimare, vitam in societate viuentium

esse perfectiorem, vita Eremitarum. Cuius oppositum docuit S. Thomas sæpius citatus in 2. 2. q. 188. art. 8. Loquitur ergò Climacus ad eum qui nondum est exercitatus in virtutibus: quia vt docet S. Thomas loco citato. *Solitudo competit contemplanti, qui iam ad perfectum peruenit. Quod quidem contingit dupliciter. Vno modo ex solo diuino munere. Sicut patet de Ioanne Baptista, qui fuit repletus Spiritu Sancto adhuc ex vtero matris suæ: vnde eum adhuc esset puer, erat in desertis, vt dicitur Luc. 1. Alio modo, per exercitium virtutis actus: secundum illud ad Hebræos 5. Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus, ad discretionem boni, ac mali.* Ad quod exercitium, docet ibidem S. Thomas, iuuari hominem ex aliorum societate, & quantùm ad intellectum, & quantùm ad affectum. Ac postmodum subiungit. *Et ideò vita socialis necessaria est ad exercitium perfectionis, solitudo autem competit iam perfectis. Vnde Hieron. dicit ad Rustic. Monach. De nido Monasteriorum huiusmodi volumus egredi milites, quos Eremi dura rudimenta non terreant, qui specimen conuersationis suæ, multo tempore dedicerunt.*

PROPOSITIO XLVI.

Hæc enim quæ famam & honorem lædunt, grauiora sunt viris honestis, & ingenuis, ipsa mortis acerbitate, quam multi mallent subire, quam famæ & honoris pati iacturam.

HÆC Propositio demonstrat Theologum pessimum sanè Consiliarium. Esto enim, ea quæ famam, & honorem lædunt, grauiora sint viris ingenuis & honestis, ipsa mortis acerbitate: at non viris Religiosis & Apostolicis. Esto quod viri honesti & ingenui mallent potiùs subire mortem, quàm famæ aut honoris pati iacturam: at non viri Religiosi & Apostolici, qui prídem famam & honorem conculcarunt, & sub pedibus posuerunt, & ad hoc vocati sunt, vt lapidentur importunitate tentationum & contumeliis verborum; vt tu Theologe refers ex Commentatore S. Climaci. Hi potiùs sitiunt, & anhelant ad contemptum sui, & tanquam epulas desiderati simas suscipiunt iniurias, more Apostolorum, qui, vt habetur Act. 5. *Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.* More Pauli, qui dixit ad Galat. 6. *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et 2. ad

Co-

Corint. 12. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo.* Quo sanè Spiritu Apostolico imbuta S. Mater nostra TERESIA, solebat sæpius ingeminare. *Aut pati, aut mori.* Id est Si non debeo pati, moriar. Si non debeo mori patiar. Quem etiam Spiritum hausit ex eodem fonte Noster Venerabilis P. F. Ioannes à Cruce, eius filius primogenitus, & fidelis in Reformatione socius: cui cum Dominus apparens dixisset: *Ioannes quid vis pro laboribus?* respondit: *non aliud Domine, nisi pati & contemni pro te.* O animum præclarum, & verè Apostolicum, cui merces passionum, passiones: & merces contemptuum; contemptus ita adamauerat Crucem Christi. Quomodo ergo viri Apostolici mallent potiùs subire mortem, quàm famæ aut honoris pati iacturam? Imò potiùs eligent viuere, vt iacturam famæ & honoris patiantur.

PROPOSITIO XLVII.

Quæ causa est, vt grauissimi quiq; Theologi & Iurisperiti expressè doceant, quibusdam in casibus sine vllo peccato posse occidi alterum ob defensionem honoris proprij, & ad euadendã aliquã contumeliã grauem, seu honoris iacturã.

O Deus immortalis, quam nociuũ Consiliarium agit Theologus! Vt quid enim viris Religiosis, & Apostolicam vitam profitentibus obtrudit, quibusdam in casibus licere occidere alterum sinè vllo peccato ob defensionem honoris proprij? Ad hoc fortassis, vt viri Religiosi euadant honoris iacturam occisione? O pestiferum, & exitiale officium Theologi, qui nociua depromit, salutifera inuoluit, & abscondit. Quis dicat nisi insanus, vocationi virorum Apostolicorum congruere occidere alios, ob defensionem honoris proprij, & ad euadendam aliquam contumeliam grauem, seù honoris iacturam? Vt quid ergo hanc doctrinam ingessit? Vt quid eam suppositit dum de viris Apostolicis tractauit? Quare legentibus ansam, scandalum, & occasionem homicidiorũ præbuit? Quid enim aliud fecisse videtur Theologus proferendo hæc verba, nisi acuisse gladios, instruxisse bombardas ob defensionem honoris, ad euadendas contumelias? Vtinam tenebrionis istius, sicut nomen, ità & Epistola in tenebris delituisset, & nunquam lucem aspexisset; Epistola inquam adeò scandalosa, & morum corruptiua.

PRO-

PROPOSITIO XLVIII.

Ideòque, & S. Prophetà Elias 3. Reg. 19. vers. 4. Optabat potiùs mortem, quàm molestias persecutionis, quam patiebatur à Iezabel.

VIDE quàm extrà propositum Theologus adducit exemplum S. Patris nostri Eliæ. Dum enim immediatè locutus fuisset de iactura famæ, & proprij honoris, asseuerans, quòd hæc grauior sit nonnullis ipsa morte, & aliquando euadenda occisione aliorum: subiungit exemplum Sancti Eliæ, cui nec de iactura famæ & honoris proprij agebatur, nec alios occidere gestiebat; sed potiùs petijt animæ suæ, vt moreretur. Voluit tamen Theologus exemplum hoc connectere cum præcedentibus verbis; & propterea apposuit particulam connexionis: *Ideoq;* Sed quam ineptè rem rei subdiderit, vnusquisque iudicet. Cæterùm accedendo ad rem ipsam: maius certè est, & intolerabilius, quod S. Patri Eliæ imposuerit, ipsum optasse mortem propter molestias persecutionis, quam patiebatur à Iezabel. Quod sanè minimè decet de S. Propheta existimare. Certum est enim, quòd & iacturam famæ, & mille persecutiones, laudabilius est libenter tolerare Sanctis pro gloria Dei, quàm ab his omnibus per mortem absolui cupere; imò alterii hoc, est culpabile iuxtà aliquos. Quod cum Theologus attribuat S. Eliæ, videat quantum ei detrahat: Potiùs ergò dicendum, quòd S. Pater Elias desiderabat mortem, non propterea, quia ipse mala patiebatur, sed quia contrà Deum multa mala fieri videbat; quia videlicet Prophetæ Domini occidebantur, altaria eius destruebantur, peribat lex, & cultus Dei de terra; ideò inquam melior sibi videbatur mors, quàm cernere mala ista in diebus suis. Sic Abulensis suprà hunc locum q. 4. Qui & vlteriùs probat, istud verè fuisse motiuum illius ad petendam mortem: quia cùm postmodum Deus diceret illi. *Quid hic agis Elia?* Respondit; *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, &c.* Quasi dicat: Pro zelo quem habeo pro Domino Deo exercituum, facio omnia hæc, fugiendo in desertum, & desiderando mortem. Et mox subiungit Abulen. *Quòd si aliquis dicat, Eliam propter tædium vitæ laboriosæ, desiderasse mortem, secundum hunc non excusabitur S. Elias à peccato saltem veniali.* Hæc Abulensis. Idem motiuum alij Expositores docent habuisse S. Eliam, ad expetendam mortem: specialiter Nicolaus de Lyra inquit: *Petiuit à Deo, quòd animam suam*

de

de corpore acciperet: Optabat enim magis mori, quàm videre per idololatras contemptum Dei.

PROPOSITIO XLIX.

Et Sanctus Paulus, ob labores vitæ Apostolicæ animarum causa susceptos, dicebat, Rom. 7. vers. vers. 24. Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

HÆC Propositio est falsissima, & maximam inscitiam Authoris ostendit: repugnat enim euidentissimè textui citato: quod vt pateat, proferendus est integer textus. Sic ergò inquit ibi Paulus. *Velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet: Condelector enim legi Dei, secundum interiorem hominem; Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, qua est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Hæc Paulus. Sed & si placet euoluat lector totum contextum Cap. & iudicet si vel minimum eius, quod dixit Teologus, vestigium, aut indicium illic reperitur: Paulum scilicet ob labores vitæ Apostolicæ dixisse. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* & non magis propter legem in membris repugnantem legi mentis, & captiuantem in lege peccati Certè clarissima sunt verba allata & nullus ambigendi locus potest super esse. Ego autem sincerè loquendo, multoties miror, Theologum se audacter obtulisse ad consilia Illustr. qui in multis insigniter, vel potiùs turpiter errauit. Grauiter autem criminis falsi condemnandus est, qui S. Paulo imposuerit, quod omninò falsissimum esse, textus illius apertissimè demonstrat. Aliquibus verò hæc Propositio Authoris videtur posse notari suspicione hæreseos, eò quod manifestè est contraria textui Sacræ Scripturæ. Ego autem inaduertentiæ Authoris parco, quamuis reuera materialem hæresim videatur sonare ista Propositio. Hæreticum enim profectò est, & contumeliosum, asserere, quod S. Paulus, propter labores vitæ Apostolicæ animarum causa susceptos, diceret se infelicé, cùm aliàs dixisset 2. ad Timot. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui,*

mauj, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Sed id potest etiam ex ipsomet textu argui erroris. Ad illa enim verba: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* subiungit Paulus: *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Non est autem dignum asserere, quod Apostolus censuerit esse gratiam liberari ab Apostolatu: quandoquidem ipse Apostolatus erat gratia gratis data quam commendat ipsemet Theologus ex S. Chrysostomo.

PROPOSITIO L.

Et 1. Cor. 8. Non volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere.

SED & ex hoc loco ineptè satis colligit Theologus, quasi Apostolus tale tædium in tribulatione habuisset, vt mori potius optasset, quàm eas perpeti. Non enim sic intelligendus est locus Pauli: sed potiùs, quemadmodum legit Tertullianus de Resurrect. Carnis cap. 48. *Nolumus vos*, inquit, *ignorare fratres de pressura nostra apud Asiam, quod super quàm grauati sumus supra vires, vti de vita hæsitaremus.* Cui expositioni consentit Iustinianus Societatis IESV. in Paraphrasi. *Grauati sumus*, inquit, *adeò vt prorsus perplexi, atque impediti, & consilij inopes essemus, neque vllum appareret refugium, quo periculum vitæ euaderemus.* Vel certè & coincidit in idem: *vt tæderet nos etiam viuere*: ideſt, *vt desperaremus nos etiam viuere*, prout vertit S. Ambrosius: Et eundem sensum horum verborum Apostoli sequuntur Theophil. Theodor. neque dissentit Chrysost. A quorum omnium intellectu maximè recedit Theologus, dum imponit Apostolo, quasi propter labores Apostolicæ vitæ tæderet eum viuere. A qua calumnia ipsemet Paulus se vindicat. ad Philipp. 1. *Mihi*, inquit, *viuere Christus est, & mori lucrum. Quòd si viuere in carne hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro. Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, & gaudium fidei.* Hæc S. Paulus. Et certè si Beatus Martinus non recusabat laborem, si adhuc populo Dei esset necessarius; & nec mori timuit, nec viuere recusauit; multò magis Paulus, qui primitias spiritus acceperat.

Sed

Sed iam vide quàm grauiter Epistola Authoris sit contumelioſa, & iniurioſa in Sanctos, vt ex dictis ipſius circà Eliam, & Paulum patet: indigna certè, quòd aliquando viderit Solem, digna verò quòd perpetuæ obliuioni tradatur, & nocti, quàm Ægyptiacæ tenebræ occuparet, & caligo obcuriſſima inuoluerent; dedicetur; vtpotè, quæ etiam Sanctis non parcit.

PROPOSITIO LI.

Vndè mirum non eſt, quoſdam multa paſſos pro Dei gloria, etiamſi morte naturali extincti ſint, inter Martyres computatos.

AT mihi mirum eſt, Theologum adeò delicatum Martyrem, qui mallet acerbitatem mortis ſubire, quàm famæ, & honoris pati iacturam: imò potiùs vellet occidere alterum ob defenſionem honoris proprij, & ad euadendam aliquam contumeliam grauem, hæc tàm inconcinnè, tàm ſine connexione ſubdentem, vt diſſolutas compages corporis infirmi huius Epiſtolæ non poſſit Lector non obſtupeſcere. Dum enim tractaſſet Theologus de perpeſſione infamiæ, aut inhonorationis, & poſtmodùm de laboribus vitæ Apoſtolicæ, ecce adducit quoſdam multa paſſos, morte naturali extinctos, inter Martyres tamè computatos. Mi Theologè, ad quid enim hæc ſubiunxiſti? Hi quos inducis paſſi ſunt, non ſoliùs honoris, & famæ iacturam, aut labores vitę Apoſtolicæ; ſed etiam paſſiones merè corporales exteriùs illatas; & computati ſunt inter Martyres, non quia honoris, aut famæ paſſi ſunt iacturam, aut labores vitæ Apoſtolicæ ſuſtinuerunt, alioquin & Confeſſores, & Doctores eſſent Martyres; ſed quia ſuſtinuerunt paſſiones exteriùs illatas, & eas vicerunt. Vt enim docet S. Thomas in 4. diſt. 49. q. 5. art. 3. quæſtiun. 2. Martyrij aureola debetur propter perfectiſſimam victoriam de exterioribus. Et in reſp. ad 4. ait. *Difficultati illi, quæ accidit in ſuſtinendo dolores tactus, putà, qui ſunt in verberibus, & huiuſmodi, debetur aureola magis, quàm difficultati ſuſtinendi interiores dolores, pro quibus tamen aliquis non propriè dicitur Martyr, niſi ſecundùm quandam ſimilitudinem.* Et in reſp. ad 5. ait. *Soli iniuriæ, quæ irrogatur circà cortus proprium, ex qua nata eſt mors ſequi, debetur aureola. Sive igitur aliquis propter Chriſtum res temporales, ſive famam, vel quicquid huiuſmodi, amittat, non efficitur propter hoc propriè Martyr, nec meretur aureolam. Nec plus aliquis poteſt ordinatè*

N. res.

res exteriores diligere, quàm proprium corpus. Amor autem inordinatus non coadiuuat ad meritum aureolæ. Nec etiam potest dolor de amissione rerum coæquari dolori de corporis occisione, & alijs huiusmodi. Hæc Sanctus Thomas. Tu autem Theologe aperi oculos, & vide, an Propositiones tuas ex doctrina S. Thom. decerpseris, vt pollicitus eras. Sed condonandum est tibi: Lippos enim oculos habes, & non valuisti fortiter infigere, aciem visus tui in Solem splendidissimum radiantem è pectore Thomæ Aquinatis.

PROPOSITIO LII.

Sit Ecclèsia S. Marcellum Papam pro martyre colit 16. Ianuarij, S. Felicem 14. Ianuar. & S. Hyginum Papam 11. Ianuar.

HÆC Propositio imperitiam Authoris ostendit, eumque prodit Historiarum minimè gnarum. Si tacuisset, nunquam pœnituisset eum silentij, at fortassis nunc pœnitebit eum locutum fuisse. Vt autèm in aperto cernas inscitiam eius; euolue historias singulorum, quos adducit. Et in primis Sancti Marcelli Papæ: de quo Martyrologium Romanum sic habet. *Romæ via Salaria natalis Sancti Marcelli Papæ, & Martyris, qui ob Catholicæ fidei confessionem, iubente Maxentio tyranno primò fustibus cæsus, deinde ad seruitium animalium cum custodia publica deputatus, ibidem seruiendo amictu indutus cilicino defunctus est.* In primo verò Tomo Conciliorum sic de ipso habetur. *In seruitio animalium, nudus, amictus cilicio, defunctus est.* Platina verò in libro de vitis Pontificum sic ait. *Mense nono captiuitatis suæ, à clericis nocte à catabulo liberatus est. Qua ex re maiori percitus ira Maxentius, Sanctissimum virum in catabulum redegit: vbi cum fedè, & incommodè habitaret, pædore, & situ mortuus est.* S. verò Thomas in 4. Distinct. 49. quæst. 5. artic. 3. quæstiunc. 1. ad 7. ait. *Si ex vulnere mortali susceptò, non moriatur aliquo casu contingenti, vel etiam vulnera non mortalia susceperit, & adhuc carcerem sustinens moriatur, adhuc aureolam meretur: vnde, & quorundam Sanctorum Martyria in Ecclesia celebrantur, qui in carcere mortui sunt, aliquibus verberibus longè ante susceptis; sicut patet de Marcello Papa. Qualitercunque igitur afflictio propter Christum illata vsque ad mortem continuetur, siue mors inde sequatur, siuè non, aliquis Martyr efficitur, & aureolam meretur. Si verò non continuetur vsque ad mortem, non propter hoc aliquis dicetur Martyr. Sicut patet de Syluestro, de quo nō solemnizat Ecclesia, sicut de Martyre, quia in pace*

vitam

vitam finiuit, quamuis priùs aliquas passiones sustinuerit. Hæc Sanctus Thomas. Ex his omnibus habes, S. Marcellum passiones exteriùs illatas sustinuisse, imò & vsque ad mortem eas continuatas fuisse, & amplius eadem causam mortis eius extitisse. Loci enim fæditate multisq; ærumnis afflictus obijt. Non ergò omninò morte naturali, vt ait Theologus, extinctus est. De S. verò Felice sic habet Martyrologium Romanum. *Nolæ in Campania natalis S. Felicis presbyteri, qui vt S. Paulinus Episcopus scribit, cum à persecutoribus post tormenta in carcerem mitteretur, & cochleis ac testibus vinctus superpositus iaceret, nocte ab Angelo solutus, atq; eductus fuit: postmodum verò cessante persecutione, cùm vitæ exemplo ac doctrina multos ad fidem Christi conuertisset, clarus miraculis in pace quieuit*. Ex quo patet, S. Felicē, non solum iacturam honoris, aut famæ, & labores vitæ Apostolicæ sustinuisse, sed etiam afflictiones corporis ab extrà illatas, perpessum fuisse. Tandem de S. Hygino sic Martyrologium Rom. habet. *Romæ natalis S. Hygini Papæ, qui in persecutione Antonini glorioſe martyrium consummauit*. Baronius verò in Annotationibus dicit. *Sub persecutione Antonini coronatum esse martyrio. Idem lib. Roman. Pontif. Euseb. in Chron. & alij omnes testantur*. In Annalibus verò sic ait. *Christi anno 158. Syluano, & Augurino Coss. vndecima Ianuar. Hyginus Romanus Pontifex, cùm sedisset annos quatuor, duobus minùs diebus (vt colligitur ex tempore ingressus eius, vsque ad diem qui natalitio ipsius adscriptus est, in Romano Martyrologio) moritur Martyr*. Hæc ille. Et licet quòd ad res Hygini spectat, remanserunt (vt ait idem Baronius loco citato) sicut & aliorum quorundam antiquorum Romanorum Pontificum, prorsùs obscuræ: non tamen ambigendum est, eum Martyrio vitam finiuisse. Sicut etiam quorundam Sanctorum Historiæ non sunt prorsus indubitatæ, vt Christophori, Georgij, Catherinæ: non tamen dubitandum est, eos verè Sanctos Martyres fuisse. Turpissimè ergo errauit, & contra manifestam veritatem Historiæ locutus est Theologus, Sanctum Hyginum Papam morte naturali extinctum fuisse, & ex hoc solo conuincitur maxima ignorantia Authoris in Historijs.

PROPOSITIO LIII.

Et S. Lutgardis Virgo Ordinis Cistercienſis, ad æqualem gloriam cum S. Cathaina Virgine, & Martyre electa fuit, & ſi ſine ferro & ſanguine obierit, teſte Thoma Cantipratano, apud Surium 16. Iunij.

HÆC Propoſitio incongruè adducitur ab Authore, cuius intentio eſt monſtrare, quoſdam multa paſſos pro Dei gloria, etiamſi morte naturali extinctos, tamen inter Martyres computatos. Aliud eſt enim aurea, aliud eſt aureola, vt docet S. Thom. in 4. Senten. Diſt. 49. quæſt. 5. artic. 1. Cuius ſolius auctoritas citatur, quia Theologo ſufficere creditur, vt aſſentiatur, eo quòd addictiſſimum eidem S. Doctori ſe ipſum eſſe, mentitur. Verba S. Doctoris ſunt hæc. *Opus meritorium rationem meriti ex duobus habet, ex quibus habet etiam bonitatis rationem, ſcilicèt ex radice charitatis, quæ refertur in finem vltimum: & ſic debetur ei eſſentiale præmium, ſcilicèt peruentio ad finem, quæ eſt aurea: & ex ipſo genere actus quod laudabilitatem quandam habet ex debitis circumſtantijs, & ex habitu elicitente, & proximo fine: & ſic debetur ei quoddam accidentale præmium, quod aureola dicitur.* In fine verò corporis articuli dicit. *Vndè oportet aureolam ab aurea differre.* In reſponſione verò ad 2. dicit. *Non ipſum præmiũ eſſentiale magis intenſum dicitur aureola, ſed id quod præmio eſſentiali ſuperaddituꝛ indifferenter, ſiuè ſit maius præmium eſſentiale habentis aureolam, ſiuè minus, ſiuè æquale præmio eſſentiali non habentis.* Et in reſponſ. ad 5. ait. *Maior eſt excellentia meriti, quæ conſurgit ex charitate, quàm illa, quæ conſurgit ex genere actus: ſicut finis ad quem ordinatur charitas, eſt potior ijs, qui ſunt ad finem, circà quæ actus noſtri conſiſtunt, vndè etiam præmium reſpondens merito ratione charitatis, quantumcunque ſit paruum, eſt maius quolibet præmio reſpondente actui, ratione ſui generis; & ideò aureola diminutiuè dicitur, reſpectu aureæ.* Articulo verò 3. quæſtiunc. 2. in reſp. ad 3. ait. *Cum actus Martyrij maximam difficultatem habeat, voluntas Martyrij non pertingit ad illud meruum, quod actui Martyrum debetur ratione difficultatis: quamuis poſſit etiam peruenire ad alterius præmium, conſiderata radice merendi. quia aliquis ex maiore charitate poteſt velle ſuſtinere Martyrium, quàm alius ſuſtineat; vnde voluntariè Martyr poteſt mereri ſua voluntate præmium eſſentiale æquale, vel maius eo, quod Martyri debetur; ſed aureola debetur difficultati, quæ eſt in ipſa pugna Martyrij, vndè aureola voluntariè tantùm Martyribus non debetur.* Conformiter ad id art. 5. eiuſdem q. quæſtiunc. 3. inquit. *Scien-*

dum,

dum, quòd meritum aureolæ potest intendi dupliciter. Vno modo ex parte radicis: Alio modo ex parte operis. Contingit enim esse aliquos, duos quorum vnus ex minori charitate maius tormentum martyrij sustinet, vel magis prædicationi instat, aut etiã magis se à delectationibus carnis elongat. Intensioni ergo meriti, quæ attenditur penès radicem, non respondet intensio aureolæ, sed intensio Aureæ; Sed intensioni meriti, quæ est ex genere actus, respondet intensio aureolæ; vndè potest esse, quòd aliquis, qui minus in martyrio meretur quantum ad essentiale præmium habebit pro Martyrio maiorem aureolam. Hæc S. Thomas. Ex quibus habetur, quòd S. Lutgardis ad æqualem gloriam essentialem, siuè ad æqualem aureã, siuè de æquale præmium essentiale cum S. Catherina Virgine, & Martyre, electa est; non tamen ad æqualem aureolam Martyrij, cùm sine ferro, & sanguine obierit. Quia autem Theologus omnia inuoluit, & minimè distinguit; ideò hoc nomine meritò reprehensibilis censetur.

PROPOSITIO LIV.

Eandemque ob causam S. Damascenus in vita S. Barlaam, & Iosaphat scriptum reliquit, Religiosos animo, ac voluntate Martyres effectos, ea gloria, quam martyres obtinent, minimè carere.

HÆC Propositio æquè est incongrua, & inoluta ac præcedens? Religiosi enim animo, ac voluntate Martyres effecti ea gloria essentiali, quàm Martyres obtinent minimè carent; at carent ea gloria, quæ dicitur aureola. Martyres enim animo, ac voluntate tantùm, non sunt propriè Martyres, vt docet Sanctus Thomas in 4. Sent. D. 49. quæst. 5. art. 3. quæstiunc. 2. ad 5. *Afflictio*, inquit, *pœnitentiæ non est propriè loquendo martyrium, quia non consistit in his, quæ ad mortem inferendam ordinantur, cùm ordinetur solum ad carnem domandam, quam mensuram si excesserit, erit afflictio culpanda. Dicitur ergo propter similitudinem afflictionis martyrium, quæ quidem afflictio excedit Martyrij afflictionem diuturnitate, sed exceditur intensione.* Articulo verò 5. quæstiunc. 1. in resp. ad 2. ait. *Paupertas quamuis sit opus perfectionis, non tamen tenet summum locum in aliqua spirituali pugna, quia amor corporalium minùs impugnat, quàm concupiscentia carnis, vel persecutio inflicta in corpus proprium. Vnde paupertati non debetur aureola, sed debetur ei iudiciaria potestas, ratione humiliationis quæ consequitur paupertatem, vt suprà dictum est.* Glossa autem inducta largè accipit aureolam pro quolibet præmio, quod redditur me-

rito

vito excellenti. Et similiter, inquit, dicendum ad 3. & 4. Tertium autem argumentum erat de obedientia. Quartum de operibus supererrogationis. Sed in vniuersum docuit S. Thomas, quòd aureola voluntariè tantùm Martyribus non debetur, vt circà Propositionem præcedentem visum est.

PROPOSITIO LV.

Quod certè magis locum habet in ijs, qui iuxtà signum bonorum à S. Bernardo traditum, plura quàm alij bona faciunt, & plura quàm alij mala patiuntur, & minores fauores, & laudes, & applausus humanos reportant.

HÆC Propositio æquè ac præcedens est implicata. Ij enim, qui plura, quàm alij bona faciunt, & plura, quàm alij mala patiuntur, & minores fauores, & laudes, & applausus humanos reportant, & si ea gloria essentiali, qua Martyres, minimè carent, aureolam tamen Martyrij non obtinent; alioquin, & Confessores essent Martyres. Cæterum ne quis in signis bonorum deficiat, expendenda sunt ea, & limitanda iuxtà Sacram Scripturam, & doctrinam Sanctorum. Ij ergo sunt boni, qui plura, & perfectiora, quàm alij bona faciunt, secundùm mentem eiusdem Theologi expressam in Propositione iv. Plus enim est, aliquot opera perfecta facere, quàm plurima imperfecta & tepida. Illi sunt boni, qui plura, quàm alij mala patiuntur, sed patienter patiuntur: nàm plurimi non patienter patiuntur, imò inuiti patiuntur; & ideò patiendo non merentur, quia meritum non est in sola passione, sed in patienti perpessione: siue plura, quàm alij, mala patiuntur: at non faciunt alios pati. Sæpè enim aliqui ideò patiuntur, quia alios pati faciunt, quando videlicèt angustiantur vasa carnis, quia non dilatantur spatia charitatis: Sinè plura, quàm alij mala patiùtur, sed non resistunt, ad imitationem Christi, qui vicit non resistendo, sed patiendo, & ad exemplum Martyrum à Theologo inductorum, qui si restitissent, minimè Martyres fuissent; vt vel indè agnoscas, eos qui resistunt, neq; inter voluntariè Martyres computandos; vtpotè, qui nõ satisfaciunt præcepto Christi Matth. 5. *Esto*, inquit, *consentiens aduersario tuo*. Et iterùm. *Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram: & ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium: & quicunque*

cunque te angariauerit mille passus, vade cum illo, & alia duo. Neque satisfaciunt consilio Pauli ad Roman. 12. *Nulli malum pro malo reddentes, prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Siue plura, quàm alij mala patiuntur, sed non patiuntur sicut ille, cui dictum est Ioann. 5. *Noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat:* multi enim mali, plura quàm alij mala patiuntur: sed patiuntur boni sicut ille, cui dictum est: Ioann. 9. *Neque hic peccauit neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.* Denique plura, quàm alij mala patiuntur, nomine Christi, & propter Christum, secundùm quod scriptum est 1. Pet. 4. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus, super vos requiescit. Nemò autem vestrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine, quoniam tempus est, vt incipiat iudicium a domo Dei.* Ij sunt boni qui minores fauores, & laudes, & applausus humanos reportant; sed eos minimè quærunt. Plerique enim ideò iusto Dei iudicio minores fauores, & applausus humanos reportant, quia eos quærunt: secundùm dictum Chrysostomi homil. 39. ad popul. Antioch. *Gloriam,* inquit, *aliter assequi non licet, nisi gloriam fugiendo, nam donec quidem eam sectamur, nos fugit, cùm autem eam fugimus, nos ipsa sequitur.* Quamobrem homil. 72. in Cap. 22. Matth. dicit. *Ità contraria tibi eueniunt, quam desideras. Tu quidem maximè cupis, vt de te admirans, ille misericors, ille humanus, ille benignus, dicat: Ipse autem istud non dicet: sed, ille inanis gloriæ cupidus prædicabit, ille, qui omnibus quouis modo placere hominibus studeat, cæteraque his deteriora. Si verò tu celabis: tunc exclamabit. O misericordem illum atque humanum. Non enim grande aliquid, aut præciputum occultari diutiùs Deus patitur: sed si tu celabis, ille manifestabit, ita & mirabilior eris, & maiora lucraberis. Quare ad acquirendam gloriam contraria est omninò ostentatio.* *Nàm ad quod festinanter pergimus, ad illud impedimento solet maximè esse: Non enim beneficientia gloriam solùm amittimus, sed contrarium quoq; acquirimus, & ad hæc non paruis nos incommodis subijcimus.* Et Hom. 35. imperfecti operis in Matth. *Primatus,* inquit, *fugientem se desiderat, desiderantem se odit.* Et Hom. 29. in Epist. 2. ad Corinth. ait. *Si vis gloria fulgere, gloriâ comtemne, si gloriâ sectaberis, gloria excides.* Consonant his Greg. Mag. lib. 31. Moral. cap. 7. *Eenè,* inquit, *de superbis dicitur: quòd eorum facies in foueâ demerguntur, quia ima petunt, dum superbiendo altiora appetunt; & quò magis extolleudo se erigunt, eò magis ruendo inferiùs tendunt.* Conformiter ad idē Prouerb. 29. dicitur. *Superbum sequitur humilitas, & humilē Spiritu, suscipiet gloria:* Et Prouerb. 16.

Con-

Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur Spiritus. Ecclesiastici quoque 10. *Radices gentium superbarum arefecit Dominus, & plantauit humiles*.

PROPOSITIO LVI.

Illas Religiones pluris facias, in quibus maius est orationis studium, quàm Psalmodiæ.

HÆC. Propositio est contumeliosa, & iniuriosa in Religiones; supponit enim, quòd in aliquibus Religionibus maius est studium Psalmodiæ, quàm Orationis. Item est subuersiua iuuētutis, quæ inde potest habere occasionem, vt abhorreat à Religionibus profitentibus Psalmodiam.

Item est friuola, & deceptoria; præscindit enim studium Psalmodiæ à studio Orationis; quasi Psalmodia non inuoluat orationem, non tantùm eam, quæ dicitur vocalis, sed etiam eam, quæ dicitur mentalis. Imò de ratione perfectæ Psalmodiæ Ecclesiasticæ est, vt non solùm aliquis spiritu, sed & mente psallat Deo, secundùm illud Apostoli 1. Corinth. 14. *Psallam spiritu, psallam & mente*. Psallere enim spiritu hoc loco accipiunt Ambrosius, & Anselmus pro sono linguæ, & externa voce: nam etiam spiritus de spiritu corporali dicitur, vt sit sēsus; psallam lingua, psallam & mente. Et iterum ad Ephes. 5. dicitur. *Loquentes vobismetipsis, in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino*. Denique ad Coloss. 3. *Docentes, & commouentes vosmetipsos in Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo*. Quibus in locis coniungit Apostolus (vt patet) Psalmodiæ siuè Orationi vocali, interna orationem. Incepit igitur ista duo disiunxit Theologus. Quamuis enim aliquando contingat, quòd ex Psalmodia aliquis minus lucretur, vel à deuotione retrahatur, id prorsus est peraccidens, ex vitio, & defectu quorundam. Et vt inquit S. Thomas super Epist. ad Ephes. cap. 5. Lect. 7. *Si ex hoc aliquis commoueatur ad dissolutionem, vel in gloriam inanem, hoc est, contrà intentionem Ecclesiæ*. Et 2. 2. quæst. 91. art. 2. ad 5. ait. *Per cantum, quo quis studiosè ad delectandum vtitur, abstrahitur animus à consideratione eorum, quæ cantantur*. *Sed si aliquis cantet propter deuotionem, attentius considerat, quæ dicuntur: tùm quia diutius moratur super eodem; tùm quia, vt Augustin. dicit in 10. Confess. omnes affectus spiritus nostri pro sua diuersitate habent proprios modos in*

voce.

voce atque cantu, quorum occulta familiaritate excitantur. Et eadem etiam est ratio de audientibus; in quibus etsi aliquando non intelligant, quæ cantantur, intelligunt tamen propter quid cantantur, scilicet ad Laudem Dei, & hoc sufficit ad deuotionem excitandam. Hæc S. Thomas.

Item Propositio dicta est friuola, & decerptoria, ex hoc quasi Religiones illæ non sint pluris faciendæ, in quibus simul est studium Orationis, & studium Psalmodiæ; & maius Orationis studium, quàm Psalmodiæ præ illis Religionibus, in quibus est tantùm studium Orationis, non item Psalmodiæ. Si enim illa Religio secundùm Theologum est perfectior, quæ habet plura media ad assequendum finem suũ, & magis ordinata, siue auxilia plura & meliora; vtiq; illa Religio, quæ habet Orationem simul, & Psalmodiam erit perfectior, quia plura adiumenta habet ad assecutionem eius finis, ad quem est instituta. Neque enim Psalmodia officit in Religionibus, quia possint incumbere conuersioni animarum, vt postea patebit: imò Psalmodia multùm confert ad prouocãdos affectus proximorum in Deum, vt suprà monstratum est circà Propositionem XIII. Item dicta Propositio est friuola, & deceptoria ex hoc, quòd videtur supponere non pertinere ad statum Religionis Psalmodiam, & non subseruire perfectioni Religionis. Quorum vtrumque falsum est. Primò enim Psalmodia non solùm est non aliena à statu Religionum, etiam conuersioni animarum incumbentium, vt patet ex consuetudine Religionum à Sancta Sede approbatarum, & ad obeundas functiones, & ministeria circà salutem proximorum destinatarum, Psalmodiam tamen retinentium; Religionem inquam Sanctissimi Dominici, & Seraphici Francisci, & aliorum; sed etiam spectat ad statum Religionis *Religio enim* (vt habet S. Thom. 2. 2. quæst. 81. art. 1. in corp.) *videtur dicta à relegendo ea, quæ sunt diuini cultus: quia huiusmodi sunt frequenter in corde reuoluenda secundùm illud Prouerb. 3. In omnibus vijs tuis cogita illum, Quamuis etiam possit intelligi Religio ex hoc dicta, quòd Deum recligere debemus, quem amiseramus negligentes. Sicut Augustinus dicit in 10. de Ciuitate Dei: vel potest intelligi Religio à religando dicta. Vndè Augustinus dicit in lib. de vera Religione. Religet nos Religio vni omnipotenti Deo. Siue autem Religio dicatur à frequenti relectione, siue ex iterata electione eius, quòd negligenter amissum est, siue dicatur à religatione: Religio propriè importat ordinem ad Deum. Ipse enim est, cui principaliter alligari debemus, tanquam indeficienti principio, ad quem etiam nostra electio assiduè dirigi debet, sicut in vltimum finem; quem etiam negligenter peccando amittimus, & credendo, & fidem protestando recuperare debemus.* Hæc ibi. In Opusc. verò 19. Cap. 1. sic ait. *Primò, & principaliter ad veram Religionem pertinere noscuntur, quæcunque ad fidem integram pertinent, & debitam latriæ seruitutem. Sed secundò ad Religionem pertinere noscun-*

tur illa omnia, in quibus possumus seruitium Deo *exhibere: quia vt Augustin. dicit in Enchirid. Deus colitur non solùm fide: sed spe & charitate, vt sic omnia charitatis opera, Religionis esse dicantur. Vndè Iacob. 1. Religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione earum &c. Ex his ergo patet, quòd duplex est Religionis acceptio. vna secundùm sui nominis primam institutionem, secundùm quod aliquis* Deo *se ligat per fidem ad debitum cultum: & sic quilibet Christiana Religionis sit particeps in baptismo, abrenuntians Sathanæ, & omnibus pompis eius. Secunda prout aliquis ad aliqua charitatis opera, se obligat, quibus specialiter* Deo *seruitur, abrenuntians secularibus: & hoc modo Religionis nomine ad præsens vtimur.* Hæc omnia S. Thomas. Huic ergo Religioni consentanea est Psalmodia; tũ quia Psalmodia est verè & propriè actus virtutis Religionis; tùm quia est actus quidam ex charitate Dei proueniens, & ad extrà prorumpens, secundùm quod vulgo quos vehementer diligimus, laudare consueuimus. Vndè S. Th. 2. 2. q 81. ar. 12. in corp. ait. *Adiungitur vocalis oratio ex quadam redundantia ab anima in corpus, ex vehementi affectione, secundùm illud Psal. 15. Lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea.* Habetur autem ex eodem S. Th. quòd omnia Charitatis opera, Religionis esse dicuntur. Sicut ergo actus proprius elicitus ab aliqua virtute, consentaneus ei dicitur, & nequaquam alienus ab ea; ita Psalmodia est actus consentaneus virtuti Religionis, & nequaquam ab ea alienus, & consequenter neque alienus à Religione, vt sonat statum personarum Deo religatarum, siuè virtuti Religionis deditarum. *Religiosi enim* (inquit S. Thomas 2. 2. q. 81. ar. 1. ad 5.) *dicuntur, qui totam vitam suam diuino cultui dedicant, à mundanis negotijs se abstrahentes.* Quis ergò audeat dicere, Psalmodiam esse alienam ab instituto Religionum, etiam actioni deputatarum? aut quis audeat dicere, non pertinere Psalmodiam ad Religionem? Et sanè, si Psalmodia non est aliena à ministerio Angelorum, secundùm illud quod habetur Luc. 2. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium* Deum, *& dicentium. Gloria in Altissimis* Deo *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: ex quo verba illa, Canticum Angelorum nominari cæperunt, vt notat Valfridus Strabo in lib. de reb. Eccles. cap. 22. & constat ex Concil. Tolet. 4. Canone 12. quomodo erit aliena à ministerijs Religiosorum? Si Psalmodia non erat aliena à statu Prophetarum, & Leuitarum, vt constat ex veteri Testamẽto, quomodo erit aliena à statu Religiosorũ, qui sunt successores Prophetarum, & Leuitæ noui Testamenti? Si Christus excepit gratãter voces clamantium, *Osanna Benedictus qui venit in nomine Domini*: & ægrè ferentes compescuit illis verbis. *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt*, quid debent expectare Religiosi tacendo, & nõ clamando? nempè id, vt lapides clament. Si Christus ipse cum Apostolis hymnum

num cecinit; quare Religiosi imitatores Christi & Apostolorum non cantent? Si Psalmodia ab Ecclesia recepta, à Concilijs approbata; & SS. Patribus mirificè commendata, quomodo ab instituto Religionis erit aliena? Nemò ergò præsumat sentire, aut dicere ad Religionem non pertinere Psalmodiam.

Secundum, quod monstrandum erat, Psalmodiam scil. subseruire perfectioni, facillimè conuincitur. S. enim Thomas 2. 2. q. 91. ar. 1. ad ait. *Valet exterior laus oris ad excitandum interiorem affectum laudantis.* Et Q. 83. artic. 12. in corp. ait. *Adiungitur vox Orationi triplici ratione. Primò quidem ad excitandum interiorem deuotionem, qua mens orantis eleuatur in Deum: quia per exteriora signa siuè vocum, siuè etiam aliquorum factorum, mouetur mens hominis, & secundùm apprehensionem, & consequenter secundùm affectionem. Vndè August. dicit ad Probam, quòd verbis & alijs signis, ad augendum desiderium sanctum nos ipsos acrius excitamus.* Hæc ille. Si ergo Psalmodia excitat affectum & promouet amorem Dei; vtique promouet & perfectionem; quia perfectio consistit in dilectione, quod aliquoties repetit Theologus. Et certè si Psalmodia non conducit ad perfectionem Religiosæ vitæ, vtiquè posset æstimari à statu Religionis aliena. Cùm enim status Religiosus sit status perfectionis, inde est quod quicquid à perfectione alienum erit, siuè priuatiuè, siuè negatiuè, id est, siuè contrarium perfectioni, siuè non pertinens ad perfectionem, etiam à statu Religionis erit alienum, hoc est vel ei contrarium, vel ad ipsum non pertinens. Plura hac de re diximus in Propos. xiij.

PROPOSITIO LVII.

Proindè S. Thomas 2. 2. q. 91. art. 2. ad 3. ait nobiliorem esse modum prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam, & prædicationem, quàm per cantum.

HÆC Propositio ineptè est subnexa præcedenti ab Authore. Quid enim connexionis habet, vt dum prætendit Religiones pluris faciendas, in quibus est maius studium Orationis, quàm Psalmodiæ, subdat, nobiliorem modum prouocādi homines ad deuotionē per doctrinam & prædicationem, quàm per cantum? Nonne aliud est Oratio, aliud prædicatio, & doctrina? Et tamen Theologus suum studium connexionis monstrauit, apponendo illam particulam con-

nexionis: *proindè*. Sed ad rem ipsam accedo. Equidem nobilior est modus prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam, & prædicationem, quàm per cantum: at multò nobilior est modus prouocandi homines ad deuotionem per vtrumque simul, scilicèt & per prædicationem, & per cantum. Et cõsequenter illa Religio pluris facienda, quæ prouocat homines ad deuotionem per prædicationem, & cãtum, quàm illa, quæ prouocat homines ad deuotionem perprædicationem tantùm, nonetiam per cantum. Ipse enim Theologus suprà dixit: Religionem illam esse meliorem, quæ plures & meliores, & per plures vias ac modos, & pro pluribus locis ac personis, fructus reddit. Plures autem viæ, & modi sunt, prouocare homines ad deuotionẽ per prædicationem, & per cantum, quàm per solam prædicationem sine cantu. Iterùm Theologus dixit, quòd illa Religio est melior, quæ habet plura media, & magis ordinata, siuè auxilia plura & meliora ad consequendum suum finem: plura autem sunt media, siuè plura auxilia ad conuertsionem animarum, prædicatio & cantus, quàm sola prædicatio. Psalmodia enim confert etiam ad prouocãdos affectus proximorum ad Deum, vt suprà ex S. Thoma monstratum est, circà Propositionem xiij. Sed age, aliam rationem inibo cum Theologo. Nulla est Religio in Ecclesia Dei, quæ homines non prouocat ad deuotionem aliquo modo per sonum saltem artificialem. Quamuis enim aliquæ Religiones, dictæ Equestres, seù militares, careant Choro, adhibent tamen suis Ecclesijs musicam instrumentalem, circà celebrationem Missarum, & Vesperarum. Quærò quis nobilior modus prouocandi homines ad deuotionem, per cantum, an per organa? Si ambigat, resoluet mentem eius dubiam S. Thomas, qui 2. 2. quæst. 91. art. 2. ad 4. de musica instrumentali sic loquitur. *Sicut Philosophus dicit in octauo Politicorum. Neque fistulas ad disciplinam est adducendam, neque aliquod aliud artificiale organum, puta, cytharam, & si quid tale alterum est: sed quæcunque faciunt Audutores bonos. Huiusmodi enim musica instrumenta magis animum mouẽt ad delectationem, quàm per ea formetur interiùs bona dispositio. In veteri autem Testamento vsus erat talium instrumentorum, tum quià populus erat magis durus, & carnalis, vndè erat per huiusmodi instrumenta prouocandus, sicut & per promissiones terrenas: tùm etiam quia huiusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant.* Hæc de musica instrumentali. De cantu verò in corp. art. Idem S. Th. sic ait. *Salubriter fuit institutum, vt in diuinas laudes cantus assumerentur, vt animi infirmorum magis prouocarentur ad deuotionem. Vndè August. dicit in 10. Confess. Adducor cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, vt per oblectamenta aurium, infirmorum animus in affectum pietatis assurgat. Et de seipso dicit in 9. Confess. Fleui in hymnis, & canticis tuis, suauesonantis Ecclesiæ tuæ vocibus*

com-

commotus acriter. Hæc S. Thomas. Quibus auditis concedat, vel neget Theologus, nobiliorem esse modum prouocandi homines ad deuotionem per cantū, quàm per organa. Atqui necesse est concedat propter authoritatem S. Thomæ, cuius dictis, tanquam floribus suaueolentibus, & nitidis, campum suæ Epistolæ spinis & tribulis refertum, respersit, & tanquàm lapidibus pretiosis opus suum rude, & informe perpolire conatus est; sed magis imperfectionem eius prodidit. Quod si concedat, vt quid notat Religiones, in quibus est Psalmodiæ studiū? siquidem eæ Religiones nobiliori, & excellentiori modo prouocant homines ad deuotionem, quàm eæ Religiones, quæ omisso Psalmo diæ studio incumbunt curæ prouocandi homines ad deuotionem per organa.

PROPOSITIO LVIII.

Et subdit: Ideò Diaconi, & Prælati, quibus competit per prædicationem & doctrinam, animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus insistere; ne per hoc à maioribus retrahantur S. Gregor. Papa lib. 4. Regist. cap. 88 quod etiam positus est in Decret. Distin. 92. Can. in Sanct. Roman. Ecclesia, præsenti decreto constituto, vt in sede hac sacri Altaris ministri cantare non debeant. Et vt ibidem additur. Consuetudo est valdè reprehensibilis, vt in Diaconatus ordine constituti, modulationi vocis inseruiant, quos ad prædicationis officium, & eleemosynarum studium vacare congruebat, &c. Hæc S. Thom.

HÆC Propositio malam citationem continet. Neque enim in responsione ad 3. citata ab Authore, habentur ista verba: *lib. 4. Registri Cap. 88. quod etiam positum est in Decret. dist. 92. Can. in S. Rom. Ecclesia præsenti decreto constituto, vt in sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant*; quod vt agnoscas, en produco totum textum S. Thomæ. *Ad tertium dicendum quòd nobilior modus est prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam & prædicationem, quàm per cantum. Et ideò Diaconi & Prælati, quibus competit per prædicationem & doctrinam animos hominum prouocare in Deum,*

non

non debent cantibus insistere, ne per hoc à maioribus retrahantur. Vndè ibidem Gregorius dicit. Consuetudo est valdè reprehensibilis, vt in Diaconatus ordine constituti, modulationi vocis inseruiant, quos ad Prædicationis officium, & eleemosynarum studium vacare congruebat. Hæc S. Thomas. Tu autem vide manifestam infidelitatem Auctoris. Nam vt inquit S. Chrysost. Homil. 21. in Cap. Genes. 4. *Si inscriptis, quæ de singularibus negotijs ab hominibus conficiuntur, sæpèque corrumpuntur, vel vnam Proæmij syllabam deesse, multum momenti habet*: atque par ratio videtur aliquid superesse, quantò magis scriptis alicuius Sancti Patris, aliquid detrahere vel addere, pluris intererit.

Quod verò ad rem ipsam attinet; incongruè sanè hunc locum Sancti Thomæ Theologos adducit: ipsius enim intentum est, monstrare Religiones, quæ attendunt conuersioni animarum, non debere studere Psalmodiæ; argumentum verò adfert de Prælatis & Diaconis: aliud autem est loqui de singularibus personis, an debeant abstinere à cantibus, ne per hoc à prædicatione & doctrina retrahantur: aliud verò loqui de Communitate aliqua, seù Congregatione. Sic enim in praxi videmus, quòd quamuis Episcopi non intersint Choro, tamen Congregationes Clericorum, quibus ex instituto incumbit cura animarum peragunt officia Chori. Similiter Religio potest simul attendere, & Choro, & conuersioni animarum; vel quia vtrumque simul commodè perficere potest, distribuendo tempora ordinatè: vel quia saltem non omnes apti & idonei Prædicationi actuali sunt, & hi possunt Choro deputari: vel quia non est tanta necessitas Prædicationis, vt omnes exponi cogat. Sic videre est tot Sanctissimas Religiones simul & Choro, & actioni incumbere; vt patet de inclyto Ordine Prædicatorum, & præclaro Ordine S. Francisci, & tot alijs Ordinibus in Ecclesia Dei insignibus. Et certè nulla ratione æstimandum est, de S. Thom. professore Religionis attendentis Choro, quòd voluerit Religiosos Prædicatores non insistere Psalmodiæ.

PRO-

PROPOSITIO LIX.

Quod si propter Eleemosynas corporales sacra Psalmodia debet omitti, multò magis propter spirituales, vti sunt peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè consulere, consolari mœstos, Sacramenta administrare, libros pro defensione Sanctæ Ecclesiæ, & alios similes pro dilatanda Diuina gloria conscribere, &c.

HÆC Propositio absolutè est falsa. Aliud est enim, an ab aliqua Religione Sacra Psalmodia possit omitti: aliud verò an debeat omitti. Potest quidem ab aliqua Religione Sacra Psalmodia propter eleemosynas spirituales licitè, & laudabiliter omitti, sed tamen non est obligatio omittendi illã, alioquin omnes Religiones vacantes spiritualibus eleemosynis, huic obligationi subiacerent, & sacram Psalmodiam omittere deberent. Cui debito tantùm abest vt subsint, imò simul & spirituales eleemosynas faciunt, & Sacræ Psalmodiæ attẽdũt; vt inde liquescat certò, Religionem posse simul & peccantes corrigere, & ignorantes docere, & Sacramenta administrare, & libros pro dilatanda Dei gloria conscribere; nihilominus tamen & Sacræ Psalmodiæ insistere. Inde est, quòd & Religiones Choro deputatæ insignes fructus in Ecclesia Dei ediderunt. Quod vt manifestum fiat, breuem inductionem exemplorum adferam desumptam ex opere Hieronymi Plati de Statu Religionis, paucis quibusdã aliũdè additis, ex qua liquescet quantũ Religiones Chorũ profitẽtes, Ecclesiæ Dei vtiles fuerint.

Primum ergo loquendo de S. Benedicti familia; B. Remigius Anno ferè 350. Clodoueum Regem, & Franciam vniuersam, ab idolorũ cultu ad fidem Christianam adduxit; hic ab ineunte ætate Monachus fuit, ac postea Remensis Archiepiscopus. Item Martinus Monachus anno 540. Suenos ab Ariano errore sanauit. De Anglia notissimũ est, quòd ab Augustino informata, quẽ Gregorius Pontifex, cũ alijs sex Monachis, nempè Sancto Melito, S. Petro, Sancto Iusto, S. Paulino, S. Laurentio, S. Ioanne eò legarat, ad Deum se conuertit, vna cum Rege Eterbero. Anno 603. Nec præteream ipsum Pontificem Magnum Gregorium. (vt in eius vita lib. 1. refert Ioannes Diaconus) qui cùm Monachus adhuc esset, & Anglicos pueros forma pulcherrimos Romæ venales conspiceret, agnoscerctque illos esse infidelitatis tenebris

im-

immersos, tactus dolore cordis intrinsecùs, mox à Benedicto Pontifice vehementer cæpit expetere, vt sibi licentiam in illam Regionem, ad prædicandum Sanctum Euangelium, proficiscendi concederet, qua obtenta profectus est; postea verò tota acclamante Roma, ab eodem Pontifice, post triduum itineris, coactus est ad proprium Monasteriū reuerti. Anno autem 622. Lambertus Leodinensis Monachus Taxandriam Germaniæ Prouinciam; eodemque tempore Kilianus Monachus Francorum gentem ad fidelium numerum aggregarunt: atque hic quidem in eo opere etiam Martyrium subijt. Vvilfridus ex Hierpuensi Monasterio in Anglia, postea Eboracensis Episcopus, anno circiter 683. cùm Romam peteret, tempestate in Frisiam & Hollandiam eiectus est, ne hyemem illic infructuosè degeret, aggressus est Euangelium, quod nullus adhuc ibi auditus fuerat prædicare. Idemque in patriam reuersus, cùm ab improbo Rege Egfrido in sua sede hærere non sineretur, diuertit ad Australes Saxones adhuc in infidelitatis tenebris iacentes, ijsque fidei lumen importauit, & simul toti Insulæ, quæ Vetula dicitur. Cæterùm quòd hic opus in Frisia cæperat, id deinde continuauit Vvilibrodus, ex Monasterio Rupensi in Anglia, qui Traiectensis Episcopus etiam creatus est. Eodem tempore Svvitbertus Lindisfæ in celebri cœnobio Angliæ educatus, vnà cū vndecim alijs, ad Apostolicum numerum repræsentandum, ad Saxones se contulit, ex quibus innumerabiles in Christi fide institutisse fertur: idemq; postea Verdensi Ecclesiæ Præpositus fuit; nec tamen à laboribus suis vnquam cessauit. Insignis quoque in hoc genere fuit Bonifacius, qui adhuc meritò tanquam Germaniæ Apostolus colitur. Hic patria Scotus, cùm adhuc quinquennis à parentibus ipsis oblatus, diu vitam in sanctissimis claustris egisset, à Gregorio Secundo Pontifice in Germaniā missus est, Hasiam Christo adiunxit, anno fermè 717. quàm ob causā ad eos quos docuerat regendos, Moguntino Archiepiscopatu ornatus est: quanquam maius ornamentum postea ex Martyrio accepit. Vvillehadus item, & Lugderus ex Monasterio S. Vvillibrodi in Gallia, in Franconiam Germaniæ Prouinciam profecti, anno circiter 800. & plurimos illic filios Christo Domino pepererunt, ipsique plurimos ea de causa labores pertulerunt. Paulò post etiam, annos videlicet decem. Anscharius cum tribus socijs, ex Monasterio Corbeiensi in Gallia Belgica, plures regiones Euangelij causa peragrauerunt, Daciam, Suetiam, Gotthiam, Groenlandiam: in quibus omnibus vix credi potest, quantùm fructus reliquerint. Ex quo eodem Monasterio prodijt etiam Stephanus, qui primùm Anschario in Suetica messe successit. Deinde in Helinguensem Prouinciam se contulit, quàm totam ab erroribus

roribus ad viam veritatis adduxit; atque ibidem tandem ab impijs quibusdam mactatus, ad Martyrij palmam euolauit. Quo etiam referri debet Abbas Floriacensis Monasterij, Albus dictus, quod à Sancto Mauro in pago Flori Comitis ædificatum fertur; is enim in Vasconia Galliæ parte Religionis propagandæ causa, strenuè laborauit, vir eloquentia insignis, nec minùs sanctitate præstans; ad extremum etiam Martyrio gloriosissimus. Vixit anno fermè 970. Religiosam vitã diù professus, vnà cum Gaudentio fratre Monacho item Sancti Alexij Romæ, in Pannoniam abijt, ad disseminandam Christi fidem, vbi in Gersam Regem incidit, diuino iam ante oraculo monitũ de eius aduentu: itaque ab illo cum honore exceptus, totam illam gentem, anteà ferã, & duram, Christi cultu imbuit. Mox ad Sarmatas digressus, Russis, Lithuanis, Moschis, Prussianis, sed plerumque Polonis, eorumq; Regi Boleslao, Euangelium promulgauit. Demq; in Prusia cùm ab impijs ad stipitem alligatus, septemq; lanceis confixus palpitaret, egisse Deo gratias dicitur, quòd se Martyrij, quod tàm diù iam optarat, compotem fecisset. At Bruno ex Ducali familia, nempè Lotharij Saxoniæ Ducis filius, Monasticam vitam Romæ professus in Cœnobio S. Alexij, à Ioanne xix. ad Ruthenos missus, annum circiter 1025. multos populos ad salutis viam reuocauit. Qua in causa, ne quid ad laudem deesset, Martyrij quoque gloria ornatus est. Eodem quoque tempore Bonifacius Romualdi discipulus in Russiam profectus, Russianum Regem, eiusque Regnum, præter Fratrem, conuertit, à quo impiè cæsus, vineam à se plantatam etiam sanguine irrigauit. Anno verò 1050. Humbertus ex Ordine S. Benedicti Constantinopolim à Pontifice legatus, ad Græcorum schisma confutandum, cum Niceta congressus coram Constantino Imperatore, ita eum disputando conuicit, vt librũ quem scripserat comburere coegerit. Otho etiã ex Monasterio Bambergensi, quæ est Germaniæ Ciuitas anno 1125. à Calisto secundo in Pomeraniam missus, Bracislaum Principem conuertit, cum suis: quin idem etiam loca omnia maritima, Daciæ, Poloniæque finitima, cum magna animarum conuersione peragrauit. Denique complures Saxoniæ Ciuitates obiens, magna animarum conuersione peragrauit. Denique complures Saxoniæ Ciuitates obiens, magnos vbique ad salutem motus effecit. Huic similis fuit Vicelinus, qui non multò post vnà cum quatuor socijs ex Gallia ad Vvandalos profectus, triginta totis annis incredibili labore, vniuersam illam regionem, in qua innumeri fermè erant populi, Christianis imbuit præceptis, & in ijs insignia complura fundauit Cœnobia.

Non recensuimus Bernardum; quia singulariter ponendus est, eò

quod hic solus pro plurimis sufficiat: eius enim beneficia in vniuersam Ecclesiam, vix æstimari possunt. Is in tetro illo schismate aduersus Innocentium ita elaborauit, vt verè dici possit, illius vnius opera, & auctoritate tandem sublatum esse. Primùm enim Gallias ei solus coniunxit, cùm Stampensis Synodus ad hanc rem, ex omnibus Episcopis, & Rege, & Principibus conflata, omne suum iudicium in illius iudicium reiecisset. Denique Henricum Angliæ Regem idem conciliauit, & quidē renitentibus, & aduersantibus omnibus prouincialibus Episcopis: deindè Germaniam quoque omnem. Posteà venit ad Concilium Pisanum, quò omnes Occidentales Episcopi conuenerant: cuius actis omnibus de rebus grauissimis & maximis, non solùm interfuit, sed etiam quodammodo præfuit, cùm scilicèt ad eum omnia referrentur. Exindè cùm Burdegalensis Ecclesia perditorum hominum factione agitaretur, & pluribus iam locis legitimi Episcopi pellerentur, ipse à Pontificis Nuntio Carnotensi Episcopo excitus, flammam illam, Oratione, miraculis, auctoritate extinxit. Post quæ ad vrbem Romā, publicis calamitatibus afflictam, Pontificis pluriumque Cardinalium literis euocatus, publica disputatione Rogerium Siciliæ Regem confutauit: tùm Petri Leonis Antipapæ partes ita consilio, ac sapientia debilitauit, vt ille ab omnibus desertus, ad extremum miserrimè perierit. Sed & Petrum Abailardum Hæreticum, doctrina atque eloquentia præsidentem, cùm iam vix esset, qui resistere posset, quomodo primum in priuato congressu, deindè in Senonensi Concilio abiecit? Mox Gilbertum Porretanum, cuius item celebre nomen erat, quomodo in Concilio Rhemensi conuicit, vt ipsemet errorem suum palam condemnaret? Denique Henricum Apostatam, qui Tolosanam Diœcesim impietate sua infecerat, & inficere pergebat, solus ipse fudit, ac fugauit. Ex qua ipsa fuga retractus in vinculis, atque Episcopo traditus est. Quid aliæ peregrinationes, modò Mediolanum, modò Geneuam, modò ad Galliæ Regem, omnes pro arduis Ecclesiæ negotijs, omnes etiam cum felicissimo exitu? in his autem itineribus, quæ ad eum vbique causæ deferebantur? qui concursus fiebant? cùm perpetuò eius domus euntium ac venientium, ac se se inuicem comprimentium multitudine compleretur. Fructus verò qui ex eius concionibus ad populum existebat. ne cogitari quidem potest: quàm innumerabiles videlicet ex vitijs ad bonam frugem se receperint, quàm multi dissidentes sint eius oratione reconciliati, quàm multi è Sathanæ faucibus erepti; cum quocunq; ille accederet, diuini amoris faces inijcere videretur: quod vel ex hoc apparet, quòd præter eos, qui illius opera ad alios Religiosos Ordines se è sæculi vanitate recipiebant, nunquam

ille

ille Claramuallem redijsse dicitur, nisi magna stipatus caterua Nouitiorum, quos illius sermones in rete Domini compulerant; & quidem fermè Theologia, & eloquentia, tùm etiam nobilitate insignium: inter quos Henricum numerant Franciæ Regis Germanum fratrem, & alterum Heruei nomine, ex sanguine item regio. Atque hæc de Bernardo.

Denique non solùm Benedictus Asiam, Africam, ac præcipuè Europam suis seminibus impleuit, Regna & Prouincias sua prædicatione conuertens, verùm etiam Americam nunquam anteà cognitam, bonorum suorum operum radijs illustrauit. Nam vt refert Genebrar. in Chronolog. sua lib. 4. & alij quamplures Historiographi, primus noui Orbis Apostolus electus ab Alexandro vj. Summo Pontifice, Betsel Monachus Benedictinus natione Catalanus fuit, qui electis duodecim eiusdem familiæ socijs, Vicarius Generalis Summi Pontificis apud illas nationes fuit designatus, ac benedictione Pontificali accepta, ad hanc nouam Euangelij prædicationem ex Hispania anno 1495. discessit, illisq; Prouincijs omnium primus lumen fidei intulit. Multa præterea similia commemorari possent ex Monachorũ Ordine profecta, præcipuè tamen Orientalium Monachorum sub regula S. Basilij militantium, quorum ope & doctrina conuersa Græcia, aliæ etiam Orientales nationes in fide, & moribus sustentantur; quibus breuitatis causa omissis, ad alia exempla gradum faciamus, & deinceps de Ordinibus Mendicantibus, Choro etiam attendentibus loquamur.

Et in primis de Patribus Dominicanis, quantùm animarum conuersioni insudauerint, quantùmque à suo ortu & origine totius orbis saluté procurauerint, & in quantas regiones ob hanc rem fuerint sparsi, facilè erit colligere ex Bulla Innocentij iv. & Nicolai iv. Fratribus Prædicatoribus in conuersione animarum laborantibus concessa, cuius initio habentur hæc verba. *Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Fratribus de Ordine Prædicatorum, in terras Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Aethyopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zicicorum, Rubenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mosselitarum, Tartarorum, Hungarorum, Maioris Hungariæ, Christianorum captiuorum apud Tartaros, aliarumq; infidelium nationum Orientis, seù quarumcunque partium proficiscentibus, salutem &c.* Hæc Innocentius. Quos fructus Ordo iste tulerit ex tàm copioso, tamque vniuersali verbi Dei semine, non facilè erit dinumerare. Nam cùm aliqui Religiosi ad aliquas prædictarum regiones fuissent destinati, multas peragrarunt barbarorum Prouincias, in quibus Christi nulla adhuc notitia erat, idque eo fructu, vt scriptum sit, iniri nõ posse

numerum animarum ad rectam fidem per eos traductarum, præsertim verò in Cumanorum gente. Vndè Benedictus, qui cæteris præerat Fratribus, ad Magistrum Generalem scribens, (quæ adhuc extant literæ,) narrat multa hominum millia, non solùm ex plebe, sed etiam exprimaria nobilitate baptismum suscepisse. Quare hoc sufficiat quasi specimen eorum fructuum, quos hic Ordo in Ecclesia Dei tulit, tertq; in dies, quibus recensendis insta iam volumina scripta sunt.

Non possum tamen dissimulare Vincentium ex eadem familia, cuius quidem opera tàm longè latèque peruagata est, vt mirum fuerit, tàm multas regiones potuisse vnius hominis passibus percurri, quot ille euangelizando peragrauit. Primùm enim in Hispania Valentiæ regnum, Cataloniam, Arragoniam, Nauarram, denique excepta Galitia & Lusitania, quibus ob certas causas abstinuit, singulas Prouincias, singulas Vrbes, singula fermè oppida obijt. Hinc Galliam ingressus, Regnum Occitanum, Delphinatum, Franciam, Burgundiam, Normaniam, Prouinciam, Aluerniam, Vasconiam, Britanniam, & Flandriam ipsam; ac totam Sabaudiam, postea in Italiam descendens, Pedemontium, Insubriam, Liguriam, & omnia eius littora adijt: postremò etiam ad Balcares Insulas nauigauit. Deindè ab Henrico Galliæ Rege humanissimis literis, ac nuntijs, & naui ad hoc ipsum missa inuitatus, eam primùm Insulam totam, mox Scotiam postremò etiam Hiberniam lustrauit, & quidem vt ante dixi, non Metropoles tantùm, aut maiores Ciuitates, sed vbique villas ipsas, & ignobiles pagos Christi exemplo circumiens. Itaque quis præter Deum numerare posset, quot ille animas ex vitiorum cæno, & ipsis inferni portis euocauerit? quæ vitia ex totis Ciuitatibus, & Prouincijs eradicauerit? quantam vbique lucem diuinarum rerum reliquerit? Illud quidem constat Iudæorum tantũ, contrà quorum perfidiam, cùm eo tempore abundaret, illius zelus exarserat, suprà viginti quinque millia, Saracenorum octo millia ab eo ad Christum adducta fuisse, Christianorum verò qui se ad bonam frugem receperunt, plusquam centum millia. Sed facilius & certius sit Prouincias & regiones, quàm animas numerare, quas ille ad salutem reuocauit. Sic enim scribitur, quòd quocunque is pedem intulisset, statim ibi sequi consueuisse generalem pœnitentiam priorum delictorum, generalemque morum reformationem, aleam, blasphemias, periuria, aliaqua flagitia, imò verò etiam ineptias, & ludos, ita cessare solitos, vt ne eorum quidem esset recordatio. Denique tantam fuisse omnium Contritionem, Religionem, Modestiam, nec solùm dùm ipse adesset, sed aliquamdiù postea, vt prisca illa Apostolorum ætas redijsse videretur. Itaque si nullos alios habuisset ista Religio

viros,

viros, præter hunc, qui in hominum moribus reformandis operam posuissent, & de Ecclesia benè meriti essent, nonne hoc ad eius laudem, & gloriam, satis magnum, & illustre fuisset.

De Franciscana etiam familia, plurima dicenda essent; sed panca depromamus. Anno igitur. 1270. missus est Constantinopolim, ad tractandam illius Græcæ Ecclesiæ reconciliationem Hieronymus Esculus, is qui posteà ad Summum Pontificatum euectus, Nicolaus IV. est appellatus: & quidem felici successu; quippè qui Imperatori, & genti illi veritatis legem persuaserit, secumque quadraginta ex Proceribus ad Pontificis pedes, & ad Concilium, quod eo tempore Lugduni habebatur, cum magno omnium gaudio perduxerit. Ijdem etiam ad Tartaros non semel adierunt, primùm ab Innocentio IV. missi anno 1245. quo tempore, cùm magnus hominum numerus Euangelium admisisset, paulò post plures operarij eò destinati, Monasteria multa instituta, denique res Christiana feliciter prorsus administrata est. Iterùm deinde anno 1341. à Benedicto X. Pontifice, duo ex eisdem missi tanquam Apostolici legati, cum alijs socijs adiunctis, qui item accepta ab Imperatore illo promulgandi Euangelij facultate, multa demùm, & templa, & Monasteria, cum diuini cultus propagatione, Multaque animarum conuersione instruxerunt. Anno autem 1332. non parua horum manus in Armeniam ipsam penetrauit, inter quos præcipuum fuisse ferunt Gonzalum Lauratum, virum doctissimum, qui tùm concionibus, tum pluribus libris in illam linguam conuersis multum profecit. Eodem etiam fermè tempore, & Pascalem inter Medos, & Gentilem inter Persas, versatos esse accepimus. Et illius quidem extat Epistola, qua narrat se, cùm munera, & vxores, quas barbari illi offerebant, aliasque blanditias constanter repulisset, tentatum deinde esse contumelijs, bis etiam lapidatum, faciem, & plantas igne adustas; quibus tamen rebus se ità nunquam territum, vt nec habitum deposuerit, nec à prædicando destiterit. Atque etiam circa idem tempus Bosna vrbs Dalmatiæ Gerardi Generalis Ministri opera, conuersa est ab hæresi, cùm illac fortè iter habuisset; qui deindè etiam pluribus eò missis finitima loca, quæ erant eadem labe infecta expurgauit, & ad Christi ouile reduxit. Odoricus autem Foroliuiensis eodem ipse fermè quoque tempore, tum vt honores fugeret, qui illi ab omnibus habebantur, tùm feruenti animarum zelo adductus, impetrata à superioribus facultate, contulit se inter infideles vbi, per varias excurrens Prouincias, versus Orientem, & Meridiem, eo in opere annis septem, & decem positis, viginti millia animarum solus baptizasse, & salutari doctrina instituisse dicitur. At verò circiter annum 1379. Guilielmus Pa-

trus

trus Cataium missus, euangelizandi causa, plures quàm sexaginta, è suis adduxit. In Hungaria autem, cùm Rex ille finitimas quasdam Prouincias recenter subiecisset, destinatis eo Franciscanis octo, non pluribus diebus, quàm quinquaginta, ducenta hominum millia ad Christum adduxerunt. Quo successu impulsus Rex Optimus, ad Ordinis Generalem diligenter scripsit, vt duo millia Fratrum ad se mitteret, quoniam nulli opus esset defuturum: legiturque adhuc huius Generalis Epistola, qua suos ad tam optabiles, & glorioſos labores piè, & feruenter inuitat. Nec tacendus Ioannes Capistranus, qui annum circiter 1450. vna excursione, duodecim millia infidelium, & multos præterea schismaticos Ecclesiæ aggregauit. Taceo glorioſum ipsum Patriarcham S. Franciscum, de quo mirabilia in hoc genere accepimus, Antonium Patauinum, Bernardinum Senensem, vtrumque Vincentio Ferrerio de quo suprà, penè æqualem, aut etiam fortasse æqualem, & alios quoque, quos longissimum esset recensere.

Atque hæc quanquam sunt glorioſa, & honorifica Religioſis; nihil tamen præclarius aut glorioſius, quàm noui Orbis conuersio, quæ opera Religioſorum Choro incumbentium inchoata est, & eorum adhuc opera propagatur. Quamuis etiam Societas IESV, à Choro auctoritate Apostolica exempta, insignem huic rei operã nauarit, & nauet, sed mihi animus est, tantùm agere de vtilitate Ordinum Choro attendentium. Primos ergo omnium, qui prædicationem Euangelij in nouo Orbe aggressi sunt, Franciscanos fuisse legimus, atque eosdem etiã de ijs regionibus inueniendis, cum anteà ne de nomine quidem audite essent, magnopere contulisse. Cùm enim Christophorus Columbus de eâ nauigatione instituenda apud Ferdinandum Hispaniæ Regem ageret, nec ei vt in re tam noua, atque incerta, multum fidei haberetur, Patres duo Franciscani valde eum iuuisse dicuntur: tum ipsum animando, tum etiam Regem impellendo, vt eam occasionem omninò tentaret. Itaque cùm impetrata classe Columbus, Mexicana Regna feliciter aperuisset, atque in Hispaniam tam lætæ rei nuntius reuersus esset, statim aliquot eius familiæ Patres in ea loca nauigarunt, annum circiter à Christo nato, 1493. Atque eodem fermè tempore, ad Occidentalem Indiam Emanuelis Lusitani Regis auspicijs, à Vasco Gama patefactam, anno videlicet 1500. missi sunt Euangelij causa ex eadem familia viri octo, tum doctrina, tum pietate præstantes. Ab his initijs hic Ordo per eas regiones diffusus, multiplicatis breui tempore domicilijs, tredecim Prouincias instituere, in quibus magnam Christianæ rei operam impenderunt, & adhuc impendunt. Ex his fuere aliqui insigni sanctitate conspicui. Videlicet Martinus Valentinus, Toriuius

Mito-

Mitolinia, Ioannes à S. Francisco, Andreas Exolmo, Franciscus Cosmenarius, Franciscus Soto, ac Martinus Iesus, qui præ cæteris virtutibus diuinissimis florentes, ac prodigijs clari innumeros ad Christum populos verbi diuini efficacia, & apostolici spiritus plenitudine perduxerunt. De quibus qui plura scire desiderat, legat Historiam Francisci Gonzagæ Episcopi Zephaleni, & Marcum Vlissiponensem Episcopum Porti in Lusitania. Adeosdem etiam labores, nauigauere Dominicani, deinde Augustiniani, & etiam Carmelitæ Excalceati. Ex his ergo patet, quantum prædicationi institerint Ordines Choro addicti, quibus ad prædicationis aureolam Deus addidit, vt & pro ipso mortem sub carnificibus passi fuerint. Nullus enim fuit ex Ordinibus prænominatis, qui Martyres non protulerit, in nostræ fidei, & sanctitatis propriæ confirmationem. Ex sola Franciscanorum familia Frãciscus Gonzaga numerat centum quatuordecim, eorum tantùm qui hoc sæculo floruerunt: quibus si adiungantur alij ad alia sæcula attinẽtes, de quibus Bosius fig. 27. numerum ducentorum excedent. Diui verò Benedicti ad certum numerum non ità facilè redigi poterunt. Aliorum autem Ordinum, nominatim numerum scire, penitùs impossibile. Præcipuè tamen S. Dominici, è quo sanctitate florentissimi viri prodierunt quamplurimi, qui & superioribus sæculis, & nostro, durissimam mortem perpessi sunt.

Non solùm autem sanctitas, sed & eruditio, ita in Religionibus Choro addictis, floruisse videtur, vt verè dicere possimus, ab ijs etiam eruditionem factam esse eruditiorem, maioremque in modum illustratam, vt facilior, & planior posteris traderetur. Ij enim, tum viuentes docendo, disputando, interpretando literarijs studijs incredibile lumen attulere; tum verò ea etiam scripta, ramque multa post vitã reliquere, quæ omnes ferè scientias planiores facilioresque fecerint, quas quidem dignas statuissent, in quibus elaborauerint. Libet igitur quasi cursim omnem Religionum ætatem ab initio inspicere, vt eorum multitudinem ac copiam videamus, qui in doctrinarum studijs magni fuerunt. Et vt à Benedictino Ordine antiquissimo incipiamus, iam sunt mille & amplius anni, ex quo hic Ordo natus est. His igitur vndecim ferè sæculis, mirum certè est, quàm multos semper, & quàm præstantes in omni genere produxerit viros. Primo enim sæculo, id est, vsque ad annum Domini sexcentesimum, viguit vir summus Cassiodorus, eique æqualis Dionysius, cognomento Parius, vir sui temporis eruditissimus tum humanis, tum etiam diuinis literis, quod ostendunt scripta ab eo relicta. Eodemque tempore Gregorius Magnus, Gregorius Turonensis, & Leander Hispalensis, satis adhuc per se noti. Secundo,

cundo sæculo à sexcentesimo ad septingentesimum, multùm (vt accepimus) claruit Cæsarius in Gallia, Eutropius in Hispania, in Lusitania Ioannes Gerondensis Episcopus, in Scotia Adamaus Abbas, in Anglia Theodorus, qui Romæ Monasticam vitam professus à Vitaliano Pontifice Cantuariam destinatus est septimus Archiepiscopus, cuius de laudibus Beda sæpè. Tertiò sæculo vsque ad annum octingentesimũ, Beda ipse notissimus libris, scriptis. Tum Bonifacius ille Germaniæ Apostolus, quem non sola sanctitas, sed (vt traditum est) insuper etiam eruditio, illustrauit. Deinde Ægidius Abbas natione Græcus, idemque Philosophus ac Poeta, quin etiam Medicus insignis, quippe qui multa de arte Medica carmine scripserit. In primis autem Alcuinus, qui suæ ætatis doctissimus habitus est, Caroli Magni Magister, ità ei charus, vt eum suas delitias appellaret, cuius etiam prudentiæ, Parisiensem Academiam, quam Roma illuc transtulerat, commisit ordinandam. Idemque multa edidit tum in Sacram scripturam, tum suopte ingenio. Quo eodem tempore floruit etiam Paulus Diaconus, author celebris hymni in S. Ioannem Baptistam, pluriumque librorum, quorum pars adhuc extat: hic priùs Desiderij Regis Longobardi familiaris, & Secretarius fuit, deinde verò vnà cum ipso, à Carolo Imperatore captus, & in Italiam abductus; seruatus tamen est ab ipso hoste ob ingenij famã: postea in Insulã relegatus, cùm fuga euasisset, & si Beneuenti ab Aldeberga Desiderij filia exceptus esset benignè, & honorificè, tamen sæculo contempto in Cassinense Monasterium se se recepit; quod Carolus audiens, magis eum etiam amasse, & coluisse dicitur, ac cum eo sæpè per literas humanissimè communicasse. Quarto sæculo vsque ad annum nongentesimum, insignis fuit Haymo Monachus Fuldensis, postea etiam Episcopus, Alcuini auditor, omninò inter doctissimos numerandus, qui totam Scripturam Commentarijs illustrauit, aliaque propria ingenij monimenta reliquit. Neque huic inferior Rabbanus ex Fuldensi Abbate, Archiepiscopus Moguntinus, qui iustam penè Bibliothecam solus edidit. Nam cùm puer adhuc, ab ipsis parentibus Fuldensi Monasterio oblatus esset, tantùm in Poesi, in Philosophia, & in sacris literis profecit, vt in tota Germania, fortasse etiam in toto Orbe, nullus ei æqualis putaretur. Cui tamen vt tempore sic ingenio proximi fuere, (vt alios complures omittamus) Angelomus Luxouiensis, notus quoque ipse ex libris scriptis, & Strabus Fuldensis, cuius opus dicitur esse Glossa, quæ Ordinaria vocatur, ex Sanctorum Patrum scriptis concinnata. Quinto sæculo ab Anno nongentesimo ad Millesimum, celebratur inprimis Odo Abbas Cluniacensis, diuinis & humanis literis eruditus, Herigerus Abbas Lobigensis,

fis, non in Gallia solùm, sed tota Italia & Germania, ob doctrinæ opinionem celeberrimus: tum Raderius ex Monacho Lobigensi, Episcopus Veronensis, qui mirę simplicitatis, sed magnæ literaturæ fuisse traditur, & alij denique permulti: inter quos tamen nihil ita enituit, vt Radulphus Monachus Fuldensis, de quo in Ecclesia tota hæc erat constans opinio, nullum ei, vel in Philosophia, vel in Theologia parem esse, vt propterea ad eum ex toto fermè Orbe, difficillimæ quæque Quæstiones referrentur. Sed multò etiam feracius talium ingeniorũ, fuit sextum sæculum; in quo præter alios multos, quorum adhuc extãt nomina, floruit Marianus Scotus, qui Fuldæ undecim annos, quindecim Moguntiæ inclusus duravit, quo tempore Chronica scripsit ab initio mundi ad sua vsque tempora: fuitque ob doctrinæ, & multò magis ob sanctitatis nomen, in magna omnium veneratione. Ac eodem tempore celebris etiam fuit Lanfrancus, qui in Dialecticis, & tota Philosophia, sui temporis Princeps habitus est, idemque lumen, ac Magister Theologorum. Hunc tradunt, cum Papia vbi natus erat, & vbi publicam scholam cum laude habuerat, in Galliam proficisceretur, à latronibus spoliatum, & abductum, priùs impatienter tulisse, deinde in se reuersum damnare cæpisse seipsum, quòd tam diuturnum studium Sacræ scripturæ impendisset, neque adhuc Deum in tribulatione laudare didicisset; statimque vouisse, si euaderet, se deinceps Deo famulaturũ. Liberatus igitur venit ad Monasterium Beccense, vbi aliquandiù ità latuit, quasi idiota, & illiteratus, donec ab Italis mercatoribus agnitus, & patefactus, primùm à suis adhibitus est ad domestica studia moderanda, deindè etiam à Summo Pontifice, Cantuarien si Ecclesiæ præpositus. Huic omninò simillimus fuit is qui ei proximè in sede successit, Anselmus eius auditor, & in Beccensi item Schola successor. De cuius Anselmi eruditione, nihil attinet dicere, cùm eam libri editi satis ostendant. His adscribendi duo Cardinales eiusdem temporis, Humbertus Monachus Tulensis, quem Leo IX. ob excellentem doctrinam, & pietatem, ad eum honorem prouexit, & Constantinopolim legauit, vt Leonis Bulgarorum Episcopi audaciam frangeret. Alter fuit Petrus Damianus, cuius adhuc eruditio, & fecundia ex eius plurimis scriptis nota est. Illud sanctitatis fuit, quòd diu Cardinalis, & Episcopi Hostiensis munere functus, deindè pertæsus eius vitæ Nazianzeni exemplo, ad pristina se recepit Monachorum studia, cuius etiam facti rationem luculento scripto reddidit. Denique vt alios omnes omittamus, magnus etiam fuit per ea tempora Hermanus, cognomento Contractus, cuius doctrina eò mirabilior fuit, quòd eam insigni miraculo adeptus est. Ita enim scriptum est, hunc in Sueuia ex nobili Comite

ortum, ab ineunte ætate omnibus membris captum fuisse, atque ob eam causam, nomen illud quod diximus Contracti accepisse. Quare cum Monachus factus esset, multis precibus B. Virginem rogare instituit, vt ipsum eo morbo liberaret. Illa verò clara luce se ei visendam præbens, optionem obtulit, vtrum è duobus mallet, sanusne fieri, sed vt erat rudis, & indoctus permanere; an perseuerare in morbo, & omnibus scientijs insignis euadere. Cùm autem Hermanus, vt debebat hoc posterius prætulisset, ab eo tempore mirabiles progressus in omni genere literarum facere cæpit, adeò vt neminem in his superiorem, vix etiam æqualem habere crederetur, ac nominatim tres linguas, Latinam, Græcam, Hæbraicam, ita calleret, ac in his natus esset. In septimo sæculo vsque ad annum Millesimum ducentesimum, multos item accepimus fuisse omnium doctrina atque optimarum artium studio eruditissimos. Quo in numero præcipuè ponitur Petrus Abbas Cluniacensis, cuius tum alij libri extant, tum vnus de mirabilibus, & reuolutionibus suo tempore factis. Tum verò Sigibertus ex Gemblacensi Cœnobio, & Gratianus ex Bononiensi, quorum ille insigne Chronicon conscripsit, & aliàs insuper historias: hic nobile illud opus Decretorum, ex Patrum Sententijs, & Pontificum responsis digessit, approbatum deinde ab Eugenio III. inter omnes autem maximè celebres illi duo Hugo è Cœnobio S. Victoris Parisiensis, & Rupertus Abbas Tuitiensis, cuius doctrinæ excellentiam, non solùm multa volumina ab eo scripta indicant, sed etiam miraculum, quo eam doctrinam accepit. Nam cùm ingenio tardior esset, instaretq; precibus apud Virginem Dei Matrem, vt sibi à Filio Scripturarum intelligentiam impetraret, apparuit ei Mater illa gratiæ, denuntians eius preces ab se auditas, tantumq; ei lumen impertitum iri, vt nullus eius ætatis doctrina ei æquari possit; tantùm videret ne id talentum in terra defoderet, sed strenuè exerceret: quod quidem ab illo abundè perfectum constat: nunquam enim deinceps à legendo, vel scribendo cessauit. Octauo sæculo, ab anno millesimo ducentesimo, vsque ad annum millesimum trecentesimum floruisse accepimus Helmādum Monachum Beluacensem, in diuinis Scripturis eruditissimū, & in sæcularibus etiam literis, ac multis quoque libris scriptis nobilitatum. Eodemq; tempore Guilielmum Abbatem Pictauiensem, non solùm Theologiæ, sed iuris etiā peritissimum. Deindè Philippum Pergamum in Cœnobio Patauino egregium virum, tum doctrina, tum eloquentia; tum etiam Petrum Bercorium Monachum Parisiensem, cuius librorum grandis extat cathalogus. Ab anno autem millesimo trecentesimo, vsque ad millesimum quadringentesimum toto hoc sæculo multi item celebrantur, vt

Lapus

Lapus Abbas S. Miniatis, in Theologia, insuper in vtroque iure peritissimus. Petrus Boherij Abbas Auianensis, ipse quoque Decretorum Doctor: præcipuè verò Petrus Rogerius, is qui posteà ad Pontificatum euectus, Clemens vi. vocatus est, quem acerrimo ingenio, ac tum omni doctrina, tum etiam dicendi facultate, egregiè instructum fuisse feruntita vt populum quò vellet concionando impelleret, quare nil mirum, si eum tot merita ad summam Ecclesiæ dignitatem extulerunt. Sæculum decimum vsque ad annum millesimum quingentesimum, præter alios insignes viros, aliquot etiam habuit in iure Canonico admodum excellentes, vt Henricum Abbatem Nurembergensem, Ioannem Rotæ Abbatem Treuelensem, cuius egregia opera constitit in Concilio Basilienſi; tum verò Nicolaum illum, qui prius Abbas Monacensis, postea Archiepiscopus Panormitanus, denique etiam Cardinalis factus est. Scripsit autem multa consilia, & vberrima Commentaria in vniuersum Corpus Iuris Canonici, quorum tanta est hodie auctoritas, vt nullus in hoc genere notior, & celebratior sit. Deniq; vndecimo sæculo, quod ab anno millesimo quingentesimo, vsque ad annum millesimum sexcentesimum labitur, non paucos scimus eminentes viros, vt Ignatium ex Cœnobio Florentino, ex Parmensi Ioannem Baptistã, vtrumque Abbatem, vtrumque magno progressu in diuinis, & humanis literis. In Hispania verò Pasqualem, qui in Salmanticensi Academia publicam Theologiæ scholam cum ingenti approbatione, professus est. Postremò ne longiores simus, multum etiam hoc tempore viguit Gregorius, qui priùs in nobili illo Mantuano Cœnobio Abbas, deinde etiam Cardinalis à Paulo iii. creatus est. Hunc verò omnibus scientijs excultum tradunt, vtraque etiam lingua Græca, & Latina peritissimum, ita vt loqueretur, & scriberet expeditè, atque eleganter. Atque hi quidem ex Benedictino Ordine, quos de multis paucos nominauimus.

In alijs autem institutis, eò etiam magis viguerunt literæ, quod omnia fermè ad aliorum quoque hominum salutem dirigebantur; quod sine literis agi non poterat. Itaque mirum est, quanta deinceps in omnibus ingeniorum, quanta Doctorum hominum seges extiterit. Sed hi quo recentiores, eò notiores, ideoque strictim attingendi, & tantummodò nominandi.

Ex Dominicano Ordine qui viri, & quales prodiere? Albertus qui Magni cognomen adeptus est. Heruæus, Durandus, Hugo Cardinalis, qui totam Scripturam Sacram optimis Commentarijs illustrauit, Raymundus, is qui vt scribit Antonius, Decretales libros iussu Gregorij Pontificis ordinauit, Antoninus ipse nõ minori eruditione, quam

sanctitate, Capreolus, Petrus Tarantasius, idem postea Innocentius IV. Pontifex Maximus, Petrus Paludanus, Chrysostomus Iauellius, Ferrariensis, Sotus vterque, duo Cardinales, Turrecremata, & Caietanus, alijque permulti; quos nimis longum esset recensere. Sed is præcipuè, quem meritò ab aliorum numero secreuimus, omniù Princeps S. Thomas, cuius scientiæ copiam, claritatem, profunditatem, quis pro dignitate collaudet? Ac præter hos quorum nomina ex eorum scriptis celebrantur, quis deinde eos numeret, qui omni ætate in scholis docendo, partim consilijs dandis, deque dubijs rebus respondendo, magnam operam Ecclesiæ, & proximis nauarunt, ipsique in summa omnium laude vixerunt, quorum quidem est penè infinita multitudo?

Franciscani paulò seriùs, neque adeò generaliter initio hæc literarum studia acceperunt. Eorum enim Author, & Caput Sanctus Franciscus cùm ipse sapientia potiùs de cælo infusa, quàm humano labore quæsita, vteretur, eodem etiam modo suos instituì volebat. Idem tamen Antonium, cui postea Patauini cognomen additum est, cùm iam benè doctus ad eam familiam accessisset, passus est docere inter suos Theologiam; extatque breuis Epistola, qua hoc ei permittit; ita tamè, vt caueat, ne orationis (sic enim ait) spiritum occupatio illa extinguat. Itaque tum hoc exemplo, tum etiam necessitate adducti, vt proximos iuuare possent, alij quoque literariam exercitationem complexi sunt, in qua breui magnos fecere progressus. Nam & paulò post, id est anno fermè millesimo ducentesimo quadragesimo quinto extitit Alexander ille Halensis, quo nemo illa ætate eruditior, & huius auditor Bonauentura, tum plenus omni scientia, tum etiam dilucidus, & ad difficillima quæque explicanda aptissimus. Nec multò post Richardus Media Villa, annum circiter millesimum ducentesimum octuagesimum, & Ioannes Dunscius, is qui Scotus est appellatus, anno millesimo trecentesimo, cuius acumine, & subtilitate quid mirabilius? deinde eius discipuli Gulielmus Ocham, vir ingeniosissimus Franciscus Maironius, is qui in Parisiensi Academia Illuminati nomen obtinuit, eodemque tempore Aluarus Pelagius vtriusque Iuris peritissimus simulque diuinarum literarum, cuius præstans doctrina magno in pretio fuit apud omnes, & præcipuè apud Pontificem Ioannem XXII. His addi potest Petrus Aureolus, quem eruditio ad Aquensem Cathedram prouexit; tum Nicolaus Lyrensis, genere Iudæus, cuius ingenium eluxit, in tota Scriptura ad literalem sensum explanandam, anno circiter millesimo trecentesimo trigesimo. Denique omnium recentissimi Alphonsus Castrensis, Michael Medina, Franciscus Titelmanus optimus planè sacrorū librorum interpres, & alij quamplurimi, ijque adeò noti, vt pigeat hic commemorare.

Idem.

Idem dicere licet de alijs familijs, quæ omnes multos semper doctos, aliquos etiam interdum admodum eminentes habuere, vt Angustiana Ægidium Romanum, præter innumeros alios. Carmelitana Thomam Vvaldensem, præter sexaginta, & amplius, qui suprà libros Sententiarum Petri Lombardi scripserunt, & plurimos alios: Carthusiensis Dionysium, & alios satis multos. Vt autem suprà notaui, nihil hic commemoratum est de Sanctitate, eruditione, & vtilitate Religionum à Choro exemptarum, quia institutum fuit, solùm monstrare, quantùm Religiones Chorum profitentes, conuersioni animarum, & prædicationi Euangelij incumbant: vt indè liquescat, non esse obligationem, & debitum in Religionibus omittendi Psalmodiam propter eleemosynas spirituales, vti sunt peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus, rectè consulere, consolari mœstos, Sacramenta administrare, libros pro defensione Sanctæ Ecclesiæ, & alios similes pro dilatanda Dei gloria conscribere. Videmus enim hæc omnia strenuè perfici à Religionibus prædictis, in quibus tamen est Chori studium. Quamuis alijs etiam Religionibus sua laus relinquatur, & à me opportunior locus, vel occasio eas pertractandi expectetur: semper enim colui, & colam donec vixero omnes Religiones.

Falsum igitur dixit Theologus, quòd propter eleemosynas spirituales, quas enumerauit, debeat omitti Psalmodia. Ad cuius maiorem expugnationem vltimo loco adduco, vnum insigne exemplum de Laurentio Surio Carthusiano, quo patet Sacram Psalmodiam non impedire scriptionem librorum, pro dilatanda gloria Dei, & proximorum profectu; neque alia spiritualia opera, ad eorundem proximorum vtilitatem impendenda. In eius ergo vita, quæ habetur in principio Tomi 1. vitarum Sanctorum, quas ipse conscripsit, sic habetur. *Iam verò qui nouit, quot horas Religiosi viri istius sacri Ordinis, concinendis in Choro, diurno nocturnoque tempore precibus, sacroque Missæ officio, præter priuatas statasque preces tribuunt, iure mirabitur, à Patre Surio, tot tantaque volumina, triginta sex quibus in Ordine vixit annis, conscribi potuisse. Nam ab his Ordinis exercitijs, ieiunijs item, alijsque austeritatibus corpori molestis, nullam exemptionem petijt, ne cui suorum offendiculum præberet, sed omnibus quod imitarentur exemplum illustre domesticum relinqueret. Id modò illi tributum fuisse ferunt, vt dum preces Primæ alij in Choro concinerent, ipse priuatim sacrum Missæ per ageret. Nil hic dico quantum ipsi à studijs temporis suffurati sint viri visitantes illum, amici, omnis conditionis viri. Principes illustres, nobiles, docti, Clerici, & seculares, variarum nationum studiosi, qui nunquam defuit in Academia, quos omnes, & benignè excipiebat, ac pijs colloquijs, ad salutis animæ curam habendam, incitabat.* Hæc ibi.

PRO-

PROPOSITIO LX.

Ideò illæ Religiones, cæteris paribus, præferendæ sunt alijs, quæ habent ex suo instituto maiorem rationem Prædicationis & Orationis, quàm Psalmodiæ.

NON dixit Theologus, quòd illæ Religiones præferendæ sunt alijs, quæ nullam habent rationē Psalmodiæ, sed quòd illæ sunt præferendæ, quæ habent maiorē rationē Prædicationis, & Orationis, quàm psalmodiæ. Illæ ergo Religiones potiùs sunt præferendæ, quæ ex suo instituto habent rationem Prædicationis, Orationis, & psalmodiæ: maiorem tamen rationem Prædicationis, & Orationis, quàm Psalmodiæ. Tales enim Religiones habent plura media, & auxilia, ad consequendum suum finem, & consequenter secundùm regulas Theologi, quas tradidit, sunt perfectiores, quàm illæ, quæ habent pauciora media, & auxilia. Propositio ergò dicta friuola est, & deceptoria.

PROPOSITIO LXI.

Perfectionem Religionis non metiaris, Illustrissime Domine, ex vitæ austeritate externa.

HÆC Propositio manifestam falsitatem inuoluit, perfectionem scilicet Religionis nequaquam metiendam esse ex vitæ austeritate externa. Cuius quidem dicti falsitas ex multis colligitur capitibus. Et primò ex proprijs ipsiusmet Theologi. Ipse enim in præcedentibus docuit perfectionem vitæ Christi, & Apostolorum, cognoscendam esse ex medijs. Ergo & perfectio vitæ Religiosæ, quæ profitetur imitationem Christi, & Apostolorum, potest cognosci ex medijs. Atqui vnum ex medijs ad perfectionem assequendam est austeritas. Ergo ex austeritate potest cognosci perfectio Religionis tantò magis quia austeritas est vnum ex medijs, quibus vius est Christus, & Apostoli. Nam & Christus & Apostoli vitam austeram duxerunt, vt suprà ostensum est. Præterea docuit, eandem Christi & Apostolorū per-

perfectionem ex modo viuendi ipsorum cognoscendam esse. Constat autem, quòd non ex modo condescensuo, quo infirmioribus se se Christus, & Apostoli accommodabant; vt suprà ex S. Bonauentura ostenium est circà Propositionem. xxvj. Igitur ex modo viuendi arctiori, perfectio vitæ Christi, & Apostolorum cognoscenda est, vt loco citato monstratum est. Tandem ipse Theologus illam Religionem perfectiorē esse tradidit, quæ media efficaciora habet ad consequendū finem suum Austeritas autem vitæ externa est medium efficax ad consequendum finem Religionis cuiuscunque, vt ex infrà dicendis patebit. Igitur ex austeritate vitæ externa metienda est perfectio vitæ Religiosæ. Demùm ipsemet Theologus adduxit ex S. Thoma id quod in Collationibus Patrum Collat. 1. Cap. 7. Abbas Moyses dicit. *Ieunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt.* Ergò perfectio Religionis instrumentaliter, & dispositiuè consistit in austeritate externa; & ita erit etiam metienda ex austeritate externa, tanquam ex medio.

Eiusdem Propositionis falsitas ex alijs capitibus deducitur. Ac inprimis ex auctoritate S. Thomæ, cuius doctrinæ pallio sua dicta velare conatus est Theologus. Sanctus ergò Doctor. 2. 2. q. 187. art. 6. Et Opusc. 18. Cap. 11. & Opusc. 19. Cap. 1. docet. quamlibet Religionē non solùm esse statum perfectionis, sed etiam statum pœnitentiæ; seu quòd Religiosus status, non solùm perfectionem charitatis, sed etiam perfectionem pœnitentiæ continet. Inde etiam consequenter docet loco vltimo citato, perfectiorem Religionem ex maioribus austeritatibus esse pensandam. Verba illius sunt. *Quælibet Religio, per quam homo nouam vitam inchoat, quidam pœnitentiæ status est, vt homo à veteri vita purgetur: & hoc tertio modo possunt comparari. Religiones, vt illa dicatur perfectior, quæ maiores austeritates habet, sicut in ieiunio, vel paupertate, vel alijs huiusmodi.*

Item falsitas dictæ propositionis ex communi Canonistarum sententia declaratur, qui maiorem vitæ perfectionem ex austeritatibus, & vitæ rigore pensant. Vnde quando à iure permittitur transitus ad perfectiorem Religionem, nomine perfectioris intelligunt asperiorem, arctiorem, ac duriorem Ita Ioan. Andr. C. sanè nu. 8. ad fin. de Regul. Et ibi Anton. nu. 7. Anchar. nu. 6. Abbas in fine. Card. q. vlt. Henric. nu. 17. Rosella vers. Religio 4. nu. 8. in fine. Angelus vers. Religiosus nu. 34. Passarellus in Priuil. minim. C. 39. Quibus maximè fauet Cap. Licet, de Regul. vbi Sanctior vita dicitur arctior Et cap. 1. 20. q. 4. dicitur ex Conc. Triburiensi. *Virgines sacræ si pro lucro animæ suæ, propter districtiorem vitam, ad aliud Monasterium pergere dispōsuerint, synodus concedit.* Prætereà Extrau. viam, de Regul. conceditur transitus ab omnibus

nibus Mendicantibus ad Carthusiam. Et in Religionum Priuilegijs denegantibus transitum ad aliam Religionem, semper excipitur Carthusia, propter maiorem austeritatem vitæ. Ergò secundùm Canonistas, maior perfectio Religionum attenditur ex austeritate vitæ externa.

Postremò tandem falsitas eiusdem Propositionis ratione conuincitur. Instrumenta enim perfectionis dispositiuè ad perfectionem ordinantur, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 184. art. 3. Sed austeritas vitæ externa est etiam instrumentum ad acquirendam perfectionem aptissimum. Igitur & ipsa pertinebit ad perfectionem vitæ Religiosæ dispositiuè, & consequenter perfectio vitæ Religiosæ ex ipsa pensanda erit, tanquam ex medio. Cùm enim austeritates, & macerationes carnis directè ordinentur ad votum continentiæ obseruandum, prout S. Tho. 2. 2. q. 186. art. 7. ad 2. expressè docet. Et Opusc. 18. Cap. 9. *Oportet* inquit, *continentiæ viam assumentibus, carnem propriam abstractis delitijs, vigilijs, & iciunijs, & huiusmodi exercitijs castigare.* Et idem quoque plures alij tradunt, vt mox ostendam. Castitas autem, cùm plurimùm faciat ad perfectionem vitæ Religiosæ, (vnde & sub voto solemni Religionis cadit, & statum Religiosum cum alijs duobus, Obedientia scilicet, & Paupertate integrat) consequenter austeritas quoque vitæ externa, ad perfectionem comparandam multum conducet. Et quidem austeritatem externam ad tuendam Castitatem esse necessariam, præter suprà adductam auctoritatem S. Thomæ, plurima etiam tum SS. PP. tum aliorum dicta comprobant. Ac in primis S. Aug. ser. de Ieiunio inter multas alias ieiunij laudes, (quod etiam est vnum non postremum austerioris vitæ, exercitium) illud adfert. *Ieiunium concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit.* S. verò Hieronym. *Nihil* inquit, *scias conferre Christianis adolescentibus, vt esum olerum, ardorq; corporis frigidioribus epulis temperandus est.* Cui consonat quod alibi inquit. *Sine carne & vino cito friget Venus, & à patre Libero ad inconcessam Venerem proximus est intemperantiæ focius.* Sanctus quoque Chrysost. super Epist. ad Gal. *Concupiscentia*, inquit, *saginato corpore effervescit.* Et S. Gregor. lib. 3. Moral. De *ventris*, inquit, *ingluie luxuria nascitur.* Et Cassiodorus sup. Matth. *Sex sunt*, inquit, *quæ incorruptam conseruant castitatem, scilicet sobrietas, operatio, asperitas cultus, inhibitio sensuum, raritas sermonis cum honestate, cuitatio opportunitatis, & personæ, & loci, & temporis.* Ad hoc etiam facit, quod inquit Isidorus Peluliota, scribens ad quendam, vt habetur in Epist. eius. *Risu profectò dignus es mi homo, quando precaris; Confige timore tuo carnes meas. Eorum enim est hæc precatio, qui quod in se est conferunt, & iciunant, & qui sua sorte contenti, paruoq; beati viuunt, eaque ratione carnis exultantem lasciuiam castigant, & compescunt, quique calitus opem, & auxilium suæ*

exerci-

exercitationis mitti postulant: & illis minimè conuenit, qui quemadmodum tu facis, crapula immodica corpus saginant, & varijs omnimodisque deliciis, eius petulantiam, tanúm ab est vt reprimant, vt potiùs excitent. Ad idem quoque facit id, quod habet Hugo de Claustro animæ Cap. 2. *Ecce*, inquit, *Diabolus Physicam docet, ecce Medicus factus est. de complexionibus loquitur, infirmitates diuersas, si teneatur Religio, generari prædicat. Sed quare hoc? non vt mederi velit, sed vt occidere possit. Videt ex subtractione ciborum, luxuriæ vires posse minui, ideò non tardat minari ægritudines, &c.* Hæc ille. Et quamuis ferè omnes istæ authoritates Patrum, procedant de abstinentia, seù ieiunio, nihilominus tamen nomine ieiunij, vniuersam corporis castigationem intelligi docent Theologi cum S. Augustino, sicut per eleemosynas omnem beneuolentiam, & beneficentiam, & per Orationem omnes regulas Sancti desiderij: vnde & omnia bona opera ad tria genera, scilicet ieiunium, Orationem, & eleemosynam, quibus Deo pro peccatis satisfit, reuocarunt. Cæterum hoc idem Mortificationem scilicet eternam, ad edomandas concupiscentias carnis plurimùm conferre, non solum doctrina, sed & opere SS. Patres, & alij Sancti viri comprobarunt; qui dum actibus quandoque vrerentur tentationibus carnis, grauissimis seipsos diuexabant mortificationibus. Sic inter alios legitur de S. Francisco, quòd cum quodam tempore vehemens eum tentatio carnis apprehendisset, eam vt præsensit, mox depositâ veste, chorda cæpit se verberare fortissimè. De Machario quoque Alexandrino refert Pallad. lect. 17. quod domando sui causa, toto sexennio, nihil præter cruda olera, & legumina humefacta sumpsit: viginti diebus & noctibus tectum non ingressus, vt somnum vinceret, cùm interdiu quidem arderet æstu, noctu verò frigore rigeret. Deindè cùm aliquando ei spiritus fornicationis molestiam exhibuisset, castigauit hoc pacto corpus suum, quod fuit instrumentum, & receptaculum talis tentationis, vt nudus sex menses sederet in palude, quæ erat in solitudine: quo in loco ità à culicibus, quæ magnitudine æquant vespas, corpus eius demorsum fuit, vt videretur leprosus. Simile quid de S. Hieronymo, Benedicto, Bernardo, & Iacobo Eremita memoriæ proditum est, qui dum vehementibus tentationibus infestarentur, alij quidem in vepribus, & urticis se se volutabant, alij igne corpus adurebant, alij longissimis ieiunijs, verberibus, cæterisque austeritatibus seipsos diuexabant, atque ità libidinis flammas extinguebant. Quod certè minimè fecissent, nisi austeritatem corporis externam, castitati tuendæ, quæ ad perfectionem status Religiosi ordinatur, multum conducere intellexissent. Sed vt clariùs pateat omnibus Religionibus, tàm contemplationem, quàm actionem, & illam potissimum spiritualem, quæ est cõ-

uersio animarum, profitentibus, austeritatem vitæ externam, ad consequendam perfectionem proprij finis vniuscuiusque esse necessariam, breuiter id ostendo.

Et in primis de Religionibus contemplationi deditis, quantùm ipsis proficiat austeritas vitæ externa, colligitur ex S. Bernardo super Cantica. vbi ille sic inquit. *Abstinebo à vino, quia in vino luxuria est: aut si infirmus sum, modico vtar, iuxtà consilium Apostoli. Abstinebo & à carnibus, ne dum mihi nimis carnem nutriunt, simul & carnis nutriant vitia: panem quoque ipsum cũ mensura sumere studebo, ne onerato ventre stare ad orandum tedeat.* Idem alibi. *Oratio virtutem impetrat ieiunandi, & ieiunium gratiam promeretur orandi: ieiunium Orationem roborat, Oratio ieiunium sanctificat.* Cui consonat S. Aug. serm. de Ieiun. *Ieiunium*, inquit, *purgat mentem, subleuat sensum*, Et S. Gregor. exponens illa verba Iob. 28. *Non inuenitur in terra suauiter viuentium*, sic ait. *Qui huius vitæ voluptatibus pascitur, ab æterna sapientiæ intellectu separatur.* Sanctus quoque Hieronym. Epist. ad Nepotian. *Pulchrè* inquit, *dicitur apud Græcos. Pinguis venter tenuem non gignit mentem.* Idem alibi in Epistola sic inquit. *Galenus vel doctissimus Galeni interpres ait. Eos quorum vita, & ars sagina est, nec viuere posse diu, nec sanos esse: animasq; ità nimis sanguine, & adipibus quasi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cæleste, sed semper de carnalibus eructare, ventris ingluiem cogitare.* Item S. Basilius Homil. in illa verba Psalm. 29. *Nunquid confitebitur tibi pulus, aut annunciabit veritatem tuam? Quomodo* inquit, *terrestris homo, ac carneus confitebitur tibi Deo? Quomodo item annunciabit veritatem is, qui disciplinis nullam dedit operam, & in tanta carnis mole, suam ipsius mentem oppressam tenet? Iure itaque meam extenuo, ac macero carnem, nec meo sanguini parco, qui in carnem coagulari solet, ne mihi vel ad confessionem, vel ad veritatis cognitionem sit impedimento.* Denique vt multos alios omittam. Richardus de S. Victore. in lib. de Contemp. *Voluntatem*, inquit, *nostram nunquam perfectè desiderio bonorum cælestium inflammari posse, nec intellectum nostrum rerum diuinarum contemplatione, plenè posse illustrari, & purgari, nisi diligentes simus, in reprimendis commodis, & cupiditatibus corporis, etiam licitis, & necessarijs.* Hanc doctrinam Sancti ipso opere amplexati sunt. Sic de S. Machario Alexandrino Palladius suprà citatus testatur. *His exercitationibus corporis* (quas scilicèt paulò antè descripsit, prout iam visum est) *ad tantam*, inquit, *Macarius peruenerat contemplationem, vt in ea sæpius noctem integram cum die transierit.* De Polichronio quoque scribit Theodor. cap. 24. *Mortificabat se*, inquit, *aspero cilicio, vilique & nullius pretij habitu; sicque inopem vitam agebat, vt nec necessarium semper haberet nutrimentum, ac totam noctem vigil in precibus stans, consumebat. Ad augendam quoque Mortificationem, habebat in cella grandem truncum ex quercu, quem dein noctuque imponebat humeris, & sic in Oratione persistebat. Paupertatem tanto studio*

colunt,

voluit, vt existimaret, quouis regno magis expetendam. Et tandem subdit. *His aliisque id genus exercitijs in extremam vsque aetatem perueniebant, ad tantam rerum diuinarum notitiam, & memoriam venit, vt nemem à contemplatione diuellere non posset.* Hæc ille. Quibus etiam ratio non incongrua suffragatur. Constat enim quod corpus hoc corruptibile maximè aggrauat animam: vbi ergò illud varijs mortificationibus, & austeritatibus extenuatum fuerit, tunc demùm mens faciliùs ad supernorum contemplationem leuabitur. Sed quia Theologo sola auctoritas S. Thomæ pro omnibus sufficiet, ideò iterùm verba illius ex 2. 2. quæst. 147. art. 1. depromo: *Assumitur*, inquit, *ieiunium principaliter ad tria. Primò quidem ad concupiscentias carnis reprimendas. Vndè Apostol. dicit in authoritate inducta. In ieiunijs, in castitate, quia per ieiunia castitas conseruatur, vt enim Hieronymus dicit. Sine Cerere & Baccho friget Venus: idest, per abstinentiam cibi & potus, tepescit luxuria. Secundò assumitur ad hoc, quòd mens liberiùs eleuetur ad sublimia contemplanda. Vndè dicitur Daniel. 10. quòd post ieiunium trium hebdomadarum reuelationem accepit à Deo. Tertiò, ad satisfaciendum pro peccatis; vndè dicitur Ioel 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu & planctu.* Hæc ille. Austeritas igitur vitæ externa Religionibus contemplatiuam vitâ professentibus, ad consequendam perfectionem sui finis, maximè est proficua. Indè est quòd palam videmus Religiones Contemplatiuas, plurimùm austeritati deditas, vt cernere est, inspiciendo Angelicos Ordines Eremitarum, & nominatim Camaldulensium, qui vt secundùm visionem Sanctissimi Patris sui, repræsentent Angelos ascendentes in cælum; procurant animas suas, quantum possibile est, leuare pondere carnis, vt expediti, & minimè grauati, liberiùs tanquàm leues spiritus cælos ascendere queant; & ob id corpus varijs mortificationibus extenuant. Porrò quantùm etiam Religionibus ad actionem spiritualē, quæ est conuersio animarum, destinatis, austeritas vitæ externa conducat, infrà monstrabitur.

Aduertat autem Theologus, se non solùm falsam doctrinam, verùm & contumeliosam in Religiones austeritatem vitæ externam profitētes intulisse, & earum perfectioni non modicum derogasse: se verò inimicum pœnitentiæ apertè monstrasse. Certè Theologus est ex illis de quibus ait S. Gregor. lib. 7. Moral. cap. 12. *Qui esse humiles, sed tamen sine despectu: esse contenti proprijs, sed sine necessitate: esse casti, sed sine macerationе corporis: esse patientes, sed sine contumelijs volunt. Cumque adipisci virtutes quærunt, sed labores virtutum fugiunt; quid aliud, quàm exhibere belli certamina in campo nesciunt, & triumphare in vrbibus de bello concupiscunt?* Hæc Gregorius. Id verò grauissimè ferendum est, doctrinam hanc Theologi, & ē iuuentutis peruersissimam esse, quæ à Religiosa vita amplectenda, (ad

quam plurimi austeriori vitæ ratione, frequenter inducuntur) retrahere, præcipuè verò ab ijs Religionibus, quæ ex instituto austeritatem profitentur, mentem auocare potest. Quod certè non est gloriâ Dei propagare, & salutem proximorum promouere; quibus rebus sæpiùs gloriatur Theologus: sed potius est gloriam Dei diminuere, & salutē multorum impedire. Ità Theologus dum exaltat Religiones, per quas maximè gloria Dei propagatur, & salus hominum procuratur, ipse insipienter, & gloriæ Dei detrimentum suo scripto infert, & saluti proximorum impedimentum ponit.

PROPOSITIO LXII.

Sed potissimum ex dilectione Dei, quæ se prodit ampla, & multiplici propagatione diuini cultus, & gloriæ, & multarum animarum salute.

HÆC Propositio secundùm mentem Theologi est falsa: Eius enim intentio est, monstrare perfectionem vnius Religionis super aliam, quæ non est petenda ex his, in quibus omnes Religiones cōueniunt omnes Religiones in dilectione Dei, tanquam in fine remoto, & mediato; ideò non est instituenda comparatio inter Religiones penès dilectionem Dei, vt suprà monstratum est circà Propositionem XIII. Expresè id tradit S. Thomas 2. 2. q. 188. art. 1. ad. 1. *Est* inquit, *commune in omni Religione quòd aliquis totaliter se debet præbere ad seruiendum Deo. Vnde ex hac parte non est diuersitas inter Religiones, vt scilicet in vna Religione aliquis retineat aliquid sui, & in alia aliud. Est autem diuersitas secundùm diuersa, in quibus homo Deo seruire potest, & secundùm quod ad hoc homo se potest diuersimodè disponere.* Hæc S. Tho. Est etiam Propositio dicta frivola, & deceptoria: quia supponit austeritatem non esse opus dilectionis Dei, aut proximi, eo ipso quod distinguit contrà austeritatem, dilectionem Dei, & proximi: Cùm tamen austeritas propter Deum susceptа, informetur dilectione Dei; & ita sit verè opus dilectionis Dei, & etiam sit satisfactoria, & impetratoria pro proximis. Vide dicta de pœnitentia circà Propositionem XIII.

PRO-

PROPOSITIO LXIII.

Et laboribus difficilibus earum causa constanter, & perseueranter propter Deum susceptis, & inuicta virtute in occasionibus peccatorum declaratur.

HÆC Propositio trutinanda est secundùm doctrinam S. Thom. 2. 2. q. 27. art. 8. ad 3. *Plus*, inquit, *facit ad rationem meriti, & virtutis, bonum quàm difficile, Vnde non oportet quòd omne difficilius sit magis meritorium, sed quod sit est difficilius, quod etiam sit melius.* Hæc S. Thomas. Ex quo infertur non oportere omnem Religionem, quæ laboribus difficilibus occupatur, quòd & melioribus. Et eadem 22 q 182. art. 2. ad 1. ait. *Labor exterior toleratus propter Christum, operatur ad augmentum præmij accidentaliter: sed augmentum meriti respectu præmij essentialis consistit principaliter in charitate, cuius quoddam signum est labor exterior.* Conformiter ad id in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. quæstiun. 2. ad 3. docet, quòd difficultati in sustinendo dolores tactus debetur aureola, & quòd voluntas Martyrij nõ pertingit ad illud meritum, quod actui Martyrum debetur ratione difficultatis, quamuis possit etiam peruenire ad alterius præmium, confiderata radice merendi, quia aliquis ex maiori charitate potest velle sustinere Martyrium, quàm alius sustineat. Vnde voluntariè Martyr, potest mereri sua voluntate præmium essentiale æquale, vel maius eo, quod Martyri debetur. Secundùm quæ insistendo paritati rationis dico, quòd aliquis potest peruenire ad præmium Prædicatoris, & Doctoris considerata radice merendi: quia aliquis ex maiori charitate potest velle, amplè, & multipliciter propagare diuinam gloriam, & multarum animarum salutem procurare, earumque causa labores difficiles subire, quàm alius ipso facto id perficiat. Vnde voluntariè Doctor potest mereri sua voluntate præmium essentiale æquale, vel maius eo quod Doctori debetur. Vide Theologè an sit bona illatio. Sed & hanc aliam perpende. Si illa Religio quæ profitetur dilectionem Dei, & multipliciter propagat diuinam gloriam, & multarum animarum salutem, & labores difficiles sustinet, est perfectior, etiãsi externa vitæ austeritate non vtatur; nonne multò magis illa Religio erit perfectior, quæ omnia ista simul complectitur, videlicet austeritatem vitæ externam, & dilectionem Dei, & propagationem gloriæ ipsius, & curam salutis animarum, & laborum difficilium tolerantiam?

Ne-

Necesse est concedas illationem Theologe, quia aliàs docuisti, illam Religionem esse perfectiorem, quæ per plures modos, & vias, fructus facit, & plura media, siue plura auxilia, siuè plura præsidia, (nam hæc omnia inter se distinxisti) ad consecutionem sui finis ordinata habet.

PROPOSITIO LXIV.

Arctitudo obseruantiarum, inquit S. Thomas 2. 2. qu. 188. art. 6. ad 3. non est illud quod præcipuè in Religione commendatur, vt B. Antonius dicit: & ideò non est potior Religio ex hoc, quod habet arctiores obseruantias, sed ex hoc, quod ex maiori discretione sunt eius obseruantiæ ordinatæ ad finem Religionis.

HÆC Propositio continet mutilatam citationem, & ostendit maximam infidelitatem authoris, qui pro suo libitu, ea quæ arridere videbantur, adduxit: quæ verò aduersantia menti, vel potiùs carni ipsius, vel certè ideò menti, quia carni, respuit. Ingenium eius cl arè agnoscès, expenso textu integro S. Thomæ: sic ergo inquit ibi S. Doctor. *Ad tertium dicendum, quòd arctitudo obseruantiarum, non est illud quod præcipuè in Religione commendatur, vt B. Antonius dicit. Et Isaiæ 58. dicitur. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Assumitur tamen in Religione vt necessaria ad carnis macerationem, quæ si sine discretione fit, periculum deficiendi habet annexum, sicut B. Antonius dicit. Et ideò non est potior Religio ex hoc, quod habet arctiores obseruantias, sed ex hoc, quod ex maiori discretione sunt eius obseruantiæ ordinatæ ad finem Religionis: sicut ad continentiam efficacius ordinatur maceratio carnis per abstinentiam cibi & potus, (quæ pertinet ad sanem, & sitim) quàm per subtractionem vestium, (quæ pertinent ad frigus & nuditatem,) & quàm per corporalem laborem.* Hæc S. Thomas. Sed quàm delicatulus Theologus, (vt nihil dicam de manifesta infidelitate ipsius,) qui omnia aspera & molesta carni præscindit. *Arctitudo* inquit S. Thomas. *assumitur in Religione, vt necessaria ad carnis macerationem:* subticet ille, & quasi inobseruatam Propositionem transit. *Ad continentiam*, inquit S. Thomas, *efficacius ordinatur maceratio carnis, per abstinentiam cibi & potus*: non attendit ille, & lippis oculis, gustu tamen perceptibili, discreuit inter amara, & dulcia. Sed iam mi Theologe considera, an non potior erit Religio ex hoc, quod simul vtrumque retinet; vide-

videlicet, & arctiores obseruantias habet, & hæ eædem eius obseruantiæ ex maiori discretione sunt ordinatæ ad finem illius.

PROPOSITIO LXV.

Et 2. 2. q. 184. art. 3. & lib. de Perfect. vitæ spiritualis cap. 1. idem S. Doctor ait. Primùm, & principaliter consistit spiritualis vitæ perfectio, in dilectione Dei, secundariò in proximi dilectione.

OEgregium argumentatorem Theologum. Primùm, inquit, & principaliter consistit perfectio spiritualis vitæ in dilectione Dei, secundariò in dilectione proximi. Ergo perfectio Religionis nō est metienda ex vitæ austeritate externa. Reponō simile argumentum, vt monstretur, vis & efficacia consequentiæ illatæ. Primùm, & principaliter consistit spiritualis vitæ perfectio in dilectione Dei, secundariò in dilectione proximi. Ergo perfectio Religionis non est metienda ex doctrina & prædicatione. Quid dicis Theologe? Fortassis probabis tuam consequentiam, ex loco Pauli ad Rom. 14. quem adfert S. Bernard. à te infrà citatus. *Non est regnum Dei, & esca & potus: sed iustitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* At ego insisto, & similiter probo meam consequentiam, ex loco Pauli 1. ad Corinth. 4. *Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute.*

PROPOSITIO LXVI.

Caue, inquit S. Hieronymus Epist. 41. ad Celantiam cap. 6. ne si ieiunare, aut abstinere cæperis, te putes esse iam sanctam: hæc enim virtus, adiumentum est non perfectio sanctitatis.

AT & tu Theologe caue, ne si prædicare aut docere cæperis, te putes esse iam sanctum: quia scriptum est Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate, & facite: secundùm opera vero eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt, alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros homi-*

hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia vero opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Dilatant enim philacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Et iterùm Matth. 7. scriptum est. *Multi dicent mihi in illa die. Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia nunquam noui vos. Discedite a me qui operamini iniquitatem.* Vanissima ergò esset præsumptio putantis se esse Sanctum, ex eo solo, quod prædicaret, & doceret.

PROPOSITIO LXVII.

Hinc S. Franciscus teste S. Bonauentura eius vitæ cap. 6. sepè dicebat Fratribus. De omni eo quod peccator potest, nemo sibi debet iniquo applausu blandiri: peccator, ait, ieiunare potest, orare, plangere, carnemq; propriam macerare, hoc solùm non potest, Domino scilicet suo esse fidelis.

ET tu Theologe, de omni eo quod peccator potest, tibi iniquo applausu blandiri non debes. Peccator autem prædicare potest, docere potest, Sacramenta administrare potest, libros pro defensione Ecclesiæ conscribere potest, animas conuertere potest (vt ex præcedentibus constat) hoc solùm non potest, Domino scilicet suo esse fidelis. Ecce & Epistolam pro dilatatione gloriæ Dei, vt putabas, conscripsisti; at dubito, an pro hoc labore auditurus sis à Domino. *Euge serue bone, & fidelis.*

PROPOSITIO LXVIII.

Hinc in libro octauo in vitis Patrum apud Rosueydum. Cap. 63. Oranti B. Paphnutio Abbati, qui in summa vitæ austeritate, & multò maiore, quàm nunc in vllo Religioso Ordine seruetur, vitam Eremiticam sectabatur, separatus à consor-

consortio hominum, diuinitùs reuelatum est, eum non excessisse perfectionem cuiusdam in Ciuitate tibicinis, qui uon ità pridem vacabat latrocinijs, ebrietati, & scortationi. Cùm autem accuratè examinaretur, quidnam vnquam ab eo rectè gestum esset: hoc solùm inuenit, quòd cùm aliquandò latronis vitam ageret, Christi Virginem, cui erat à latronibus vitium afferendum, liberauit; & alteri formoso mulieri erranti in solitudine vim non intulerit, sed trecentis aureis donatam dimiserit, vt maritum cum liberis, ob debita in carcerem coniectum liberaret.

DEbebat vlteriùs legisse Theologus. Postquam ergò loco citato Palladius recitasset historias de tibicine, protocomite, & mercatore, ad quos Angelus remiserat Paphnutium, & per eum dictos induxerat ad vitam Eremiticam; tandem subdit. *Assistens autem Angelus dixit ei* (sc. Paphnutio.) *Huc deinceps accede ò Beate, in aeterna Dei tabernacula: venerunt enim Prophetæ te in suos choros accepturi. Hoc autem non tibi priùs reuelaui: ne si fuisses elatus, de tuis detraheretur meritis. Cùm ergo vno solo die superuixisset, & per reuelationem ad eum venissent quidam præsbyteri, omnibus illis narratis, tradidit animam. Aperiè autem videntes præsbyteri, eum assumi in choris iustorum, & Angelorum, Deum laudabant.* Hæc ibi. Ex quibus manifestè colligitur, Angelum ideò non declarasse B. Paphnutio, eminentiam, & quantitatem meritorum suorum, ne detrimentum eorum per elationem subiret. Quando ergò declarabat eum similem tibicini, protocomiti, mercatori intelligenda dicta Angeli, de quadam æqualitate, non Mathematica, aut Metaphysica, sed Morali, & de ea æqualitate non simpliciter, sed secundùm quid; siuè Paphnutium non excessisse perfectionem illorum, quantum ad aliqua dumtaxat, non verò quasi à toto genere, & absolutè loquendo non excessisset: Quod aduertendum erat Theologo, ne vndè B. Paphnutius in suis retinebatur meritis, inde ipse ei detraheret; & quod B. Paphnutio occasio erat conseruandæ humilitatis, Theologo fieret ansa minuendi perfectionem suæ sanctitatis.

PROPOSITIO LXIX.

Si ergo hominem tàm antea malum opera charitatis pauca aquarunt meritis tàm Sancti Eremitæ, in summo rigore ieiuniorum, & paupertatis aliisquè carnis macerationibus vitam traducenti, quantò maiorem meritorum cumulum parient innumera opera charitatis spiritualis, &c.

ATqui multò magis est, mi Theologe, dimissis omnibus perfectè & totaliter suæ saluti intendere. Manifestè id habetur ex historia B. Paphnutij à te citata. Is enim declaratus ab Angelo similis tibicini, protocomiti, mercatori, primo tamen eorum dixit. *Si ò frater non parua à diminutæ tui habetur ratio, ne tuam animam temerè neglexeris.* Et mox subditur ibi: *Is autem statim proiectis quas habuit in manibus tibijs, & lyræ Musicæ harmonia in spiritualem traducta melodiam, virum secutus est in desertū.* Secundo verò dixit. *In ijs te rectè gessisti: Vnum tamen tibi restat quod est caput virtutum: nempè Dei omni ex parte sapiens cognitio, quam non poteris sine labore consequi, nisi cum te ipsum à mundo abnegaris, crucem accipias, & sequaris seruatorem.* Et subditur. *Is autem vbi hæc audiuit, statim nec suis quidem valere iussis, virum secutus est in montem.* Tertio verò dixit. *Quousque tu terrenam exerces negotiationem, nec cœlestia attingis mercimonia; sed hæc quidem ex alijs dimissurus, tu verò illis te adiungens, qua sunt maximè opportuna, sequere Seruatorē, ad eum venturus paulò post.* Et subditur. *Is verò nihil differens, iussit filios suos reliqua diuidere pauperibus, ipse autem eum in montem ascendisset, & seipsum in eo loco inclusisset, vbi duo priores consummati fuerant, perseuerabat in orationibus.* Ex his habetur multò perfectius esse, abdicatis omnibus sibi perfectè vacare; quandoquidem B. Paphnutius præfatis illum viuendi modum persuasit, quem nisi perfectiorem censeret, nequaquam facere attentaret.

Sed ne Theologo ambigendi locus superfit, profero duo loca Sancti Thomæ, à me sæpiùs consultò citata; nàm expediret ea versari continuò ante oculos, & mentes incumbentium saluti animarum. Primus locus est 2. 2. quæst. 182. art. 2. ad 1. *Labor*, inquit, *exterior operatur ad augmentum præmij accidentalis, sed augmentum respectu præmij essentialis, consistit principaliter in charitate, cuius quoddam signum est, labor exterior toleratus propter Christum. Sed multò expressius eius signum est, quòd aliquis prætermissis omnibus,*

nibus, quæ ad hanc vitam pertinent, soli divinæ contemplationi vacare delectetur. Secundus locus est Quodlib. 3. quæst. 6. art. 17. ad 6. *Etsi* inquit, *procurare salutem aliorum sit maius, quàm intendere sibi soli, loquendo in genere: tamen non quocunque modo intendere saluti aliorum præsertim ei, quod est quocunque modo intendere suæ saluti. Si enim aliquis totaliter & perfectè intendit suæ saluti, multò maius est, quàm si aliquis multa particularia opera agat ad salutem aliorum si saluti propriæ etsi sufficienter, non tamen perfectè intendat.* Hæc S. Thomas. Vtinam Theologus consilium eius amplexus fuisset, & potiùs perfectè, & totaliter dimissis omnibus intendere suæ saluti elegisset, quàm hanc opellam ad salutem aliorum edidisset; vtique non ità errasset. Deinceps ergò curet attendere sibi perfectè, & particularia opera circà salutem aliorum dimittat; nàm rectiùs faciet; ne saluti aliorum nimis intentus, & suæ perfectionis obliviosus, similis efficiatur viro, qui cõgregat merces in sacculum pertusum, vt dùm plurima vult congregare, nihil inueniat in manibus suis.

PROPOSITIO LXX.

Etsi vitæ externa asperitate, cæteris non antecellant.

INspice Theologe exemplaria Prædicatoribus à te proposita, & inde iudica, an prædicatores non debeant excellere austeritate vitæ. Et in primis omnis perfectionis prototypum Christum Dominum, qui vtique vitam satis austeram, & rigidam duxit, vt suo loco monstratum est. Hinc S. Thomas 3. p. q. 41. art. 3. ad primum inquit. *Nullus debet assumere Prædicationis officium, nisi prius fuerit purgatus, & virtute perfectus, sicut & de Christo dicitur Act. 1. Quod cæpit Iesus facere, & docere: & ideò Christus statim post Baptismum austeritatem vitæ assumpsit, vt doceret, post carnem edomitam, oportere alios ad prædicationis officium transire.* Consonat Abulen. suprà Matth. 4. quæst. 10. *Ieiunium* inquit, *hoc Christi necessarium fuit ad institutionem Prædicatorum: voluit enim Christus ex operibus suis ostendere, quid in prædicatore præcedere debet, antequam prædicet, vt digne prædicare possit, secundùm illud Actor. 1. Cæpit Iesus facere, & docere id est priùs facere ea, quæ habet facere bonus Prædicator, & posteà prædicare ea, quæ debet dicere verus Doctor.* Inspiciat & Apostolos, de quibus etiam suprà probatum est, eos rigidã vitam egisse. Non solùm autem vitam Christi, & Apostolorum contempletur: sed etiam initia prædicationis eorum diligenter penset, & reperiet eos prædicationẽ suam à pœnitentia inchoasse. Sic de Christo

scriptum est Matth. 4. *Cœpit Iesus prædicare & dicere: Pœnitentiam agite.* Sic & de Apostolis Actor. 2. *Compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres?* Petrus vero ad illos. *Pœnitentiam, inquit, agite.* Idem & de Ioanne scriptum est Matth. 3. *In diebus illis venit Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudææ, & dicens. Pœnitentiã agite.* Frustrà autem pœnitentiam prædicator enangelizat, quam opere reprobat, vel saltem non exhibet. *Sermo*, inquit Bernardus, *vivus & efficax exemplum operis est, plurimùm faciens suadibile, quod monstratur factibile.* Hinc Prosper lib. 1. de vita Contempl. cap. 23. ait. *Hoc specialiter Doctor Ecclesiasticus elaboret, quo fiant, qui audiunt eum, sui disputationibus meliores, non vana assentatione fautores. Lachrymas quas vult à suis Auditoribus fundi, ipse primitùs fundat, & sic eos compunctione sui cordis accendat.* Idem dicendum de alijs. Mundi contemptum, quem vult in suis auditoribus excitare Prædicator, ipse priùs præseferat: odium & castigationẽ carnis, quã vult auditoribus suadere, ipse priùs in suo corpore exerceat? Auditores citiùs sequentur facta, quàm verba. Non solùm autem austeritas vitæ prædicatori necessaria, vt sua prædicatio sit efficax, sed etiam vt sit libera & expedita. Qui enim fronte, quo ausu animi, qua fiducia ad pœnitentiæ fructus dignos reddendos perurgebit, si in se nullũ pœnitentiæ, & austeritatis vestigium exhibebit? quomodo persuadebit sacco indui, cinerem tanquam panem manducare, potum cum fletu miscere, lachrymis stratum rigare, disciplinis, catenis ferreis, cilicijs, corpus diuexare, vigilijs atterere, peregrinationibus conficere, is qui mollibus induitur, loco fabarum, & olerum, mensam perdicibus, caponibus, & varij generis carnibus instructam habet, potum cum vino miscet, in strato commodo cubat, macerationes carnis non exercet? Qua libertate prædicabit ieiunia supererrogationis, abstinentiam à conuiuijs, & commessationibus, is qui communia tantùm Ecclesiæ ieiunia obseruat, & ità vt præ abundanti refectione, & copia piscium, famis vexationem non sentiat, is qui sæpè numero sit vnus ex discumbentibus, & conuiuantibus, & aliquando eius caput calore vini corripitur, & lingua in multiloquium, vel etiam vaniloquium, & fortassè amplius soluitur? Rectè S. Hieronym. in Mich. 2. ait. *An non summa confusio, & ignominia est, Iesum crucifixum, magistrum pauperem atq; esurientẽ, fartis prædicare corporibus, ieiuniorumq; doctrinam, rubentes buccas, tumentiaque ora proferre? Si in Apostolorum loco sumus, non solùm sermonem eorum imitemur, sed conuersationem quoque & abstinentiam amplectamur.* Idem in Epist. 2. ad Nepotianum. *Non confundant*, inquit, *opera tua sermonem tuum, ne cùm in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat. Cur ergo, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus Magister est, qui pleno ventre de ieiunijs disputat, accusare auaritiam & luxu-*

latro potest. Sacerdotis Christi, os, mens, manusque concordent. Hæc S. Hieronym. Sed vt prædicator non solùm alios inducat ad exercitium pœnitentiæ, verùm etiam de sua salute securus sit, necessaria est ei exterior vitæ austeritas. *Castigo*, inquit Apostolus 1. Corinth. 9. *corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cunctis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Suprà quem locum S. Thomas, ait. *Tangit austeritatem vitæ, & implet facto, quod docet verbo: ne se damnet ore proprio.* S. Augustin. verò. *Sua timere*, inquit, *nos terruit Apostolus: quid enim faciet agnus, vbi aries timet, & tremit?* Et S. Chrysost. *Si Paulus hoc timuit, qui tàm multos docuit, & timuit postquam prædicauit, & factus est Angelus, & totius orbis defensionem suscepit, & patrocinium, quid nos dixerimus?* Ne enim, inquit, existimetis, quoniam credidistis, hoc vobis sufficere ad salutem. *Nam si mihi prædicasse, docuisse, innumerabiles adduxisse, non satis est ad salutem, nisi quoque meæ actiones sint huiusmodi, vt in eas nulla cadat reprehensio: longè minus vobis.* Denique vel indè potest colligi austeritatem vitæ externam esse necessariam Prædicatoribus, quia est necessaria vitam cõtemplatiuam profitentibus. Ne autem aliquis dubitet, Prædicatores debere excellere Contemplationi, profero aliqua testimonia SS. Patrũ Inprimis ergò S. Greg. lib. 3. Expos. in 1. Regum cap. 7. explicans illa verba: *Et circuibat Bethel, & Galgal, & Maspbath, & iudicabat Israelem, in suprà dictis locis*, sic inquit: *Quicquid Doctor subditis proponit ad normam rectitudinis, aut de exemplis electorum accipit, aut doctrina sacri eloquij, aut ex reuelatione interiùs contemplationis. Quibus profectò verbis ostenditur, non tantùm quæ Doctor perfectus agat, sed etiam quia perfectus non sit, si agere hæc non possit. Nam si solum bonorum exempla nouerit, aut si Sacræ Scripturæ etiam quis eruditus sit, & contemplationis reuelatione caruerit, in ordine Prædicationis vir perfectus non erit.* Et paulò post. *Bene ergo dicitur. Et iudicabat Israelẽ in prædictis locis: nam non solum in Bethel, & Galgal, sed etiam in Maspbat, vt qui ad perfectionem prædicationis innititur, dum per humilitatem exempla maiorum sequitur, dum per studium sacri eloquij eruditione fulcitur, curet omninò necesse est, vt puritate mentis, ea quæ disponenda sunt, contemplando cognoscat. Dei namque debet esse docibilis, qui suscepto Prædicationis officio docere homines cupit.* Idem in Moralib. lib. 6. cap. 17. ait. *Neque enim perfectus prædicator est, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam, contemplanda postponit.* & paulò post. *Hinc est quod humani generis Redemptor per diem miracula in vrbibus exhibet, & ad Orationis studium in nocte per noctat: vt perfectis videlicet prædicatoribus innuat, quatenus nec actiuam vitam amore speculationis funditus deferant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant; sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundãt.* Præterea homil. 5. in Ezech. dicit. *Ad locum de quo exeunt flumina, reuertuntur vt iterum fluant. Siue enim in virtutibus, seu in doctrina, quid aliud sunt*

Sancti

Sancti viri, quàm flumina, quæ terram cordis carnalium aridam rigant? Sed fiuè in operatione quam faciunt, seu in doctrinæ verbis citiùs siccarentur, nisi per intentionē cordis semper solicitè ad locum, de quo exeunt, redirent. Si enim introrsus ad cor non redeant, ac se se in amore Conditoris desiderium vinculis non astringant, & manus ab eo, quod agebat, deficit; lingua ab eo quod loquebatur aresçit: Sed imus semper per amorem redeunt, & hoc quod in publico operantes atque loquentes fundunt, in secreto suo de fonte amoris hauriunt; amando enim discunt, quod loquendo proferunt. Ad locum ergo, de quo exeunt fluvina, revertuntur, vt iterum fluant, quia aquam sapientiæ inde semper hauriunt, vnde oritur, ne cùm cucurrerit, exsiccetur. Hæc S. Gregorius. Sanctus verò Augustinus lib. 4. de Doctr. Christ. cap. 15. *Agit*, inquit, *noster iste eloquens, cùm & iusta, & sancta, & bona dicit (neque alia debet dicere) ait ergò quantum potest cum ista dicit, vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur: & hæc se posse, si potuerit, & in quantum potuerit, precatæ magis Orationum, quàm Oratorum facultate non dubiter, vt orando pro se, ac pro illis, quos est allocuturus, fiat orator, antequam dictor. Ipsa hora iam vt dicat accedens, priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, vt eructet quod biberit, vel quod impleverit fundat.* Sanctus quoq; Bernard. super Cantica. *Prædicatores*, ait, *sumpto contemplationis, & orationis gustu tantò valentiùs ad animarum lucra conquirenda egrediuntur.* Demùm vt multos alios omittam, Abulen. in Matth. cap. 4. quæst. 5. *Eum qui prædicat oportet*, inquit, *considerare in lege Dei, die ac nocte, ne si diuertat ab huiusmodi contemplatione, postmodum convertatur ad fabulas inanes.* Hæc ille. Ex quibus habetur, prædicatorem debere contemplatione alijs esse excellentem. Atqui austeritas vitæ externa necessaria est contemplationi dedito vt supra probatum est. Ergo, & prædicatori.

Sed tandem necesse est, vt affignem proximam causam, quare Prædicator debeat excellere austeritate vitæ externa: & est huiusmodi, vt nimirum conseruet castitatem, quæ sine castigatione carnis, difficillimè potest custodiri, vt suprà habitum est circà Propositionem lxj. *Satè inter omnia certamina Christianorum*, inquit Augustinus, *duriora sunt prælia castitatis, quam ibi continua pugna, & rarior victoria.* Et Isidorus. *Sæpenumò*, inquit, *nobis adiutorium præstabit cilicium, & cinis, totusque; noctibus statio immobilis, panis desiderium, ardens lingua, modicumque irrorata, sepulchrorum habitatio.* Et certè si S. Hierony. de seipso fatetur. *O quoties ipse in Eremo constitutus in illa vasta atque horrenda Eremi solitudine, quæ exusta solis ardoribus, Monachis horridum præbet habitaculum, putabam me Romanis interesse delitijs: Sedebam solus quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squallida cutis situm Aethyopicæ carnis obduxerat. Quotidie lachryma, quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus immineus oppressisset, nuda humo vix horrenti ossa colludebam. De cibo verò & potu taceo, cum etiam languentes Monachi,*

nachi, aqua frigida vtantur, & coctum aliquid comedisse luxuriæ sit. Ille igitur ego qui ob gehennæ metum tali me carceri damnaueram, scorpionum tantùm socius & serarum, sæpè choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat. In frigido corpore, & ante hominem tum, iam carne præmortua, sola libidinum incendia bullichant. Itaque omni auxilio destitutus, ad IESV iacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Memini me clamantem, diem crebrò iunxisse cum nocte: nec priùs à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret Domino imperante tranquillitas. Hæc S. Hieronymus de seipso. Si hoc patiuntur illi, qui exesis corporibus, in solitudine solis impugnantur cogitationibus, quid patiuntur illi, qui in communitatibus carnis viuunt? *Quanti & quales Episcopi & Clerici*, inquit S. August. *post confessionem & victoriarum calcata certamina, post magnalia & signa mirabilia vsquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, cùm volunt in naui fragili nauigare? quantos leones domuit vna infirmitas delicata, idest, luxuria, quæ cùm sit vilis & misera, de magnis efficit prædam. Quot columna cæli ceciderunt Sanctissimi illi Eremitæ, multorum annorum experientia probati, in solitudinibus morantes, ætate prouecti, imò & miraculis coruscantes: & tamen ex de fastigio conuersationis cœlestis, mulieres deturbarunt. Quid est mulier*: quærit a seipso Ephrem: & respondet. *Naufragium super terram, fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ, & malitiæ, mortifera conuersatio, atque confabulatio, oculorum pernicies, animarum exitium, cordis spiculum, iuuenum perditio, sceptrum inferni, & concupiscentia præceps.* S. Ambr. item de Muliere, *Ianua Diaboli*, inquit, *via iniquitatis, scorpionis percussio, nocuum genus est fœmina, cum proximat, stimulat, ignem accendit, flammigero igne percutit conscientiam pariter habitantis, & exurit fundamenta montium.* Item S. Augustinus. *De ferro*, inquit, *rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam: in risum aliquando dissoluitur, nunc blanditias exhibet: & quod est venenosius super cuncta psallere delectatur aut cantare; cuius cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. Grauem inimicum fortita est castitas, cui non solùm resistendum, sed dimisso freno longiùs fugiendum. Nec eo minus fœminæ fugiendæ sunt, quia Religiosæ videntur: quia quanto religiosiores tanto citius alliciunt: & sub prætextu pietatis latet vicius libidinis. Experto crede, expertus loquor, coram Deo non mentior: Cedros Libani, duces gregum, sub hac pestececidisse reperi: de quorum casu non magis suspicabar, quàm Ambrosij, vel Hieronymi impudicæ turpitudine. Tamdiu Diabolus sopitam igneni sine vllis flammis occultat, donec duas faculas tungens, simul ambas accendat, & tamdiu cessat sauitiæ suæ tela supponere, donec sicut pertus venator, quod occisurus est, laqueis vinculis alliget.* Hæc August. Atidem Hieronym. *Omnes puellas, & virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige, nec in præterita castitate confidas. Neque enim sanctior Dauide, neque Salomone potes esse sapientior. Memento semper quòd*

para-

paradysi colonum de possessione sua eiecit mulier. Solus cum sola, absque arbitrio & teste non sedeas, etiamsi secretum aliquod inerit. Caueto omnes suspiciones, & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuita. Muliebria munuscula, & sudariola, & vestis ori applicatas, & oblatos ac degustatos cibos, blandasque ac dulces literulas, sanctus amor non habet. Ad excusationes, quæ adferri solent, respondet Hieronym. *Quod si dixeris. Mihi sufficit conscientia mea; habeo Deum iudicem, qui meæ vitæ est testis, non curo, quid loquantur homines. Audi Apostolum. Prouidentes bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Et Bernard. *Esto, sis continens, sed ego suspicione non careo. Tolle scandali causam.* Et iterùm inquit Hieronymus. *Quid sibi volunt sola & priuata colloquia, & arbitros fugientes oculi?* Et iam olim ab exordio nascentis Ecclesiæ S. Clemens. *Ad visitandam mulierem infirmam, nullus Clericus ingrediatur, nisi cum duobus, aut tribus, & nec presbyter solus cum sola adiungitur, sed duobus adductis testibus visitet infirmam, nec solus cum sola fœmina, fabulas misceat.* Et Theodorus Studites. *Nec solus colloquere cum Monacha, vel sæculari, nisi necessitas trahat, idque cum duabus ab vtraque parte personis.* De S. Augustino Possidon. refert. *Si forte ab aliquibus fœminis, vt videretur vel salutaretur rogabatur, nunquam sine Clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis vnquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset.* Cantipratensis verba sunt hæc. *Nec socius socium debet deserere, maximè in colloquio mulieris, nisi alter alterum videat colloquentem,* Et alibi. *Quàm vera sit hæc vox (væ soli) ego noui, qui triginta annis, & eo amplius vices Episcopi, in diuersis Prouincijs, & Diœcesibus habui, qui in hoc articulo, quo Religiosi, vel soli vadunt in vijs, vel soli manent in curijs, horrenda mala horrendaque scandala, horrendaque pericula frequenter audiui, quæ nunquam sustinuissent, adiuncto socio, vel fœminæ.* Lege si placet Epistolam 284. lib. 2. Isidori Peluſiotæ de vitanda familiaritate mulierum, in qua præter cætera habentur hæc verba notatu dignissima. *Quod si te frequenter cum ipsis versari, nec vllo inde detrimento affici dixeris, id quidem fortasse mihi persuaderi sinam. At illud item velim, omnibus fidem adhibere, aquis lapides extenuari, ac rupem aquæ guttis, continenter cadentibus, exeauari dicunt. Quorũ verborũ huiusmodi sensus est: quid rupe durius fingi queas? quid item aqua mollius; & quidem aquæ guttula? & tamen assiduitas naturam vincit. Quod si natura, quæ ægrè dimoueri potest dimouetur, id; quod minimè debebat, perpetitur, quæ tandem arte ac ratione, voluntas quæ facilè mouetur, à consuetudine non vincatur, & euertatur?* Hæc Isidorus. Ideò sapiens Ecclesiast. 42. ait. *In medio mulierũ noli cõmorari: de vestimentis .n. procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Quod si ex omnibus inductis testimonijs patet, conuersationem mulierum esse nociuam, & apprimè fugiendam; quomodo non erit necessaria austeritas vitæ, ei qui non vult fugere, sed conuersari cum illis, etiam causa salutis earum? Credat, qui vult; ego in æternum non cre-

credam, cum ab omni labe cordis immunem, qui non edomita carne per rigores, & afflictiones externas, assiduus, vel saltem frequens est cum mulieribus, etiam pijs, & deuotis. Remitto vnumquemque cōuersantium cum mulieribus ad propriam conscientiam. Mittat manū suam in sinum suum, & fortassis inueniet eam leprosam.

PROPOSITIO LXXI.

Meritò itaque Sanctus Anselmus, explicans illud Apostoli 1. Tim. 4. Exercitatio corporalis ad modicum vtilis; pietas autem ad omnia.

EX hac Propositione colligitur Theologum imitari ingenium, & mores Hæreticorum. Ingenium quidem, quia hoc loco Scripturæ passim Hæretici vtuntur ad reprobandam vtilitatem ieiunij, & nominatim Philippus Melanchthon: Mores verò, quia sicut Hæretici incipiunt prædicationem suam à demoliendo opera pœnitentiæ, & austeritates; vt palam videre erat in Luthero, qui non ab inuitatione ad pœnitentiam, vt Christus, Ioannes Baptista, & Apostoli, prædicationem suam cæpit; sed potiùs à laxando habenas carni & sanguini: ita & hic Theologus, hunc fortasse primum ingenij sui partum, & primā in scribendo exercitationem, impugnationi austeritatum, & operum pœnitentiæ dedicauit. Subdolè tamen egit, quia exiti alia doctrinæ suæ venena, melle verborum condita, & sensualitati plausibilia, propinauit. Quamobrem vereor, ne ad præcursores Antichristi pertineat. Dicit enim Greg. lib. XII. Expositionis Moralis in Iob. cap. 5. *Sicut incarnata veritas in prædicatione sua pauperes Idiotas, & simplices elegit; sic è contrario, damnatus ille homo quem in fine mundi Apostata Angelus assumit ad prædicandam falsitatem suam, astutos ac duplices atque huius mundi scientiam habentes, electurus est. Vnde & per Isaiam dicitur. Væ terræ, cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthyopiæ, quæ mittit in mari legatos, & in vasis papyri super aquas. Terra quippe cui væ dicitur, ille principaliter homo damnatus est, qui alarum cymbalum vocatur: quia hi per superbiam in altitudinem cogitationis euolant, eundem peruersum hominem prædicando sonant. Quæ scilicet terra, rectè trans flumina Æthyopiæ esse perhibetur. Æthyopia etenim nigrum populum mittit, & omnem populum mundus iste, quia peccatorem profert quasi nigrū. Æthyopia populum parit. Sed terra cui væ dicitur, trans flumina Æthyopiæ esse perhibetur; quia damnatus ille homo, tanta immensitate iniquus est, vt omnium*

peccantium peccata transcendat. Qui mittit in mare legatos: quia prædicatores suos in sæculum spargit. De quibus rectè subditur, qualiter mittantur, dum dicitur: In vasis papyri super aquas. Ex papyro quippe charta est. Quid itaque per papyrum, nisi secularis scientia designatur? Vasa ergo papyri, sunt corda Doctorum secularium. In vasis igitur papyri super aquas legatos mittere, est prædicationem suam, in sapientum carnalium sensibus ponere, & defluentes ad culpa populos vocare. Hęc Gregorius de Antichristo: qui & terra, id est terrenus, & cymbalum alarum, propter elationem, & trans flumina Æthyopiæ, id est transcendens peccata mundi dicitur. Hic ergo Prædicatores astutos, duplices, & mundi huius scientiam habentes eligit, & eos tanquam legatos mittit in mari, id est per sæculum spargit. Mitti autem eos in vasis papyri super aquas, id est in scientia sæculari, vt prædicationem suam ponant in sensibus sapientum carnalium. De Theologo autem plurimi magni nominis, id est & pietatis & scientiæ viri, multoties cõtestati sunt, & contestantur, eum hominem astutum, vafrum, subdolũ, duplicem, & huius mundi scientia præditum. Non immeritò ergò verendum est, ne Antichristus eum, tanquam legatum suum, & prædicatorem in sæculum miserit, in vase papyri, & suæ Epistolæ; vt poneret prædicationem suam in sensibus carnalium hominum, qui persequuntur austeritates, & odio habent durum viuendi genus.

PROPOSITIO LXXII.

Per exercitationem corporalem, intelligens cum S. Ambrosio, S. Bernardo, & S. Thoma, corporis afflictionem, & castigationem. Corporalis, inquit, exercitatio quæ est in ieiunijs, vigilijs, labore manuum, ac multimoda corporis afflictione, parum vtilitatis habet, respectu magnæ vtilitatis, quam habet pietas religiosæ mentis. Exerce te ad pietatem, id est ad compassionem proximorum, & ad opera misericordiæ. Nam vt ait S. Augustinus Epist. 52. Pietas est veræ Dei cultus, vnde omnia rectè viuendi dicuntur officia.

MI Theologe, debebas aduertere, multiplicem esse expositionẽ loci à te allati. Profero Bellarminum, hæreticorum nostri tem-

temporis malleum lib. 2. de bonis operibus in particul. cap. 12. *Duæ*, inquit, *sunt huius loci explicationes. Vna est commentarij, quæ tribuitur Ambrosio, quæ quidem per corporalem exercitationem, ieiunium intelligit. Sed per pietatem, non intelligit cultum Dei propriè dictum, sed misericordiam in pauperes. Vult autem hic Commentarius ieiunium ad modicum vtile esse, nisi cum misericordia, & eleemosynis coniungatur. Quod idem docet S. Chrysost. homil. 78. in Matth. vbi dicit. Ieiunium sine eleemosynis nihil valere. Quod intelligendum est, si eleemosynæ faciendæ præceptum occurrat, & is qui ieiunat, tam sit auarus, vt nolit eleemosynam facere, etiam de eo quod sibi superest, & quod alias consumpsisset, nisi ieiunare instituisset. Alioqui enim ieiunium cum eleemosyna coniungere, non est necessarium, quamuis sit vtilissimum. Quare S. Ambrosius ser. 33. S. Augustin. ser. 56. Et S. Leo serm. 2. de Ieiunio X. Mensis, non iubent, sed hortantur, vt vnusquisque tempore ieiunij, prandium quod sibi subtrahit, pauperibus eroget. Altera expositio verior, & planè ad mentem Apostoli, est Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, Oecumenij, & aliorum, qui per corporalem exercitationem non intelligunt ieiunium, sed studium corporis confirmandi, & corroborandi: quod faciunt athletæ, gladiatores milites, & ceteri, qui viribus corporalibus egent. Sumit enim Apostolus similitudinẽ ab athletis cum ait. Exerce te ipsum ad pietatem. Nam id significat vox Græca γύμναζε. & sensus huius loci hic est. Exerce te more boni athletæ, ad cursum, vel certamen pietatis. Hoc enim verè vtilissimum est, tùm in hac vita, tùm in futura. Nàm qui vires exercent ad cursum, vel corporale certamen, parum inde lucrantur in hac vita, & in alia prorsus nihil. Similis locus est 1. Corinth. 9. Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiat, nos autem incorruptam. Porrò S. Ioannes Chrysost. non solum docet Apostolum nõ loqui hoc loco de ieiunio, sed etiam refellit eos, qui contrà sentiunt. Nequè enim credibile est, Apostolum vocaturum fuisse ieiunium, corporalem exercitationem, cum ieiunium ad corpus extenuendum, non ad confirmandum referatur, & cum sit verè spirituale, & cœlestis exercitatio. Deinde quomodo diceret idem Apostolus, ieiunium ad modicum valere, cum ipse idem ad ieiunium tam frequenter, & verbo, & exemplo discipulos hortaretur? Denique nunquam Apostolus ieiunio, pietatem opponeret, quæ habet promissionem vitæ quæ nunc est, & futuræ, cum id maximè conueniat ieiunio, vt in hac vita sanitatem efficiat, & conseruet, vt patet ex Cap. 1. Daniel; & in alia mercedem accipiat à Patre cœlesti, iuxta promissionem Domini Matth. 6. Itaque verè S. Leo ser. 1. de ieiun. Pentecostes. Sequitur, inquit, solemne ieiunium, quod animis corporibusq; curandis salubriter institutum deuota nobis est obseruantia celebrandum.* Hæc Bellarminus.

Ex quibus patet non posse ex loco Pauli citato, peti, certum, euidẽs, & demonstratiuum argumentum, pro intento Theologi quandoquidem sensus loci non est clarus, & apertus, & circà expositionem eius adeò dissentiant SS. Patres. Quod si velimus expositioni secundæ in-

hærere, allatæ à Bellarmino, tantum abest vt faueat Theologo, quin potiùs sit valdè eius proposito contraria. At quia sua veneratio, & quidem iustissimè, debetur SS. Anselmo, & Thomæ, (nàm quid Bernardus intellexerit per exercitationem corporalem, posteà patebit) ideò & secundùm mentem horum Doctorum dico, Theologo non patrocinari sententiam eorum. Hi enim Sancti non dixerunt absolutè afflictionem corporis esse inutilem, sed comparatiuè, & respectiuè ad vtilitatem magnam, quàm habet pietas mentis, esse modicum vtilem. Quod si vitæ austeritas externa, non est cēsenda absolutè inutilis, qua ratione infert Theologus, ex vitæ austeritate externa, non esse metiēdam Religionis perfectionem? Ex re enim vtili & bona, tanquam ex fructu suè medio, secundùm principia ipsiusmet Theologi, potest agnosci perfectio Religionis. Quòd si illa Religio est perfectior, quæ se exercet in pietate; nonne illa Religio, secundùm regulas Theologi erit perfectior, quę simul & in pietate, & in vitæ austeritate se exercet, quādoquidē & plura media habet, & pluribus est fulta auxilijs, ac præsidijs: quæ secundùm Theologum, faciunt ad perfectionē Religionis.

PROPOSITIO LXXIII.

Quem locum explanans S. Th. in Cōment. Exercitatio, inquit, iciunij & huiusmodi, in sua natura nō sunt bona, sed pœnalia, & si homo nō peccasset, nihil horū fuisset, sed sunt bona medicinalia, inquātum reprimunt concupiscentias: Ergo ad istud modicū sunt vtilia, quia tantùm ad morbū peccati carnalis, non spiritualis: quia aliquando propter abstinentiam, homo in iracundiam, inanē gloriam, & huiusmodi incarrit. Præfert ergo abstinentia pietatē; & accipitur hic vtroq; modo pro cultu Dei, & misericordia.

HÆC Propositio mutilatam continet citationem, & Authoris ostendit summā infidelitatē. Integer .n. textus S. Th. sic habet. *Corporalis exercitatio ieiunij, & huiusmodi, in sua natura, nō sunt bona sed pœnalia & si homo nō peccasset, nihil horum fuisset, sed sunt bona medicinalia. Sicut .n. reubarbarū est bonū, in quātū veleuat à colera: sic & ista in quātū cōprimūt cōcupiscētias. Ergo ad istud modicū sunt vtilia. 1. Cor. 9. Castigo corpus meū & in seruitutē redigo &c. Coloss. 3. Mortificate mēbra vestra, quæ sunt super terrā. Et ideò si homo esset in statu, in quo nō posset peccare, nō indigeret ieiunio, & huiusmodi. Vndè Chrysost. super illud Matth. 16. Venit Iesus &c. dicit, Ioānes purus homo, indigebat medicina ieiunij. Christus Deus erat, & nō purus homo; & ideò huiusmodi nō indigebat. Ergo ad modicū vtilis est, quia tātū ad morbū peccati carnalis, nō spiritualis: quia aliquando propter abstinētiā, homo iracūdiā, inanē gloriā, et huiusmodi incurrit. Deinde cū dicit.*

Pietas

Pietas autē præsert abstinētiæ pietatē, & accipitur hic vtroq; modo scil. cultu Dei, & misericordia. Hæc S. Th. Quibus perspectis, & facta collatione, patebit euidenter vnicuiq; quæ posuerit, & quæ omiserit Theologus. Omisit primū illa verba. (vt prætereā alia leuiora) *Si homo esset in statu, in quo nō posset peccare, nō indigeret ieiunio, & huiusmodi.* Existimat fortassis Theologus, se esse in statu in quo nō potest peccare, scil. in statu Innocētiæ, vt proindè nō indigeat ieiunio, & alijs huiusmodi. Sed videat, ne dū vult esse suprà homines infrà homines inueniatur, & cōparetur iumētis insipiētibus, & similis fiat illis; dùm tāquā animalis homo, nō ea quæ sūt Spiritus Dei, sed ea quę sunt carnis, sapere videtur sicut equus, & mul⁹, quibus nō est intellectus. Subiungit S. Th. dictū S. Chrys. *Ioannes purus homo indigebat medicina ieiunij.* Theologus id omisit, quasi ad se nihil pertineret. Fortassis Theologus inter natos mulierū maior surrexit Io. Baptista; vtpotè, qui cū sit purus homo nō indigeat medicina ieiunij? Imò verò si Io. Bapt. cū esset sanctificatus in vtero, & prius sanctus, quā natus, & cōfirmatus in gratia; & in deserto manens, indigùit medicina ieiunij, quia purus homo erat; multò magis in peccatis nati, varijs obnoxij criminibus, de sua salute minimè securi, in medio prauę, & peruersæ nationis cōmorantes, indigebunt medicina ieiunij; saltim propterea, quia sunt puri homines. Vt quid ergò ista omisit Theologus, ac si minimè ipsi, & alijs necessaria? Sed est vndè materiā tripudij ex loco citato habeat Theologus. *Quia* inquit S. Th. *aliquando propter abstinentia homo iracundiā, inanē gloriā, & huiusmodi incurrit.* At si idē periculū aduertat Theologus in prædicatione, & doctrina, credo quod nō triumphabit. Maiori quippe periculo inanis gloriæ exposita est prædicatio, quā vitæ austeritas externa. Maceratio n. carnis plurimū facit ad coercendā vanā gloriam. Vndè August. dicit. *Ieiunium cor facit contritum, & humiliatum.* Et S. Climacus. *Si affligatur venter humiliabitur cor: si autem ille foueatur, superbit cogitatio.* Et idem rursus ieiunium vocat: *humile suspirium.* Ecclesia quoque canit, *Carnis terat superbiam, potus cibiq; parcitas.* Quid verò de prædicatione dicat S. Gregorius, audiamus. *Sæpè*, inquit ille, Pastor, curæ par. 4. cap. 1. *dum prædicatio modis congruentibus vberum funditur, apud semetipsum de ostentione sui, occulta lætitia, loquentis animus subleuatur.* Et iterùm alibi. *Tutius veritas auditur, quàm prædicatur. Quoniam cū auditur, cordis humilitas custoditur: cùm autem prædicatur vix non surripit cuiquam hominum quantulacunque iactantia in quo vtique pedes affectionū, vel intentionis, aliquantulum inquinantur.* Item. *Post prædicationem lauat pedes Apostolis, quia aliquando inde inquinantur vestigia loquentium, vndè audientium corda mundantur; dùm se extollunt, quia per eos gratia Prædicationis deriuatur.* Et ideò S. Aug. monet dicens. *Solicitissimè cauendū est in docendo superbiæ vitiū, quod in discēdo*

non

nonita est. Si ergo Theologus propter periculum inanis gloriæ non vult ieiunare; propter idem periculum neque debebit prædicare: & neque Epistolam hanc debebat scribere: plus enim in scribendo hãc Epistolam gloriæ vanæ (verissimè vanæ) cupiditate potuit vinci, quàm alius ieiunans, & tacens.

PROPOSITIO LXXIV.

Sed præclarè admodum S. Bernardus eundem Apostoli locum eodem sensu intelligens Apologia ad Gulielmum Abbatem, eos Religiosos perstringit, qui ieiuniis maioribus addicti, & abstinentijs, vilique & attrita tunica induti, detrahebant alijs Religiosis, quòd vterentur melioribus vestibus, ac pellibus, & carnibus vescerentur, & tria vel quatuor pulmentaria vno die admitterent.

HÆC Propositio est contumeliosa, & iniuriosa in Cistercienses, filios Sancti Patris Bernardi, quos se conuenire, de Ordine suo esse, diserte tradit idem Sanctus. Supponit enim eos fuisse detractores, quod nequaquam agnoscit Sanctus Bernardus; imò ab ea calumnia eos vindicat apertè; vt ex mox dicendis patebit: Sic enim ait ibi. *Vnde nunc mihi conuenienti sunt quidam de Ordine nostro, qui contrà illam sententiam. Nolite amè tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: alijs Ordinibus derogare dicantur, & suam iustitiam solam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti: quos profectò, (si qui tamen huiusce modi sunt) nec nostri, nec cuiuspiã esse Ordinis, vehementer dixerim. Quippè qui etsi ordinatè viuentes, superbè tamen loquentes, ciues se faciunt Babyloniis, ideſt confusionis, imò filios tenebrarum, ipsius q; gehennæ, vbi nullus ordo, sed semper vnus horror inhabitat. Vobis ergò inquam fratres, qui etiam post auditam illam Domini de Pharisæo, & publicano parabolam, de vestra iustitia præsumentes, cæteros aspernamini, dicitis, (vt dicitur) solos vos homines esse iustos, aut omnibus Sanctiores, solos vos Monachorum regulariter viuere, cæteros verò Regulæ potiùs existere transgressores.* Hæc S. Bernardus. Ex quibus claret, quòd Cistercienses alijs Religiosis non derogabant, sed derogare dicebantur: ideò &S. Parer, non absolutè, sed sub conditione loquitur. *Si qui tamen huiusce modi sunt*: & euidenter indicat, se tantùm aliorum dictis attendere, dum ait. *Dicitis, vt dicitur*. Magnam ergo calumniam.

lumniam Theologus struxit contrà Sacrum Ordinem Cistercienſium, quem viuente adhuc S. Bernardo Fundatore ſuo, facit Ordinem detractorum, imò Ordinem ſine ordine, Ordinem ciuium Babyloniſ, ſiue confuſionis, Ordinem filiorum tenebrarum. His enim nominibus S. Bernardus detractores appellauit, vt viſum eſt. Videat Theologus, quàm inſipienter & imprudenter egerit, dum contrà tot Sanctiſſimas Religiones dentes, & arma exacuerit, vt liquet vél ex Propoſitione hac allata, qua Sanctiſſimum Ordinem Ciſtercienſium proſcindere, & Ordinem detractorum orbi proponere auſus eſt. *Susurro & bilinguis maledictus* (Eccleſiaſt. 28.) *multos enim turbabit pacem habentes. Lingua tertia multos commouit. Flagellis plaga liuorem facit: plaga autem linguæ comminuit oſſa. Beatus, qui tectus eſt à lingua nequam, qui in iracundiam illius non tranſiuit, & qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius non eſt ligatus: iugum enim illius, iugum ferreum eſt: & vinculum illius, vinculum æreum eſt. Mors illius, mors nequiſſima: & vtilis potiùs infernus, quàm illa. Qui relinquunt Deum incident in illam, & exardebit in illis & non extinguetur, & immittetur in illos quaſi leo, & quaſi pardus ladet illos. Sepi aures tuas ſpinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia. Ita lingua* (Iacob 3.) *modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat. Ecce quantus ignis, quàm magnam ſyluam incendit? Et lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis. Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna. Omnis enim natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium, & cæterorum domantur, & domita ſunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare poteſt: inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipſa benedicimus Deum & Patrem: & in ipſa maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem eius facti ſunt. Ex ipſo ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet fratres mei, hæc ita fieri. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam? Nunquid poteſt fratres mei ficus vuas facere, aut vitis ficus? Sic neque ſalſa, dulcem poteſt facere aquam.* Sed bono animo eſtote ò Sacra capita Ciſtercienſium. Gladius enim anceps linguæ illius, intrauit in cor ipſius, quia dum alios detractores facit, ipſemet detractor factus eſt, & incidit in foueam, quàm fecit, & dolor eius in caput ipſius.

PROPOSITIO LXXV.

Et hos etſi pro delicatulis habitos, ijs longè anteponit.

HÆC Propoſitio omninò falſa eſt. Nullum enim veſtigium eius eſt in tota Apologia Diui Bernardi, quòd alios Religioſos anteponat ſuis, magnam auſteritatem vitæ profitentibus; etiamſi virtutes

ante-

anteponat vitijs; imò per oppositum, acriter alios Religiosos reprehendit. Versa Lector, & vide totam Apologiam, an quid simile inuenies. Attende antecedentia, & consequentia, & iudica rectè, an verum sit, quod dixit Theologus. Antecedentia ad citata à Theologo, sunt ista. *Primò* inquit, *quid ad vos de alienis seruis? suo Domino stant, aut cadunt. Quis vos constituit iudices super eos? Deinde si ita est, vt dicitur, de Ordine vestro præsumitis, qualis Ordo est, vt antequam de suo quisquam trabem eijciat, in fratrum oculis tam curiosè festucas perquirat? Qui in Regula gloriamini, cur contrà Regulam detrahitis? Cur contrà Euangelium, ante tempus, & contrà Apostolum, alienos seruos iudicatis? An Regula non concordat Euangelio, vel Apostolo? Alioquin Regula, iam non est Regula, quia non recta. Audite, & discite ordinem, qui contrà ordinem, alijs Ordinibus derogatis. Hypocrita*, inquit, *eijce primum trabem de oculo tuo, & sic videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. Quærís quam trabem? An non grandis, & grossa trabs est, superbia, qua te putas esse aliquid, cum nihil sis? Insanissimè tibi tanquam sanus exultas, & alijs vanissimè trabem portans, de festucis insultas. Gratias*, inquit, *tibi ago Deus, quia non sum sicut cæteri hominum, iniusti, raptores, adulteri. Sequere ergò, & dic: detractores. Neque enim minima est hæc festuca inter cæteras. Quare cum tam diligenter alias enumeres, istam taces? Si pro nulla, vel minima habes, audi Apostolum. Neque maledici, ait, regnum Dei possidebunt. Audi & Deum in Psalmo comminantem. Arguamte*, inquit, *& statuam contrà faciem tuam. Quod qui a detractori loquatur, certum est ex præcedentibus. Et quidem iustè ad se retorquendus, & se compellendus est intueri, qui auertens faciem suam à se, aliena potiùs mala, quam sua, solet curiosiùs perserutari. At inquiunt, quomodo Regulam tenent, qui pellicijs induuntur, sani carnibus, seu carnium pinguedine vescuntur, tria vel quatuor pulmentaria vna die, (quòd regula prohibet) admittunt, opus manuum, quod iubet, non faciunt; multa denique pro libitu suo, vel mutant, vel augent, vel minuunt? Rectè non possunt hæc negari.* Hæc Bernardus. Considera quæso si est mentio aliqua, de anteponendis delicatulis. Sed dato non concesso, quòd alios anteponeret, quid mirum, quòd anteponeret tenentibus Ordinem sine Ordine, ciuibus Babylonis, filijs tenebrarum, ipsiusque gehennæ, vno verbo detractoribus? Sed iam attende sequentia.

PROPOSITIO LXXVI.

Attendite, inquit, *in regulam Dei, cui vtique non dissonat institutio S. Benedicti. Regnum Dei intrà vos est, (Lucæ 17.) hoc est, non exteriùs in vestimentis, aùt alimentis cor-*

poris,

poris, sed in virtutibus interioris hominis. Vndè Apostolus (Rom. 14.) Regnum Dei non est esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. De corporalibus itaque obseruantijs fratribus calumniam struitis & quæ maiora sunt Regulæ, spiritualia instituta relinquitis, Magna abusio. Tunicati, & elati abhorremus pelliceas. Tanquam non melior sit pellibus inuoluta humilitas, quàm tunicata superbia. Repleti deindè ventre faba, mentem superbia, cibis damnamus saginatos: quasi non melius sit exiguo sagimine ad vsum vesci, quam ventoso legumine vsque ad ructum exsaturari: præcipuè cùm Esau, non de carne, sed de lente sit reprehensus, & de ligno Adam, non de carne damnatus: è contrà verò Elias innoxiè carnem comederit. 3. Reg. 17. vers. 6. Abraham gratissimè carnibus Angelos pauerit. Gen. 18. de ipsis sua fieri sacrificia Deus præceperit. Et infrà. Quantò spiritus corpore melior est, tantò spiritualis, quàm corporalis exercitatio fructuosior. Tu ergò cùm de horum obseruatione elatus, alijs eadem non obseruantibus derogas, non te magis transgressorem Regulæ indicas? cuius licèt minima quædam teneas, meliora deuitas: de quibus Paulus: æmulamini, ait, charismata meliora. Detrahendo quippe fratribus: in quo temetipsum extollis, perdis humilitatem, in quo alios deprimis, charitatem: quæ sunt charismata meliora. Tu si tuum corpus multis ac nimijs laboribus atteris, ac regularibus asperitatibus mortificas membra tua, bene facis. Sed quid si ille, quem similiter non laborantem dijudicas, modicum quidem habeat de hac, quæ ad modicum vtilis, corporali videlicet

exercitatione, amplius autem quàm tu de illa, quæ ad omnia valet ideſt, pietate, &c.

VT in propatulo cernas ſummam infidelitatem & fallaciam Authoris, in citandis Sanctis Patribus; profero totum textum S. Bernardi, quem maximoperè Theologus truncauit, & mutilauit: *Sed attendite*, ait, *in Regulam Dei cui vtiq; non diſſonat Inſtitutio S. Benedicti: Regnũ Dei*, inquit, *intrà vos eſt: hoc eſt, non exercitus in veſtimentis: aut alimenta corporis, ſed in virtutibus interioris hominis. Vnde Apoſtolus. Regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Et rurſus: Regnum Dei non eſt in ſermone; ſed in virtute. De corporalibus itaq; obſeruantijs fratribus calumniam ſtruitis, & quæ maiora ſunt Regulæ, ſpiritualia ſcilicet, inſtituta relinquitis, camelumque deglutientes, culicem liquatis? Magna abuſio. Maxima cura eſt vt corpus regulariter induatur, & contra regulam ſuis veſtibus anima nuda deſeratur. Cùm tanto ſtudio tunica & cuculla corpori procurentur, quatenus cui decerunt, Monachus non putetur; cur ſimiliter ſpiritui pietas, & humilitas, quæ profectò ſpiritualia indumenta ſunt, non prouideantur? Tunicati & elati abhorremus pelliceas, tanquam non melior ſit pellibus inuoluta humilitas, quàm tunicata ſuperbia; præſertim cùm & Deus tunicas pelliceas primis hominibus fecerit, & Ioannes in Eremo zona pellicea lumbos accinxerit, & ipſe tunicarum inſtitutor in ſolitudine, non tunicis ſed pellibus ſe ſe induerit. Repleti deindè ventrem faba, mentem ſuperbia, cibis damnauimus ſaginatos: quaſi non melius ſit exiguo ſagimine ad vſum veſcis, quàm ventoſa legumine vſquè ad ructum exſaturari, & præſertim cùm Eſau non de carne, ſed de lente ſit reprehenſus; & de ligno Adam, non de carne damnatus, & Ionathas ex guſtu mellis, non carnis, mortis adiudicatus; è contra verò Elias innoxiè carnem comederit; Abrahamq; ariſſimè carnibus Angelos pauerit, & de ipſis ſua ſicci ſacrificia Deus præceperit. Sed & ſatius eſt modico vti vino propter infirmitatē, quàm multa aqua ingurgitari per auiditatem. Quia & Paulus Timotheo modico vtendũ vino conſulit, & Dominus ipſe bibit, ità vt vinũ potator appellatus ſit, Apoſtoliſque bibendum dedit; inſuper & ex eo Sacramenta ſui ſanguinis condidit: cùm è contrario aquam ad nuptias bibi non paſſus ſit, & ad aquas contradictionis populi murmur terribiliter caſtigauerit. Dauid quoque aquam, quam deſiderauerat, potare tamen noluit, virtuque illi Gedeonis, qui præ auiditate toto corpore proſtrato, de flumine biberint, digni ad prælium ire non fuerint. Iam verò de labore manuum, quid gloriamini, cùm & Martha laborans increpata, & Maria quieſcens laudata ſit? Et Paulus apertè dicat. Labor corporis ad modicum valet, pietas autem ad omnia? Optimus labor de quo Propheta dicebat. Laboraui in gemitu meo: & de quo alibi. Memor fui Dei, & delectatus ſũ & exercitatus ſum. At ne corporale intelligas exercitiũ. Et deſecit, inquit, Spiritus meus. Vbi autẽ non corpus, ſed ſpiritus fatigatur, ſpiritualis procul dubio labor intelligitur. Quid ergo inquis? Sicine illa ſpiritualia*

per-

persuades, vt etiam hæc, quæ ex Regula habemus, corporalia damnes? Nequaquam. Sed illa oportet agere, & ista non omittere. Alioquin cùm aut ista omnia necesse est, aut illa: ista potiùs omittenda sunt, quàm illa. Quantò omnis Spiritus corpore melior est, tantò spiritualis, quam corporalis exercitatio fructuosior. Tu ergo cùm de horum obseruatione elatus, alijs eadem non obseruantibus derogas, nonne te magis transgressorem Regulæ indicas, cuius licèt minima quædam teneas, meliora deuitas? De quibus Paulus. Æmulamini, ait, charismata meliora. Detrahendo quippe fratribus, in quo temetipsum extollis, perdis humilitatem, in quo alios deprimis, charitatem: quæ sunt proculdubio charismata meliora. Tu si tuum corpus multis & nimijs laboribus atteris, ac regularibus asperitatibus mortificas membra tua quæ sunt super terram, benè facis. Sed quid si ille quem similiter non laborantem diiudicas, modicum quidem habeat de hac, quæ ad modicum est vtilis, corporali videlicet exercitatione: amplius autem, quam tu de illa, quæ ad omnia valet, id est pietate, quis quæso vestrum Regulâ melius tenet? An non melius, qui melior? Quis verò melior, humilior, an fatigatior? An non is qui à Domino didicit mitis esse, & humilis corde: Qui & cum Maria, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo? Quod si Regulâ ab omnibus, qui eam professi sunt, sic ad literam tenendam censes, vt nullam omninò dispensationem admitti patiaris, audacter dico, nec tu eam, nec ille, tenetis. Nam etsi ille quantùm quidem pertinet ad obseruationes corporeas, in pluribus offendit, impossibile est tamen, te quoq; vel in vno non transgredi. Scis autè quia qui in vno offendit, omnium est reus. Sin verò concedas, aliqua posse mutari dispensatoriè, proculdubio & tu illam tenes, & ille; quanquam dissimiliter. Nam tu quidem districtiùs, at ille fortasse discretiùs. Neque hoc dico, quia hæc exteriora negligenda sunt, aut qui se in illis non exercuerit, mox ideò spiritualis efficitur: cum potiùs spiritualia (quanquam meliora) nisi per ista, aut vix, aut nullatenus, vel acquirantur, vel obtineantur, sicut scriptum est. Non prius quod spirituale, sed quod animale, deindè quod spirituale. Sicut nec Iacob, nisi prius cognita Lia, desideratos Rachelis amplexus meruit obtinere. Vndè rursus in Psalm. Sumite psalmum & date tympanum: Quod est dicere. Sumite spiritualia, sed prius date corporalia. Optimus autem ille, qui discretè & congruè hæc & illa operatur. Hæc Bernardus.

Quibus lectis & benè pensatis, facilè quiuis aduertet, quæ Theologus suæ Epistolæ inseruerit, quæ verò respuerit: nimirùm more suo ea quæ plausibilia proposito videbantur attulit, quæ verò repugnantia, omninò subticuit. Et in primis expositionem sententiæ Pauli citatæ suprà ab ipsomet Theologo. Sic n. Bernardus legit. *Labor corporis ad modicũ valet*: & loquitur de labore manuũ, quo vt plurimũ nõ occupãtur Religiones ẽt austerã vitã profitentes. Deinde omisit illa verba S. Bernardi. *Quid ergo inquis? Siccine illa spiritualia persuades vt etiam hæc, quæ ex Regula habemus, corporalia damnes? Nequaquam. Sed illa oportet agere, & ista non omittere.* Sic Bernardus: at Theologus non sic: sed taliter

spiritualia persuadet, vt corporalia damnet. Siuè, taliter vult fieri spiritualia, vt omittantur corporalia. Deniq; nonne fraudulenter Theologus non subtexuit cautelam à Sancto Bernardo adnibitam suis verbis. *Non hoc dico* inquit Bernardus, *quia haec exteriora negligenda sint, aut hic se in illis non exercuerit, mox ideò spiritualis efficiatur, cum potiùs spiritualia, (quàquam meliora.) aut vix, aut nullatenus, vel acquirantur, vel obtineantur.* Pupugit mentem, vel potiùs carnem, aut certè mentem carnalem Theologi, haec Propositio, & ideò oculum considerationis ab ea auertit, & silentio inuoluit. Quàm delicatus es mi Theologe, qui ex pratis SS. Patrum flosculos suauè olentes decerpere, herbas verò medicinales, & corpus purgantes, negligere conatus es: qui sensibus fauorabilia eligis, odiosa persequeris. Quid si totam Apologiam Sancti Bernardi legisses, quàm grauiter punctus, (etsi non compunctus) recessisses. Lege si placet, & apertè videbis, omnia tua acriter perstringi, & grauiter notari. Neque animus est ea hic recensere, quia facile tibi possunt esse obuia. Ne tamen gratis, & quasi inobseruatus transeas, pro hoc labore, quem nauasti vt insurgeres contrà Religiones austeritati deditas, & aduersus ieiunium, & abstinentiam à carnibus (auctoritate Bernardi, vt tibi videbatur, suffultus) praedicares; repono vicissim ea, quæ S. Hieronymus pro ieiunio & abstinentia ab esu carnium, aduersus Iouinianum conscripsit, non totum eius tractatum (quod esset nimis longum & operosum) prodncendo, sed aliquas sententias selectiores promendo.

Audi idcircò Sues, & apros, & cervos, & reliquas animantes creatas, vt milites, & athletæ, nautæ, Rhetores, medicorumque fossores, & cæteri duro operi mancipati, haberent cibos quibus fortitudo corporum necessaria est, qui portant arma, & cibaria, qui pugnis & calcibus sua inuicem membra debilitant, qui remos trahunt, quorum latera ad clamandum, descendumq; sunt valida, qui subuertunt montes, & sub dio & imbribus dormiunt. Cæterum nostra Religio, non πύκτην, non athletam, non nautas, non milites, non fossores, sed sapientiæ erudit sectatorem, qui se Dei cultui dedicauit: & scit, cur creatus sit, cur versetur in mundo, quo abire festinet. Vnde & Apostolus loquitur. Quando infirmor, tunc fortior sum. Et: Si exterior vester homo corrumpitur, sed interior renouatur de die, in diem. Et: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Et: carnis curam ne feceritis in desiderijs. Nunquid omnibus praeceptum est. ne duas tunicas habeant, ne cibus in pera, as in zona, virgam in manu, calceamentum in pedibus: vt vendant vniuersa quæ possident, demque pauperibus, & sequantur IESVM? Sed his vtique qui volunt esse perfecti. Alioquin à Ioanne Baptista, aliud praecipitur militibus, aliud publicanis. Dominus autem dicit in Euangelio ad eum qui se iactauerat legis vniuersa complesse; Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Ne graue onus no-

lemi

lenti videretur imponere, in propria audientis voluntate dimisit, dicens. Si vis perfectus esse, Quamobrem & ego tibi dicam. Si vis perfectus esse, bonum est vinum non bibere, & carnem non manducare. Si vis perfectus esse, melius est saginare animam, quàm corpus. Si autem parvulus es, & coquorum te iura delectant, nemo eripit faucibus tuis esculentas dapes. Manduca & bibe, & si tibi placet, cum Israelitide consurgens & canito. Manducemus, & bibamus, cras enim morieniur. Manducet, & bibat, qui post cibos expectat interitum: qui cum Epicuro dicit. Post mortem nihil est, & mors ipsa nihil est. Nos Paulo credimus intonanti. Esca ventri, & venter escis. Deus autem, & hunc & illam destruet.

Verum sac esum carnium cunctis nationibus esse communem, & passim licere, quod passim gignitur. Quid ad nos, quorum conuersatio in cœlis est qui super Pythagoram & Empedoclem & omnes sapientiæ sectatores non ei debemur cui nascimur, sed cui renascimur: qui repugnantem carnem, & ad libidinum incentiua rapientem media subrugamus? Esus carnium, & potus vini, ventris q; saturitas, seminarium libidinis est. Vnde & Comicus. Sine Cerere, inquit, & Libero friget Venus. Per quinque sensus, quasi per quasdam senestras, vitiorum in animam introitus est. Non potest aute Metropolis & arx mentis capi, nisi per portas eius irruerit hostilis exercitus. Horum perturbationibus anima pegrauatur; & capitur aspectu, auditu, odoratu, sapore, tactu. Si Circensibus quispiam delectetur, si athletarum certamine, si mobilitate histrionum, si formis mulierum, splendore gemmarum, vestium, metallorum, & ceteris huiusce modi, per oculorum senestras animæ capta libertas est, & impletur illud propheticum. Mors intrauit per senestras vestras. Rursum audito vario organorum cantu, & vocum inflexionibus delinitur, & carmine poetarum, & comœdiarum, mimorum; verbauit atibus, & strophis, & quicquid per aures introiens virilitatem mentis effeminat. Odoris autè suauitas, & diuersa thymiamata, & amomum, & cyphi, & nardus, muscus & peregrini muris pellicula, quod dissolutis, & amatoribus conueniat, nemò nisi dissolutus negat. Porrò ciborum auiditas, quòd auaritiæ mater sit, & animum quasi quibusdam compedibus degrauatum in terra teneat, quis ignorat? Propter breuem gulæ voluptatem, terræ lustramur, & maria, & vt multum, vinum, pretiosaq; cibus, fauces nostras transeat, totius vitæ opera desudamus. Tactus autem alienorum corporum, & seminarum ardentior appetitus, vicinus insaniæ est. Ob hunc sensum cupimus, irascimur, gestimus, inuidemus, æmulamur, solicitisumus, & expleta voluptate per quandam plenitudinem rursus accenditur: quærimusq; facere, quod cum fecerimus, iterum pœnitemus. Igitur cum per has portas, quasi quidam perturbationum cuneus ad arcem nostræ mentis intrauerint; vbi erit libertas, vbi fortitudo eius, vbi de Deo cogitatio: maximè cum tactus depingat sibi etiam præteritas voluptates, & recordatione vitiorum cogat animam compati, & quodammodo exercere: quod non agit, His igitur rationibus imitati multi Philosophorum reliquerunt frequentias vrbium, & hortulos suburbanos, vbi ager irriguus, & arborum coma, & susurrus auium, fontis speculum, riuus immurmurans,

& multæ oculorum, auriumque illecebræ, ne per luxum & abundantiam copiarum, animæ fortitudo molleſceret, & eius pudicitia conſtuprareturr. Inutile quippe eſt crebrò videre, per quæ aliquando captus ſis, & eorum te experimento committere, quibus difficulter careas. Nam & Pythagorici huiuſcemodi frequentiam declinantes, in ſolitudine & deſertis locis habitare conſueuerunt. Platonici quoque & Stoici in templorum locis, & porticibus verſabantur, vt admonitu anguſtioris habitaculi ſanctitatæ, nihil aliud quam de virtutibus cogitarent. Sed & ipſe Plato, cùm eſſet diues, & iboros eius Diogenes lutatis pedibus conculcaret, vt poſſet vacare Philoſophiæ, elegit Academicam villam, ab vrbe procul, non ſolùm deſertam, ſed & peſtilentem: vt cura & aſſiduitate morborum libidinis impetus frangeretur: diſcipulique ſui nullam aliam ſentirent voluptatem, niſi earum rerum, quas diſcerent. Quosdam legimus effodiſſe ſibi oculos, ne per eorum viſum à contemplatione Philoſophiæ auocarentur. Vndè, & Crates ille Thebanus, protecto in mari non paruo auri pondere: Abite, inquit, peſſum malæ cupiditates: Ego vos mergam, ne ipſe mergar à vobis. Quod ſi quis exiſtimat, & abundantia ciborum potionumque ſe perfrui, & vacare poſſe ſapientiæ, hoc eſt, & verſari in deliciis, & deliciarum vitijs non teneri, ſeipſum decipit. Cùm enim procul ab his remoti, ſæpè capiamur naturæ illecebris, & cogamur ea cupere, quorum copiam non habemus, quantò magis ſi crebrò datis retibus voluptatum, eſſe nos liberos arbitremur? Senſus noſter illud cogitat, quod videt, audit, odoratur, guſtat, attrectat: & ad eius reuocabitur appetitum, cuius capitur voluptate: quòd mens videat, & mens audiat, & quod nec audire quidpiam, nec videre poſſumus, niſi ſenſus in ea, quæ cernimus, & audimus, fuerit intentus. Vetus quoque ſententia eſt. Difficile eſt, imò impoſſibile, deliciis, & voluptatibus affluentes, non ea cogitare quæ gerimus: fruſtraq; quidam ſimulant ſalua fide, & pudicitia, & integritate mentis, ſe abuti voluptatibus, cùm contrà naturam ſit, copijs voluptatum, ſine voluptate perfrui: & Apoſtolus hoc ipſum caueus, dixerit. Quæ autem in deliciis eſt vidua, viuens, mortua eſt. Senſus corporum quaſi equi ſunt ſine ratione currentes: anima verò in auriga modum retinet frena currentium. Et quomodo equi abſq; rectore præcipites ruunt, ita corpus ſine ratione, & imperio animæ, in ſuum fertur interitum. Alia quoq; comparatio animæ, & corporis à Philoſophis ponitur. Corpus puerum, animam pædagogum eſſe dicentibus. Vndè & Hiſtoricus. Anima, inquit, imperio, corporis ſeruitio, magis vtimur. alterum nobis cum Dijs, alterum cum belluis commune eſt. Igitur niſi vitia adoleſcentis & pueri, prudentia pædagogi rexerit, omnes conatus eius & impetus ad laſciuiam properant. Sine quatuor ſenſibus viuere poſſumus, ideſt, ſine aſpectu, auditu, odoratu, atque complexu. Abſque guſtu autem & cibis, impoſſibile eſt humanum corpus ſubſiſtere. Adeſſe ergò debet ratio, vt tales, ac tantas ſumamus eſcas, quibus non oneretur corpus, nec libertas animæ prægraueiur: quia & comedendum eſt, & deambulandum, & dormiendum, & digerendum, & poſtea inflatis venis incentiua libidinum ſuſtinenda. Luxuriosa res vinum, & tumultuoſa ebrietas. Omnis qui cum his miſcetur, non erit ſapiens. Ne tales accipiamus cibos, quos aut

diffi-

difficulter digerere, aut comesos, magno partos, & perditos labore doleamus. Olerum, pomorum, ac leguminum, & facilior apparatus est, & arte impendij{que} coquorum non indiget: & sine cura sustentat humanum corpus, moderateque sumptus (quia nec auidè deuoratur, quod irritamenta gulæ non habet) leuiori digestione concoquitur. Nemo enim vno aut duobus cibis, his{que} vilibus, vs{q}; ad inflationem ventris oneratur, quæ diuersitate carnium, & saporis delectatione percipitur. Cùm varijs nidoribus fumant patinæ, ad vsum sui expleta esurie, quasi captiuos, trahunt. Vnde & morbi ex saturitate nimia concitantur, multiq; impatientiam gulæ, vomitu remediantur; & quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt. Hippocrates in Aphorismis docet, crassa & obesa corpora, quæ crescẽdi mensurã compleuerint, nisi citò ablatione sanguinis imminuantur, in paralysim, & pessima morborum genera crumpere: & idcirco esse necessariam demptionem, vt rursum habeant in quæ possint crescere. Non.n. manere in vno staturam corporum, sed aut crescere semper, aut decrescere: nec posse viuere animal, nisi crescendi capax sit. Vnde & Galenus vir doctissimus, Hippocratis interpres, athletas, quorũ vita & ars fugina est, dicit in exhortatione medicinæ, nec viuere posse diù, nec sanos esse: animasque eorum, ita nimio sanguine, & adipibus, quasi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cæleste, sed semper de carnibus, & ructu, & ventris ingluuie cogitare. Diogenes, tyrannos, & subuersiones vrbium, bellaque vel hostilia, vel ciuilia, non pro simplici victu olerum, pomorumque, sed pro carnibus, & epularũ delitijs, asserit excitari. Quodque mirandum sit. Epicurus voluptatis assertor, omnes libros suos repleuit oleribus & pomis: & vilibus cibis dicit esse viuẽdũ, quia carnes & exquisitæ epulæ, ingenti cura ac miseria præparentur: maioremq; pœnam habeant in inquirendo, quam voluptatem in abutendo. Corpora autẽ nostra, cibo tantũ, & potu indigere. Vbi aqua & panis sit, & cætera his similia, ibi naturæ satisfactũ. Quicquid supra fuerit, non ad vitæ necessitatem spectare, sed ad vitiũ voluptatis. Bibere & comedere, non deliciarum ardorem, sed sitim famemq; restinguere. Qui carnibus vescãtur, indigere etiam his, quæ non sunt carnium. Qui autem simplici victu abutantur, eos carnes non requirere. Sapientiæ quoque operam dare non posumus, si mensæ abundantiam cogitemus, quæ labore nimio & cura indiget. Cito expletur naturæ necessitas; frigus & fames simplici vestitu & cibo expelli potest. Vnde & Apostolus. Habemes, inquit, victum & vestitum, his contenti sumus. Deliciæ & epularũ varietates, fomenta auaritiæ sunt. Grandis exultatio animæ est, cum paruo contentus fueris, mundum habere sub pedibus, & omnem eius potentiam: epulas, libidines, propter quæ diuitiæ comparantur vilibus mutare cibis, & crassiore tunica compensare. Tolle epularum, & libidinis luxuriã, nemò quæret diuitias: quarum vsus aut in ventre, aut sub ventre est. Qui egrotat non aliter recipit sanitatem, nisi tenui cibo, & castigato victu, quæ λεπτοδιαιτα dicitur. Quibus ergo cibis recipitur sanitas, his & seruari potest; ne quis putet morbos oleribus concitari. Si autem Milonis illius Crotoniatæ vires ostenderit non ministrant, quæ nascuntur & aluntur carnibus: quid necesse est vi-

ro sapienti, & Philosopho Christi, tantam habere fortitudinem, quæ athletis,

& militibus necessaria est; quam cùm habuerit, ad vitia prouocetur? Illi arbitrantur carnes sanitati congruas qui volunt abuti libidine, & in canum demersi voluptatum, ad coitum semper exæstuant. Christiano sanitas absque viribus nimijs necessaria est. Nec turbare vos debet, si rari sint huius propositi sectatores: quia rari sūt, & amici boni, & fideles, & pudici, & continentes, semperque virtus rara est. Lege Fabritij contentiam, Curij paupertatem, & in tam a vrbe, vix paucos inuenies quos sequaris. Noli timere, ne si carnes non comederis, aucupes, & venatores frustra artificia didicerint. Legimus quosdam, morbo articulari, & podagra humoribus laborantes proscriptione bonorum ad simplicem mensam, & pauperes, cibos redactos cōualuisse. Caruerant enim solicitudine dispensandæ domus & epularum largitate, quæ & corpus fraudant, & animam. Irridet Horatius appetitum ciborum, qui consumpti relinquunt pœnitentiam.

Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.

Et cum in amœnissimo agro, in mortem voluptuosorum hominum, se crassum pinguemque describeret, lusit his versibus.

Me pinguem & nitidum & benè curata cute vises.
Cùm videre voles Epicuri de grege porcum.

Postmodùm, cum argumentis Philosophorum, exemplisque fusiùs abstinentiam ab vsu carnium probasset, & rationem viuendi Diogenis Philosophi edisseruisset; tandem subiunxit. *Vnius tantùm Philosophi exemplum posui, vt formosuli nostri, & torosuli, & vix summis pedibus adumbrantes vestigia: quorum verba in pugnis sunt, & syllogismi in calcibus: qui pauperta-tem Apostolorum, & crucis duritiam, aut nesciunt, aut contemnunt. imitentur saltim gemituum parcitatem.*

Inde ad exordium generis humani transiens, & ad posteriora descendens, multa dicit ad idem spectantia ex quibus aliqua commemorare visum est. *Beatitudo, inquit, paradysi absque abstinentia cibi, non potuit dedicari. Quamdiu ieiunauit, in paradyso fuit: comedit, & ejectus est: ejectus, statim duxit vxorem. Qui ieiunus in paradyso virgo fuerat, statur in terra matrimonio copulatur: & tamen ejectus, non protinus accepit licentiam carnium vescendarum, sed tantùm poma arborum, & fruges segetum, & herbatum olera ei traduntur in cibum: vt exul quoque paradysi, non carnibus, quæ in paradyso non erant, sed similitudine frugum paradysi vesceretur. Postea verò videns Deus, quod diligenter appetitum esset ad malitiam cor hominis ab adolescentia, & spiritus eius in his permanere non posset, quia erant caro, opera carnis diluuio condemnauit: & anxissimam hominum gulam probans, dedit eis licentiam comedendarum carnium: vt dum sibi intelligunt licere omnia, non desiderent magnopere, quod non licebat, ne mandatum in causam verterent præuaricationis. Quanquam & nunc ex parte imperatum ieiunium sit. Nam cum alia munda dicantur, alia immunda: & in arca Noe de immundis bina, de mundis introducuntur imparia: & vtique immundorum esus ablatus*

sit,

sit, ne fine causa dicerentur immunda: ex parte ieiunium dedicatum est, docens abstinentiam omnium, in quorundam recisione.

Moyses quadraginta diebus & noctibus ieiunus in monte Sina, etiam tunc probas, non in pane solo viuere hominem; sed in omni verbo Dei, cum Domino loquitur; populus autem fatur idola fabricatur. Ille vacuo ventre legem accepit scriptam digito Dei: Iste manducans & bibens consurgensq; ludere, aurum conflat in vitulum, & Aegyptium bouem præfert Domini Maiestati. Tot dierum labor vnius horæ saturitate periit. Frangit audacter Moyses tabulas: sciebat enim Dei sermonem non posse audire tumultuosos. Incrassatus est, & pinguefactus, & dilatatus, & recalcitrauit dilectus, & dereliquit Dominum qui fecerat eum, & abscessit à Deo salutari suo. Vide & in eodem Deuteronomio præcipitur. Ne cum manducaueris, & biberis, & domos optimas ædificaueris, oubus & bobus tuis multiplicatis, argento, & auro, extollatur cor tuum, & obliuiscaris Domini tui; Denique manducauit populus, & incrassatus est cor eius, ne videret oculis, & audiret auribus & corde conijceret: & vultum ieiunantis Moysi, & iuxtà Hebraicam veritatem, Dei confabulatione cornutum, pastus & pinguior populus sustinere non potuit. Quamobrem & Dominus noster atq; saluator, non ob differentiam virginitatis, & nuptiarum, vt quidam putant, sed ob ieiuniorũ consortia, Moysen & Eliam transfiguratus in monte secum ostendit in gloria.

Sed nec secunda conscriptio tabularũ absq; ieiunio potuit impetrari. Quod ebrietas perdiderat, inedia reperit. Ex quo ostenditur, posse nos per ieiunium redire in paradysum, vnde per saturitatem fueramus eiecti.

Elias quadraginta dierum ieiunio præparatus, Deum vidit in monte Oreb, & audit ab eo: Quid tu hic Elia? Multò familiarior ista vox, quam illa in Genesi. Adam vbi es? Illa enim pastum terrebat, & perditum: hæc ieiunanti famulo blandiebatur.

Daniel, & tres pueri reuelationẽ merentur ieiunio: & pasti leguminibus, pulchriores sunt & prudentiores his qui de mensa Regis carnibus vescebantur. Deinde scriptum est, quod Daniel tribus hebdomadibus ieiunauerit; panem suauem nõ comederit; caro, & vinum non intrauerit os eius: oleo non sit vnctus, & venerit ad eũ Angelus dicens; Daniel homo miserabilis es. Qui Deo miserabilis apparuerat, post ieiunium leonibus in lacu fuit horribilis. Quam pulchra res, quæ placat Deum, leones mitigat, dæmones terret. Mittitur ad eum (licet hoc in Hebraicis voluminibus non inuenerimus) Habacuc meßorum prandium portans. Talem enim discophorum inedia meruerat hebdomadis. Dauid pœnitentiæ filio post adulterium, ἐξομολογεῖται in cinere & ieiunio facit, dicens; Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meũ eum fletu miscebam. Et infirmata sunt in ieiunio genua mea. Et cùm iam audierat à Nathan, Dominus abstulit à te hoc peccatum. Samson, & Samuel vinum & siceram non bibunt. Erant enim filij repromissionis, & per abstinentiam ieiuniumq; concepti. Aaron & cæteri Sacerdotes ingressuri templum, omnẽ quod inebriare potest non potant, ne moriantur. Ex quo intelligimus mori eos, qui in Ecclesia non

sobriè ministrarint. Quamobrem exprobratur Israelis. Potum dabatis Nazaræis meis vinum. Ionad ab filius Rechab præcepit filijs suis, vt non biberent vinum vsque in æternum. Quibus cum offerret Hieremias vinum vt biberent, & illi bibere noluissent, loquitur Dominus per Prophetam. Quia obedistis præcepto Ionadab Patris vestri, non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo, cunctis diebus.

In scribus Euangelij Anna filia Phanuelis vniuira inducitur, semperque ieiunãs, & Dominum virginem, longa castitas, longaque ieiunia fuscepere. Præcursor eius & præco Ioannes locustis alitur, & sylueſtri melle, non carnibus: habitatioque deserti, & incunabula Monachorum talibus inchoantur alimentis. Sed & ipse Dominus baptisma suum quadraginta dierum ieiunio dedicauit: & acriora dæmonia, docuit non nisi oratione, & ieiunijs posse superari. Cornelius Centurio, vt Spiritum Sanctum acciperet, ante quam baptisma, eleemosynis meruit, crebrisque ieiunijs. Paulus Apostolus post famem, & sitim, cæterosque labores suos, & pericula latronum, naufragia, solitudines, crebra ieiunia enumerat, Et discipulo Timotheo dolenti stomachum, & infirmitates plurimas sustinenti, suadet vini modicam potionem: Iam noli, inquit, aquam bibere. Cui autem dixit. Iam noli aquam bibere: ostendit eum aquam ante potasse. Quod non concederet, nisi crebræ infirmitates, & dolor stomachi, postulassent.

Illud autem, quod proponere aduersarius ausus est, Dominum voratorem, & potatorem vini, à Phariseis appellatum, & quia ad epulas ierit nuptiarum, & conuiuia non despexerit peccatorum, existimo quòd nobiscum faciat. Iste est Dominus (vt arbitraris) vorator, qui quadraginta diebus Christianorum ieiunium sanctificauit, qui beatos appellat esurientes & sitientes, qui escam habere se dicit, non quam discipuli suspicabantur, sed quæ in perpetuum non periret, qui de die crastino cogitare prohibet, qui cum esuriisse & sitisse dicatur, & iste frequenter ad prandia, excepto mysterio, quod in typum suæ passionis expressit, & probandi corporis veritate, nec gulæ scribitur seruisse nec ventri. Qui diutem purpuratum propter epulas narrat in tartaro, & Lazarum pauperem ob inediam dicit esse in sinu Abrahæ. Qui quando ieiunamus, vngi caput, & lauari faciem præcipit, quod non gloriæ hominum: sed Domino ieiunemus. Qui comedit quidem post resurrectionem partem piscis assi, & fauum; non propter esuriem & gutturis suauitatem, sed vt veritatem sui corporis comprobaret. Nam quotiescunque mortuum suscitauit, iussit ei dari manducare, ne resurrectio phantasma putaretur. Et Lazarus post resurrectionem, ob hanc causam scribitur cum Domino inisse conuiuium. Nec hoc dicimus, quod negemus pisces & cætera (si voluntatis fuerit) in cibo esse sumenda: sed quomodo nuptijs virginitatẽ, ita saturitati, & carnibus, ieiunia, spiritũq; præferimus. Hæc omnia Hieronymus, quę in gratiam Theologi altissimæ perfectionis cupidi, placuit adferre. Si enim vult perfectus esse; bonum erit ei, ex consilio Hieronymi, vinum non bibere, & carnem non manducare.

Si.

Si vult perfectus esse, melius est ei saginare animam, quàm corpus. Sed si paruulus est, & coquorum eum iura delectant, nemò eripit fauces luis esculentas dapes. Manducet & bibat, & si ei placet, cum Israel ludat, & consurgens canat. Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.

Sed fortassè indignè feret Theologus, sibi exhiberi dicta aduersus Iouinianum, vtique Hæreticum. Imò vereor cum S. Bonauentura in Apologia Pauperum, ne longè amplius desipiat, quàm Iouinianus, tàquam proficiens in erroris doctrina discipulus. Nam sobrietatem in vsu ciborum dicit competere perfectis (hos enim contendit præsenti Epistola depingere) abstinentiam imperfectis: quia imperfecti indigent illo remedio ad edomationem concupiscentiarum, siuè ad remedium peccati carnalis. Constat autem, quòd perfecti præferuntur imperfectis, & quæ his, & illis competunt, per se loquendo consimilé habent comparationem. Igitur secundum ipsum præfertur horum ciborum vsus moderatus, & sobrius, abstinentiæ ab eisdem. Quod si causetur falsum sibi crimen imponi, dicat igitur ipse quod sentit. Aut enim præfert abstinentiam moderato modo vescendi: aut æquat: aut postponit. Si præfert; vt quid tot superuacua verba contrà austeritatem, & ieiunium protulit. Concesso enim quod abstinere perfectius sit, nulla restat causa aduersus Religiones austeras disputandi. Si verò æquat; in errorem Iouiniani turpiter incidit. Si autem postponit; damnatæ & reprobatæ iam hæresi superaddit. Quòd autem huius sententiæ vltimæ fuerit, indè apertè claret, quod quia perfectissimos prædicatores verbi diuini præfert alijs imperfectis: & illis perfectissimis docet competere vsum moderatum, & sobrium ciborum; abstinentiã verò & austeritates relinquit alijs, vtique imperfectis: sequitur quod etiam vsum moderatum ciborum præferat abstinentiæ ab eisdem: perfectiora enim opera conueniunt perfectioribus personis, & quæ competunt imperfectis, vtique sunt opera imperfectiora: sicut enim perfecti præferuntur imperfectis: ita ea quæ his, & illis conueniunt, per se loquendo, consimilem habent comparationem, vt inquit idem S. Bonauentura. Iudicio ergò S. Bonauenturæ, non Iouiniani discipulus, sed pluspquam Iouinianus noster Theologus est. Quapropter ijsdem verbis, quibus quondam S. Hieronymus Iouinianum, ad finem lib. 2. compellauit, compello & ego ipsum. *Nunc restat, vt Epicurum nostrũ, subantem in hortulis suis, inter adolescentulos, & mulierculas, alloquamur. Fauent tibi cressi, nitidi dealbati. Adde si vis iuxtà Socraticam irrisionem, omnes sues & canes: & quia carnem amas, vultures quoque, aquilas, accipitres, & bubones. Nunquam nos Aristippi multitudo terrebit. Quoscunque formosos, quoscunque calamistratos,*

stratos, quos crine compositos, quos rubentibus buccis videro, de tuo armento sunt; imò inter tuos suos grunniunt. De nostro grege, tristes, pallidi, sordidati, & quasi peregrini huius sæculi, licèt sermone taceant, habitu loquuntur & gestis. Hei mihi, quia peregrinatio mea prolongata est, habitaui cum habitantibus Cedar: videlicet tenebris huius mundi, quia lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ne glorieris quod multos discipulos habeas: Filius Dei docuit in Iudæa, & duodecim tantùm illum Apostoli sequebantur. Torcular, inquit, solus calcaui, & de gentibus vir non est mecum. Ille in passione solus remansit, & Petri quoque ergà eum trepidauit constantia: Pharisæorum autem doctrinæ omnis populus applaudebat, dicens: Crucifige, crucifige talem. Non habemus Regem, nisi Cæsarem ideſt, vitia sequimur, non virtutes; Epicurum non Christum: Iouinianum, non Apostolum Paulum. Quod multi acquiescunt sententiæ tuæ, indicium voluptatis est. Non enim tam te loquentem probant, quam suis fauent vitijs. In circulis platearum quotidiè fictus arioli stultorum naues verberat, & obtorto sustedentes mordentium quatit, nec tamen deest, qui semper possit induci, & pro magna sapientia deputas, si plures porci post te currant, quos gehennæ succidiæ nutrias.

Et post pauca. *Vexillum crucis, & prædicationis austeritas, idolorum templa destruxerat; à regione luxuria ventris, & gutturis subuertere nititur fortitudinem crucis. Vndè per Esaiam loquitur Deus. Populus meus, qui vos beatificant, seducunt vos, & semitas pedum vestrorum conturbant. Nec non per Ieremiam. Fugite de medio Babylonis, & seruate vnusquisque animam suam, & nolite credere Pseudoprophetis, qui dicunt: Pax pax, & non est pax: qui semper ingeminant, templum Domini, templum Domini. Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & insipientia, non aperuerunt iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent; qui deuorant plebem Domini, vt cibum panis, Deum non inuocauerunt. Ieremias captiuitatem nuntians lapidatur à populo. Ananias filius Azur frangebat ad præsens ligneas torques, & in futurum ferreas præparabat. Semper Pseudoprophetæ dulcia pollicentur, & ad modicum placent. Amara est veritas, & qui eam prædicant, replentur amaritudine. In azymis enim veritatis, & sinceritatis Domini Pascha celebratur, & cum amaritudinibus comeditur. Habes præterea in exercitu tuo plures succenturiatos, habes scurras, & velites in præsidijs, tragos, compros, nitidos, clamatores, qui te pugnis calcibusque defendant: tibi cedunt de via nobiles, tibi osculantur diuites caput: nisi enim tu venisses, ebrij atque ructantes paradisum intrare non poterant.*

Macte virtute, imò
vitijs, &c.

PRO-

PROPOSITIO LXXVII.

Quod vsque adeò verum est, vt idem S. Bernardus ser. 12. in Cantica. Prælatos sæculares Ecclesiæ vtiles, leuibus aliquibus defectibus obnoxios anteponat Religiosis solitarijs, etsi à vulgo habitis pro perfectioribus. Inhumanè, inquit, eorum redarguis opera, quorum onera refugis. Dico enim, si is qui è Claustro est, eum qui versatur in populo, interdum minùs districtè minusuè circumspectè, se se agere deprehenderit, v. g. in cibo, in somno, in risu, in ira, in iudicio, non ad iudicandum confestim resiliat, sed meminerit scriptum Eccles. 42. Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier. Nàm tu quidem in tui custodia vigilans, benè facis, sed qui iuuat multos, melius facit, & viriliùs. Quod si implere non sufficit, absque aliqua iniquitate, idest absque quadam inæqualitate vitæ & conuersationis suæ, memento, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Iacob. 5.

HÆC Propositio non habet connexionem cum præcedentibus. Quis enim dubitat, statum Episcoporum esse perfectiorẽ, quàm statum Religiosorum? Nullus certè Theologus Catholicus contradicit. At quid ergò hæc doctrina à Theologo illata? Sed & quæ est hæc consequentia. Episcopi sunt perfectiores Religiosis: Ergò perfectio Religionis non est metienda ex austeritate externa? Amplius autem dicta Propositio Theologi manifestissimam falsitatẽ, & impostaram continet. Sanctus enim Bernardus tantùm Episcopos præfert Religiosis, non verò quosuis Prælatos: Theologus autem dicit, S. Bernardum Prælatos sæculares anteponere Religiosis solitarijs. Constat autem nomine Prælatorum intelligi etiam alios, præter Episcopos: & non est conforme Theologiæ, omnes Prælatos anteponere perfectioni Religiosorum. Ne autem dubites de mente S. Bernardi, & vt Theologum agnoscas impostorem, profero textum illius integrum, quem mancum, & mutilatum Theologus attulit: *Fratres reuereamur Episcopos, sed vereamur labores eorum. Si labores pensamus, non affectamus honores.*

Agnos-

Agnoscamus impares vires nostras, nec delectet molles & fœmineos humeros, virorum supponere sarcinis. Nec obseruemus eos, sed honoremus. Inhumanè nempè eorum redarguis opera, quorum onera refugis. Temerariè obiurgat virum de prælio reuertentem, mulier nens in domo. Dico enim si is, qui in Claustro est, eum qui versatur in populo, interdum minùs districtè minusue circumspectè se se agere deprehenderit. (v.g. in verbo, in cibo, in somno, in risu, in ira, in iudicio) non ad iudicandum confestim prosiliat, sed meminerit scriptum. Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier. Nam tu quidem in tui custodia vigilans, benefacis, sed qui tuuat multos, & meliùs facit, & viriliùs. Quod si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, idest, absque quadam inæqualitate vitæ & conseruationis suæ, memento, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hæc dicta sint contra geminam tentationem, qua sæpè viri Religiosi Episcoporum, vel ambire gloriam, vel excessus temerè iudicare, Diabolicis instigationibus incitantur. Hæc Bernardus. Tu autem vide fallaciam Authoris, qui per omnia fallarius est. Maiorem autem fallaciam eius agnosces, si consideres nomine Prælatorum sæcularium Ecclesiæ vtilium, posse intelligi etiam Reges, & Principes nàm hi sunt Prælati seculares, & sæpè Ecclesiæ vtiles. Quia ergò Prælatos sæculares Ecclesiæ vtiles anteponit tanquàm perfectiores, Religiosis solitarijs, consequens est, quod anteponat etiam Reges, & Principes in perfectione ijsdem. Si enim nomine Prælatorum intellexit tantum Spirituales, quare nõ dixit eos Prælatos Ecclesiasticos, vel expressè Prælatos Spirituales? Sed vereor ne voluerit adulari Regibus, & Principibus, vt eis etiam maiorem perfectionem attribueret, quàm Religiosis. Perpende etiam, quàm malitiosè detrahat Religiosis solicarijs, quos dicit à vulgo haberi, pro perfectioribus. Quia enim vulgi, sicut & stultorum infinitus est numerus; paucorum verò est sapientia: ideò iudicia vulgi, aut parui, aut nihili pendenda sunt. Quando ergo dicit Religiosos solitarios à vulgo haberi pro perfectioribus, eo ipso tacitè insinuat, hanc æstimationem esse flocci-faciendam, & rem eis minimè competere, quamuis opinionem rei habeant. O detractorem vafrum, & subdolum, cuius os in dolo apertum est contrà Sanctos Domini. Nulla Religio est, quàm lingua eius nequam non laceranerit? Quin etiam ad eos, qui soli & recluſi in cellis manent, pertransijt, & eorum famam ac honorem furtiuè proscidit. O lingua, lingua, sicut nouacula acuta fecisti dolum.

PRO-

PROPOSITIO LXXVIII.

Sicut vitæ austeritas, etsi bona & vtilis, non est id, ex quo perfectio Religiosæ vitæ agnoscenda est.

HÆC Propositio iam est sufficienter refutata. Id dumtaxat aduertas, quàm fraudulenter Theologus vitæ austeritatē dixerit, *bonam, & vtilem*. In hoc enim non recessit à moribus & ingenio Hæreticorum, qui ea apertè laudant, quæ aliàs in occulto condemnant. Sic Lutherus inimicus capitalis (vt est manifestum) ieiunij, tamen ieiunium commendat. Sic enim scribit ad Efflingenses, vt habetur in tomo 2. suarum Lat. Epist. *Hoc non negauerim me dixisse, confessionem esse multi preij, sed nec ieunio vnquam interdixi, nec peregrinationem vnquam reprobaui, aut esum piscium, &c.* Iouinianus etiam, quanquam sit omnino detestandus, nunquam tamen in talem dementiam incidit, vt gulositatem æquaret abstinentiæ, aut abstinentiam doceret esse malam: sed vsum ciborum & abstinentiam, æqualis meriti apud Deum censuit; quod Hieronymus vt dogma prophanum reprobauit. Theologus autem, plusquam Iouinianus profecit: quia tacitè moderatum vsum ciborum abstinentiæ prætulit, hoc ipso quod moderatum vsum ciborum docuit competere perfectissimis Religionibus, quas digito monstrare conatur, abstinentia relicta; vtique imperfectioribus: quod iam supra probatum est. Desinat ergo iactare laudes austeritatis Theologus: nam quælibet Religio austera renuntiat fauori simili, & dicit. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam meam, & proiecisti sermones meos retrorsùm. Si videbas Iouinianum currebas cum eo, & cum Hæreticis portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum pœnitentiæ deditum loquebaris, & aduersus filium matris Ecclesiæ ponebas scandalum: Hæc fecisti & tacui. Existimasti iniquè quod ero tui similis; arguam te & statuam contrà faciem tuam. Noli, noli, Theologe, Iudæ osculum exhibere mihi, & in fraude, gladio petere viscera mea. Meliora sunt certè vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Corripiat me iustus in misericordia, & increpet me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

PRO-

PROPOSITIO LXXIX.

Id ex quo perfectio Religiosæ vitæ agnoscenda est, non est paupertas.

CHristianæ Religionis propositum. (inquit S. Thomas. Opusc. 17. Cap. 1.) in hoc præcipuè videtur consistere, vt à terrenis homines abstrahat, & spiritualibus faciat esse intentos. Hinc est quod author fidei, & consummator IESVS, in hunc mundum veniens, sæcularium rerum contemptum, & facto, & verbo suis fidelibus demonstrauit. Facto siquidem: quia sicut dicit Augustinus in libro de Catechizandis rudibus. Omnia bona terrena contempsit, homo factus Dominus IESVS, vt contemnenda monstraret, & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat, vt neque in illis quæreretur fœlicitas, neque in istis infœlicitas timeretur. Natus enim de Matre, quæ quamuis à viro intacta conceperit, semperque intacta permanserit: tamen fabro desponsata erat: omnem typum carnalis nobilitatis exuuit. Natus in Ciuitate Bethleem, quæ inter omnes Iudææ ciuitates erat exigua, noluit quemquam de terrenæ dignitatis sublimitate gloriari. Pauper factus est, cuius sunt omnia, & per quem facta sunt omnia, ne quisquam cùm in eum crederet, de terrenis diuitijs auderet extolli. Noluit Rex ab hominibus fieri, quia humilitatis ostendebat viam. Esurijit, qui omnes pascit: sitijt, per quem omnis potus creatur. Ab itinere fatigatus est, qui seipsum nobis viam fecit in cælum: crucifixus est, qui cruciatus nostros sinuit: mortuus est, qui mortuos suscitauit. Hoc idem in verbis ostendit. Nam in suæ prædicationis exordio, non aliqua regna terrena, sicut in veteri testamento, sed regnum cælorum pœnitentibus repromisit. Discipulis primam beatitudinem in spiritus paupertate constituit; in qua etiam perfectionis iter esse monstrauit, dicens quærenti iuueni: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Hanc viam eius discipuli sunt secuti, tanquam temporaliter nihil habentes: sed spirituali virtute omnia possidentes. Habentes enim alimenta, & quibus tegebantur, his erant contenti. Hoc autem tam pium tamque salubre studium, Diabolus humanæ salutis æmulus, per homines carnales, inimicos Crucis Christi, terrena sapientes, ab antiquis temporibus impedire non cessat. Dicit enim Augustinus in libro de agone Christiano. Masculi & fœminæ, & omnis ætas, & omnis sæculi dignitas, ad speciem vitæ æternæ commutata est. Alij neglectis temporalibus bonis, conuolant ad diuina. Alij ceduntur eorum virtutibus, qui hæc faciunt, & laudant, quod imitari non audent. Pauci autem adhuc murmurant, & in ani liuore torquentur, aut qui sua quærunt in Ecclesia, quam Catholici vidcantur, aut ex ipso Christi nomine, gloriam quærentes Hæretici.

Ex

Ex eorum siquidem numero insurrexerunt ab olim, diuersis quidem in locis, sed pari vesania, Iouinianus Romæ: Vigilantius in Gallia: quæ anteà eorum monstris carebat. Horum primus, virginitati matrimonium: secundus paupertati, diuitum statum præsumptorum æquare manifesta perfidia: Euangelica & Apostolica consilia, quantum in ipsis est, reddentes inania. Sed quia rerum conditiones ex sua interdum pensantur origine, dogmatis eorum ortum inuestigemus, & processum exploremus. Sciendum ergo est, Iouinianum in hunc errorem lapsum fuisse, vt diceret omnium baptizatorum, qui sicut baptisma seruauerunt, vnam esse in regno cœlorum remunerationem, vt Hieronym. narrat in libro quem contrà eum scribit. Ex quo in tantùm processit, vt diceret Virgines, viduas, & maritatas, quæ semel in Christo sunt lotæ, si non discrepent cæteris operibus, eiusdem meriti esse. Matrimonium per hoc virginitati adæquans: & quod inter abstinentiam ciborum, & perceptionem eorum cum gratiarum actione, nulla esset differentia. Propositio autè eius pro hæresi damnata est, vt Augustinus narrat. Hic autem Iouiniani error in Vigilantio surrexit, vt Hieronymus dicit in Epistola contrà Vigilantium, qui veritatè fidei impugnabat, vt ibidem dicitur, pudicitiam odio habens, & in cõuiuio sæcularium, contrà ieiunia Sanctorum declamans, vt Hieronymus in eadem Epistola dicit. Nec solùm contentus fuit Iouinianum imitari, consilium de virginitate euacuans; sed superaddere ausus est etiam, vt consilium de paupertate seruanda destrueret omninò. Vndè Hieronymus de eo dicit. *Quod autem aßerit eos melius facere, qui vluntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum pauperibus diuidunt, quam illos qui possessionibus venundatis simul omnia largiuntur: non à me ei, sed à Domino respondebitur: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes &c. Matth. 19.* Hic autem error per successiones errantium, vsque ad tempora S. Thomæ Aquinatis peruenit, & in Hæreticis quibusdam, qui Cathari nominabantur, permansit. Sicut patet in quodam tractatu cuiusdam Desiderij Hæresiarchæ Lombardi, quem edidit contrà Catholicam veritatẽ, in quo inter cætera, condemnat statum eorum, qui relictis omnibus, egere volunt cum Christo. Nuper autem, quod est horribilius, antiquus error renouatus est à Theologo, qui fidem defendere videtur, sed more errantium in pèius procedens, noluit diuitias paupertati æquare, vt Iouinianus, sed supergrediendo Iouinianum, possessionem bonorum in communi, paupertati in communi præfert, vt Vigilantius. Contendit enim in sua Epistola Religionem illam, quæ sit omnium perfectissima, in Ecclesia Dei monstrare. Tali autem Religioni docet competere possessionem bonorum in communi; relinquendo vtique paupertatem in communi Religionibus imperfectioribus. Quo

quid aliud insinuat, quàm possessionem bonorum in cõmuni esse perfectius opus, paupertate in communi; Constat enim, vt inquit S. Bonauentura in Apologia pauperum, quòd perfecti præferuntur imperfectis, & quæ illis & his competunt, per se loquendo, consimilem habent comparationem: Igitur secundùm ipsum præfertur possessio bonorum in communi, paupertati in communi. Quod si cauisetur Theologus, falsũ sibi crimen imponi, dicat igitur ipse quod sentit: (& prosequor discursum S. Bonauent. vt suprà in simili de austeritate) Aut enim præfert paupertatem in communi, possessioni bonorum in communi: aut æquat: aut postponit. Si præfert; cur tot superuacua verba contrà paupertatem in communi protulit? Cur negat competere paupertatem in communi Religioni perfectissimæ? siquidem perfectioribus perfectiora competunt. Et concesso quòd paupertas in communi perfectior sit, nulla restat causa disputandi aduersus Religiones paupertatem in communi profitentes. Si verò æquat; in errorem Iouiniani turpiter incidit, si autem postponit; damnatæ & reprobatæ Hæresi Iouiniani, cum Vigilantio superaddit. Quod autem huius vltimæ sententiæ fuerit, ex consequentibus apertè clarescit. Docet enim quod *in Religionibus paupertatem in communi professibus, solicitudo quærendi necessaria pro templi ornatu, & vsu, pro victu, & vestitu, pro viatiis, pro suppellectili, & alijs domesticis necessitatibus, magis impedit procurationem alienæ salutis, diuinæque gloriæ propagationem, quàm solicitudo vnius Oeconomi, vel Patris familias, aut Superioris Religionis, circà conseruationem & defensionem rerum immobilium, vel mobilium Religionis*. Si ergo paupertas in cõmuni magis impedit procurationem alienæ salutis, & diuinæ gloriæ propagationem, quàm possessio bonorum in communi, vtique paupertas in communi erit quid imperfectius possessione bonorum in cõmuni. Certum est enim, & in confesso apud omnes, id esse imperfectius, quod magis impedit procurationem salutis alienæ, diuinęque gloriæ propagationem. Deinde docet, quod *præcipui Religionum Fundatores, certos suis Religiosis permiserunt reditus; vt ea liberi à quærendis eleemosynis, melius & Deo, & sibi, & proximis vacare possent*. Quibus verbis tacitè insinuat, eos qui non sunt liberi à quærendis eleemosynis, non posse melius & Deo, & sibi, & proximis vacare. Necessitas ergo quærendi eleemosynas ob paupertatem in communi, secundùm Theologum, est impedimentum, vt Religiosi non possint melius & Deo, & sibi, & proximis vacare; quod impedimentum, secundùm eundem Theologum, non præstat possessio bonorum in communi. Certum est autem, quòd illud opus est imperfectius, quod est impedimentũ, ne Religiosi possint melius & Deo, & sibi, & proximis vacare; & è contrario. illud opus est perfectius, quod est adiumentum, vt Religiosi

giosi possint melius vacare, & Deo, & sibi, & proximis: Hic est enim finis intrinsecus Religionis, vt homo totaliter se tradat Deo, & cultui ipsius: & propterea Religio dicitur à S. Thoma holocaustum, Imperfectior ergo secundum Theologum est paupertas in communi: perfectior autem est possessio bonorum in communi. Amplius docet Theologus, *præcipuos Religionum Fundatores, certos suis Religionis permisisse reditus; vt possint liberius erruntes corrigere, quod facere non ita auderent, si ab eis quæ reuda essent subsidia temporalia: timerent enim benefactores offendere, corrigendo eorum vitia, quia veritas odium parit.* Ex quo colligitur Theologum sentire, eos qui habent necesse quærere eleemosynas, non posse liberius errantes corrigere; nam & id apertè dicit, *quod id facere non ita audent, qui quærunt subsidia temporalia: timent enim benefactores offendere, corrigendo vitia eorum, quia veritas odium parit.* Paupertas ergo in communi, impedimentum est Religionibus prædicatorum, vtique secundum mentem Theologi perfectissimis, & Apostolicam vitam profitentibus, quominus liberè verbum Dei euangelizare possint; quod impedimẽtum aufert possessio bonorum in communi, secundum Theologum. Ergo secundùm supra dicta, imperfectior est paupertas in communi. perfectior verò possessio bonorum in communi. Prætereà dicit: *quod S. TERESIA Fundatrix Discalceatorum, experientia edocta quædam Monasteria erexit dotata reditibus, vt sine solicitudine conquirendarum eleemosynarum, & ea quæ eam comitatur distractione, Moniales Deo, rebusq; diuinis, magis vacarent.* Sentit ergo quod paupertas in communi importat solicitudinem, & consequenter distractionem, & impedit finem intrinsecum Religionis, qui est Deo, rebusque diuinis vacare. Imperfectior ergo est paupertas in communi, possessione bonorum in communi. Eandem ob causam dicit. *S. TERESIAM scripsum reliquisse, vt quamuis Discalceati haberent plura Monasteria, in quolibet tamen pauci habitarent: Pro multis enim, inquit, Eleemosyna cum magna solicitudine & distractione, erogari solet.* Ergo idem quod prius. Prætereà asserit. *Nonnullis Religionibus bona mobilia & immobilia necessaria esse, vt Religiosi sine solicitudine conquirendi necessaria, toti se se impendant procurandæ alienæ saluti, diuinæque gloriæ amplificandæ.* Ergo sentit paupertatem in communi importare solicitudinem. Et quia intrinsecus finis voti paupertatis (vt sæpissimè docet S. Thomas) est, vt animus auertatur à solicitudine circa res temporales: vtique paupertas in communi, impedimento erit fini voti Paupertatis & consequenter impedimento erit Religioni, quæ integratur ex tribus votis. Sentit item, paupertatem in communi esse impedimento, ne Religiosi, toti, se se impendant diuinæ gloriæ amplificandę, quod intrinsecè spectat ad Religionem: Contraria autem asserit de possessione bonorum

in communi. Ergo secundùm ipsum possessio bonorum in communi, est perfectior paupertate in communi. Tandem docet, quòd *Apostoli si vni loco, vti nunc Religiosorum Monasteria, fuissent adstricti, nec in ea suorum paucitate debuissent circuire tot mundi regiones, proculdubio etiam stabiles, & certos reditus accepissent.* Quibus verbis manifestè continetur hæresis Vigilantij, vt infrà monstrabitur. Renouauit igitur Theologus errorem Vigilantij. Ad cuius destructionem, diuino fretus auxilio, hoc modo procedam. Primò nunc ostendam, ad perfectionem Euangelicã pertinere paupertatem actualem, & carentiam possessionum in communi. Secundò verò in sequentibus Propositionibus monstrabo, hanc paupertatem competere perfectissimæ Religioni, & suo modo competere Religioni ad prædicandum institutæ: nam contrà hæc duo Theologus pugnauit.

Ad ostendendum ergo paupertatem actualem ad Euangelicam perfectionem pertinere, assumo cum Sancto Thoma Opuscul. 19. cap. 6. primò illud quod dicitur Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, &c.* Sed ille qui sua vendit, & pauperibus tribuit, non solum habitualem paupertatem eligit, sed etiam actualem. Ergo actualis paupertas ad Euangelicam perfectionem pertinet. Item perfectio Euãgelica consistit in imitatione Christi; Sed Christus non solum voluntate, sed etiam realiter fuit pauper; vndè Matth. 17. super illud: *Vade ad mare.* Glossa, *Dominus tantæ paupertatis fuit, vt vnde tributum solueret non haberet.* Et Luc. 9. super illud, *Vulpes foueas habent, &c.* dicit Glossa. *Ego sum tantæ paupertatis, vt nec hospitium quidem habeam: nec meo vtar tecto.* Et per multas alias auctoritates de facili hoc probari potest. Ergo actualis paupertas ad perfectionem pertinet Euangelicam. Item perfectio Euangelica in Apostolis maximè claruit: sed ipsi actualem paupertatem habuerunt, sua omnia relinquentes. Vndè Petrus dixit Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia &c.* & ideò Hieronym. dicit ad Hebidiam. *Vis esse perfecta, & primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerunt Apostoli. Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem, & nudam solamque crucem, nuda sequaris & sola.* Ergo actualis paupertas ad Euangelicam perfectionem pertinet. Item Marci 10. super illud *Quã difficile, qui pecunias habent &c.* Glossa. *Aliud est pecuniam habere, aliud amare. Multi habent, & non amant, & multi non habent, & amant. Item. Alij & habent, & amant; alij verò non habere, nec amare se gaudent, qui tutiores sunt, & quidem cum Apostolo dicere possunt. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Ergo actualis paupertas & habitualis simul, præferenda est habituali paupertati. Item idem potest haberi Matth. 10. per Glossam super illud: *Diues difficilè intrabit in regnum Dei.* Glossa. *De omnibus tu-*

tius

tius est nec habere, nec amare diuitias. Item Iacob. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo.* Glossa: *Inopes rerum temporalium.* Hoc autem nō est nisi per actualem paupertatem. Ergo actualiter pauperes, sunt electi à Deo. Item Lucæ 14. dicitur. *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet.* Glossa. *Hoc tamen distant inter renuntiare omnibus, & relinquere omnia, quia renuntiare conuenit omnibus, qui ita licitè vtuntur omnibus mundanis quæ possidet, vt tamen mente tendant ad æterna. Relinquere est tantummodo perfectorum qui omnia temporalia postponunt: & solis æternis inhiant.* Ergo relinquere, quod pertinet ad actualem paupertatem, est Euangelicæ perfectionis, sed renuntiare quod pertinet ad habitualem, secundùm Glossam prædictam, est de necessitate salutis. Item Hieronym. in Epist. contrà Vigilant. post verba inducta subiungit. *Ad eum loquitur Dominus, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis, patrem, nauiculam, & rete dimittit. Iste quem tu laudas, secundus, & tertius gradus est, qui scilicet fructum possessionum dat pauperibus; quem & nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis, & tertijs præferenda.* Ergo patet quod præferendi sunt illi qui omnia sua dimittunt, illis, qui de fructibus possessionum diuidunt pauperibus. Item in Epistola ad Rusticum Monachum. *Si habes substantiam, vende, & da pauperibus: si non habes, grandi onere liberatus es, nudum Christum, nudus sequere. Durum, grande, difficile; sed magna præmia.* Et multa alia huiusmodi, ex Epistolis Hieronymi accipi possunt, quæ de paupertate actuali necesse est vt intelligantur, quæ causa breuitatis dimittuntur. Item Augustt. dicit in libro de Ecclesiasticis Dogmatibus. *Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare: Melius est pro intentione sequendi Dominum in simul donare & absolutum à solicitudinibus, egere cum Christo.* Et sic idem, quod priùs. Item Ambrosius in lib. de offic. *Nullum adminiculum præstant diuitiæ ad vitam beatam, quod euidenter Dominus in Euangelio demonstrauit dicens: Beati pauperes quoniam vestrum est regnum Dei.* Et infrà. *Itaque paupertatē, famem, & dolorem, quæ putantur mala, non solum impedimento non esse ad vitam beatam, sed adiumento esse, euidentissimè pronunciatum est.* Sed hoc non potest intelligi de paupertate habituali, qua homo diuitias subijcit, quia hæc à nullo putantur impediri ua beatitudinis. Ergo oportet quòd intelligatur de paupertate actuali, quæ omnia abijcit. Item Gregor. dicit homil. 8. secundæ partis super Ezechielem. *Cum quis suum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet, sacrificium est; cum vero omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est.* Sed holocaustum erat dignissimum sacrificiorum. Ergo perfectissimum opus est, omnia sua propter Deum dimittere. Item Gregor. in Prol. Moral. *Cumque adhuc me cogeret animus, præsenti mundo, quasi specietenus deseruire, cœperunt multa contra me, ex eiusdem mundi cura succrescere, & in eo iam non specie,*

sed,

sed, quod est grauius, mente retinere. Quis tamen cuncta solicitè fugiens portū Monasterij petijt, & relictis quæ mundi sunt, vt fluctrà tunc credidit, ex huius mundi naufragio nudus euasit. Ex quo patet, quòd periculum est res mundi possidere, quia earum possessio periculosè mentem retinet: & ideò laudabilius est etiam possessiones rerum temporalium à se abijcere per actualem paupertatem, vt mens à cura diuitiarum liberetur. Item Chrysost. dicit in lib. Quod nemò læditur nisi à seipso. *Quid Apostolos penuria rerum temporalium læsit? Nonne in fame, & siti, & nuditate degebāt, & pro his clari magis, & magnifici habebantur, atque ingentem per hoc fiduciam quæsierunt apud Deum?* Ex quo patet, quod actualis paupertas, quæ in penuria rerum consistit, ad Apostolicam perfectionem pertinet. Item Bernar. dicit ad Senonensem Archiepiscopum. *Felix qui nihil sibi retinet, ex omnibus quæ habet. Non foueam, vt vulpes: Non tanquam volucres nidum, Non loculos, quomodo Iudas; Non domos, sicut nec MARIA locum in diuersorio: imitatus profectò illum, qui non habebat, vbi caput suum reclinaret.* Ex quo patet quia nihil omninò possidere in mundo, ad perfectionem Christianam pertinet. Item 1. q. 2. C. Si quis. *Profectò perfectior est ille, qui se rebus mundi expoliat, aut qui cum nihil habuerit, nec habere desiderat; quàm ille qui ex multis quæ possidet aliquid Ecclesiæ præstiterit.* Ex quo patet, quod nihil possidere ad perfectionem Christianam pertinet. Item eum, qui vacat Contemplationi diuinæ, magis oportet esse à rebus mundanis liberum, quàm eos qui contemplationi Philosophiæ vacabant: sed Philosophi vt liberè Philosophiæ vacarent, laudabiliter mundi substantiam abiecerunt: vndè Hieronym. dicit ad Paulinum presbyterum de institutione Monachorum. *Socrates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad Philosophandum Athenas pergeret, magnum pondus auri abiecit, nec putauit se posse simul & virtutes, & diuitias possidere.* Ergo multò magis ad vacandum contemplationi diuinæ, laudabile est omnia sua relinquere; vnde super illud Matth. 9. *Si vis perfectus esse, &c.* dicit interlinearis. *Ecce contemplatiua, quæ ad Euangelium pertinet.* Item præmium excellens non debetur nisi merito excellenti. Sed præmium excellens, id est, ingliciaria possessas, debetur actuali paupertati; sicut patet Matth. 19. *Vos qui reliquistis &c. Sed vitis &c.* vnde dicit Glossa. *Qui reliquerunt omnia & secuti sunt Dominum, hi iudices erunt: qui licita habentes, recti vsi sunt, iudicabuntur.* Ergo in actuali paupertate meritum excellens consistit. Item 1. ad Corinth. 7. Apostolus consilium dans de virginitate seruanda, rationem assignat, vt scilicet sine solicitudine sint: sed abiectio diuitiarum maximè facit hominem sine solicitudine esse, quia diuitiæ suis possessoribus de necessitate multas solicitudines ingerunt. Vndè Luc. 8. diuitiæ per spinas significantur, quæ verbum sua solicitudine

suffo-

suffocant in cordibus auditorum. Ergo sicut virginitas ita & actualis paupertas ad Euangelicam perfectionem pertinet. Vlteriùs ostendum, quod ista perfectio, qua aliquis reliquit propria, non requirit possessionem diuitiarum in communi. Primordium enim perfectionis in Christo, & in Apostolis fuit: sed ipsi non leguntur, sua relinquentes, aliquas possessiones habuisse in communi; imò potiùs legitur, quod nec etiam domos habebant ad manèdum, vt suprà probatum est: Ergo perfectio paupertatis non requirit aliquas possessiones communes. Item August. in 3. de Doctr. Christ. dicit. *quod illi, qui conuersi fuerunt ex Iudæis ad Christum in primitiua Ecclesia, quia proximi spiritualibus fuerunt, tam capaces extiterunt Spiritus Sancti, vt omnia sua venderent, eorumque pretium indigentibus distribuendum, ante pedes Apostolorum ponerent.* Et infrà. *Non enim hoc vllas Ecclesias gentium fecisse scriptum est, quia non ita propè inuenti erant, qui simulachra manufacta Deos habebant.* Ex quo patet, quòd Augustinus præfert perfectionem primitiuæ Ecclesiæ Iudæorũ, primitiuæ Ecclesiæ ex gentibus in hoc, quod omnia sua vendiderunt pauperibus distribuenda. Sed ipsi ita vendiderunt propria, quod nullas possessiones in communi reseruauerunt sibi. Ergo maioris perfectionis est paupertas illa sine possessionibus in communi, quàm illa quæ in communi possessiones habet. Item Hieronymus ad Heliodorum de morte Nepotiani, irridendo loquens, dicit. *Sint ditiores Monachi, quàm fuerant seculares, possideant opes sub paupere Christo, quas sub locuplete Diabolo non habuerant, & suspiret eos Ecclesia diuites, quos tenuit mundus ante mendicos.* Hoc autem frequenter contingere potest in Religionibus, quæ possunt possessiones habere, non autem in illis, quæ possessionibus carent. Ergo magis est laudabile in Religionibus possessionibus carere, quàm eas habere. Item Hieronym. ad Lucinum Beticum. *Quamdiu versamur in rebus seculi, & anima nostra possessionum, ac redituum procuratione deuicta est, de Deo liberè cogitare non possumus.* Ergo magis expedit Religiosis, reditibus, & possessiouibus carere, quàm eas habere. Item Gregor. dicit in 3. lib. Dialog. loquens de Isaac seruo Dei. *Cumque ei crebrò discipuli minuerent, vt pro vsu Monasterij possessiones, quæ offerebantur acciperet, ille solicitus suæ paupertatis custos, fortem illam suam tenebat sententiam, dicens. Monachus qui in terra possessiones quærit, non est Monachus. Sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut auari diuites solent pericturas diuitias custodire.* Ex quo patet, quòd maioris perfectionis & securitatis est, possessionibus communibus carere, quàm eas habere. Item inter Monachos Aegypti, de quibus in vitis Patrum legitur, perfectiores illi reputabantur, qui in Eremo nullas possessiones habuisse leguntur. Non ergo possessiones communes ad pau-

per-

pertatem Euangelicam requiruntur: Item communes possessiones auferre in potestate tyrannorum consistit. Si ergo non sunt relinquenda omnia, nisi intretur in Religionem, quæ possessiones habeat, in potestate tyrannorum erit impedire perfectionem Euangelicæ paupertatis; quod est absurdum. Item ad hoc paupertas consulitur, vt solicitudo de rebus mundi minuatur. Sed possessiones cõmunes multas solicitudines ingerunt de ipsis conseruandis, & custodiendis, & excolendis. Ergo perfectiùs consilium paupertatis impletur ab illis, qui possessiones communes non habent. Hæc omnia desumpta sunt ex Opusculo S. Thomæ 19. Capite 6. Concludo ergo verbis eiusdem Sancti Doctores Opusc. 17. cap. 15. *Sic igitur patet vanam esse doctrinam, imò pestiferam, & Christianæ doctrinæ contrariam, illorum qui dicunt, quòd possessionibus communibus carere propter Christum, ad perfectionem non pertineat. De quibus super illud Psal. 6. Confundantur & erubescant valde velociter, dicit Glossa. Hoc non est hic, vbi potius iniqui rident eos, qui omnia relinquunt, & suis irrisionibus infirmos Christi nomine erubescere faciunt. Ad eos etiam pertinere videtur, quod alibi in Psal. 17. dicitur. Consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes eius est, vbi dicit Glossa. Inopis cuiuslibet, qui est membrum Christi: & hoc ideò fecistis, quoniam Dominus est spes eius: Vndè ergo magis reuerendus erat, inde magis contemnitur. Quid enim aliud isti faciunt, nisi quòd contemnere nituntur eos, qui Christianæ paupertatis consilium perfectè sectantur: & hoc ideò quia non in terrenis possessionibus, sed in Deo spem habent.* Hæc S. Thomas. Tu autem Theologe, caue, ne vnquam conqueraris, te acriùs perstrictum à me:

Non enim à me, sed ab Angelico Doctore perstrictus es. Nam & doctrina mea, non est mea, & verba mea, non sunt mea, sed Angelici Doctoris. Quia enim docuisti, perfectionem Religiosę vitę non esse agnoscendam ex paupertate, iure merito censura S. Doctoris super te cadit. Si n. ex ea non est agnoscenda perfectio, vtiq; non pertinet ad perfectionem: quod S. Thomas validissimis impugnat rationibus, vt visum est.

Quòd si pertinet ad perfectionem, vtique ex ea potest agnosci perfectio: cuius tu tamen oppositum constanter asseruisti.

PRO-

PROPOSITIO LXXX.

Id expressè docet S. Thomas 2. 2. quæst. 188. artic. 7. vbi quærit. Vtrum habere aliquid in communi diminuat perfectionem Religionis? Et respondet: perfectionem non consistere essentialiter in paupertate, sed in Christi sequela: secundùm illud Hieronym. super Matth. cap. 19. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, &c.

HÆC Propositio manifestam calumniam in S. Thomam continet. Nulla enim ratione expressè docuit S. Thomas. Paupertatem non esse id, ex quo perfectio Religiosæ vitæ agnoscenda est. Sed inquies S. Thomas expressè docet. *Perfectionem non consistere essentialiter in Paupertate*. Ergo expressè docet, paupertatem non esse id, ex quo perfectio Religiosæ vitæ agnoscenda est. At quænam est hæc cõsequentia, mi Theologe, Repono in gratiam similes illationes. Perfectio non consistit essentialiter in medijs. Ergo perfectio vitæ Christi, & Apostolorum non potest agnosci ex medijs, quibus vsus est Christus cum Apostolis ad salutem humanam procurandam; contrà tuum dictum. Item perfectio non consistit essentialiter in modo benigno & suaui. Ergo perfectio vitæ Christi & Apostolorum, non potest agnosci ex modo benigno & suaui contrà tuum dictum. Item perfectio essentialiter non consistit in ratione viuendi communi, in victu, & vestitu, cum honestis hominibus. Ergo perfectio vitæ Christi & Apostolorum agnosci non potest ex ratione viuendi communi in victu, & vestitu cum honestis hominibus: cuius oppositum asseruisti, Item perfectio essentialiter non consistit in medijs. Ergo illa Religio non est perfectior alijs, quæ habet media efficaciora ad cõsecutionem eius finis, propter quem est instituta; contrà tuam regulam secundam. Itẽ perfectio essentialiter non consistit in medijs. Ergo illa Religio non est perfectior, quæ non tantùm efficaciora media habet ad suum finem perfectissimum, sed etiam plura talia, & magis ordinata; contrà tuã regulam tertiam. Item perfectio non consistit essentialiter in auxilijs. Ergo illa Religio non est perfectior, quæ habet auxilia plura, & meliora ad consequendum suum finem, & mediorum suorum vsum, in suo Ordine præscripta; contrà tuam regulam quartam. Item Perfectio

non consistit essentialiter in præsidijs. Ergo illa Religio non est perfectior, quæ plutibus & melioribus est fulta præsidijs, ad submouenda omnia impedimenta, felici vsui mediorum ad sui finis consecutionem se se opponentia; contrà tuam regulam quintam. Item perfectio nõ consistit essentialiter in fructibus. Ergo non est reputandus Ordo perfectior, qui maiorem fructum in Ecclesia Dei facit; contra tuam regulam sextam. Simile est argumentum. Arbor non consistit in fructibus, Ergo arboris bonitas nõ est cognoscenda ex fructibus eius. Item perfectio non consistit essentialiter in vijs, & modis. Ergo non est iudicanda illa Religio melior, quæ per plures vias, & modos, fructus edit. Item perfectio non consistit essentialiter in occasionibus heroicis virtutum, & laborum pro Dei gloria. Ergo non est iudicanda illa Religio melior, quæ habet & offert, plures occasiones heroicas virtutum & laborum pro Dei gloria; contrà tuam regulam septimã. Quid dicis Theologe? negas, vel concedis has illationes? Si concedis; necesse est quod retractes tuas regulas, & teipsum tibi contradicentem manifestè fatearis. Si negas; Ergo sicut tuo iudicio, hæ consequentiæ sunt malæ, ita necesse est condemnes, & illam consequentiam. *Perfectio non consistit essentialiter in paupertate. Ergo perfectio Religiosæ vitæ non est agnoscenda ex paupertate.* Et vt scias me velle conuincere efficaciter fallaciæ tuum discursum, præter ea quæ de tuis proprijs sunt allata, alia adduco. Dic mihi si valent istæ consequentiæ. Causa nõ consistit essentialiter in effectu. Ergo causa ex effectu agnosci non potest? Essentia rei non consistit in propria passione Ergo essentia rei non potest cognosci ex propria passione? Ignis non consistit in fumo. Ergo ignis ex fumo non potest agnosci? Vinum vendibile non consistit in hedera. Ergo non potest cognosci ex hedera? Episcopus non consistit in baculo pastorali, & tyara. Ergo non cognoscitur per baculum pastoralem & tyaram? Rex non consistit in sceptro & corona. Ergo non cognoscitur per sceptrum & coronam. Quod si istæ consequentiæ non valent, neque illa consequentia valet. *Perfectio non consistit essentialiter in paupertate. Ergo non est cognoscenda ex paupertate.* Et tantum abest quod Theologus hanc sententiam expresè colligat ex doctrina S. Thomæ, vt etiam oppositum eius ex eadem doctrina S. Tho. colligatur. Sic enim S. Doctor post verba iam citata subiungit. *Paupertas autem est sicut instrumentum, vel exercitium perueniendi ad perfectionem.* Quam integram Propositionem Theologus, nequiter & subdolè agẽdo, à textu S. Thomæ truncauit, siuè subticuit; quia videbat vehementer eam suo proposito esse contrariam. Inde enim sic arguere licet. Paupertas est instrumentum vel exercitium perueniendi ad perfectionem,

nem. Ergo ex paupertate perfectio vitæ Religiosæ agnoscenda est, sicut ex medio. Et non moueat quemquam, quod S. Thomas docuerit *perfectionem essentialiter non consistere in paupertate*. Primò quia aliàs docuit, quod perfectio instrumentaliter consistit in consilijs. Ita habet 2. 2. q. 184. art. 3. in c. *Instrumentaliter*, inquit, *perfectio consistit in consilijs*. Et in eadem 2. 2. q. 186. art. 2. in corp. ait. *Pertinet aliquid ad perfectionem instrumentaliter & dispositiuè sicut paupertas, continentia, abstinentia, & alia huiusmodi*. Secundò quamuis paupertas non intret essentiâ perfectionis; tamen essentialiter pertinet ad vitam Religiosam. Ita S. Thomas 2. 2. q. 186. art. 1. ad 1. ait. *Ille qui professetur Regulam, non vouet seruare omnia, quæ sunt in Regula, sed vouet Regularem vitam, quæ essentialiter consistit in tribus prædictis*. ex quibus erat paupertas. Et in ar. 2. eiusdem quæst. ad 3. vocat tria vota *essentialia Religionis*. Et in eadem 2. 2. q. 188. art. 1. ad 2. ait. *Tria essentialia vota Religionis pertinent ad exercitia Religionis, sicut quædam principalia, ad quæ omnia alia reducuntur*. Quamuis ergo paupertas non intret essentiam perfectionis, tamen intrat essentiam Religionis. Ratio huius disparitatis potest peti ex dictis S. Tho. Dicit enim 2. 2. q. 186. art. 2. in Corp. *Perfectio Charitatis est finis status Religionis. Status autem Religionis, est quædam disciplina vel exercitium ad perfectionem perueniendi*. Quod etiam repetit multis alijs in locis. Et cõmuniter dicunt Theologi, quod Religio est status tendentium ad perfectionem per aliqua media, ex quibus essentialia sunt tria, alia verò reducuntur ad ista. Quamuis ergo perfectio non consistat essentialiter in paupertate, tamen substantia & integritas Religionis, seu status tendentis ad perfectionem, essentialiter requirit paupertatem: & ita substantia vitæ Religiosæ debet agnosci ex paupertate, tanquam ex aliquo substantiali, & essentiali. Quæ quia non distinxit Theologus, ideò turpiter errauit, & toti mundo palpabilem erroré obtrusit, quod nimirùm perfectio Religiosæ vitæ non sit agnoscenda ex paupertate. Inuexit etiam doctrinam, quæ est pestis exitialis, extinguens in corde vocatorum desideria cælitùs immissa vitæ Religiosæ. Sic enim viso hoc libello, passim argumentati sunt iuuenes. Non est metienda perfectio ex austeritate vitæ externa. Ergo non appetamus Religiones propter austeritatem, sed remaneamus in delitijs sæculi viuentes: vel saltem. Ergo non appetamus Religiones austeras. Item, perfectio non est agnoscenda ex paupertate. Ergo non est eligenda Religiosa vita, vita pauperum. Siue non est eligenda Religio, quæ arctiorem paupertatem profitetur.

PROPOSITIO LXXXI.

Vndè in Collationibus Patrum collat. 1. cap. 1. Abbas Moyses dicit. Nuditas ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt.

HÆC Propositio continet mutilatam citationem, & ostendit Theologum semper fallacem & infidelem; semper enim omittit ea, quæ sunt aduersa carni. Sic enim habet integer textus. *Vnde in Collationibus Patrum Abbas Moyses dicit. Ieiunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt.* En tibi Theologum, qui neglexit, *ieiunia, vigilias, & meditationem scripturarum.* Et quia non est meditatus in scripturis, ideò & arma contrà se porrexit, & seipsum manifestè prodidit.

PROPOSITIO LXXXII.

Et in responsione ad 3. Paupertatem, ait, esse minimum inter instrumenta perfectionis.

MI Theologe, illa verba habet S. Thomas in respons. ad 1. non verò ad 3. Sed parco tibi: ad rem accedo. Paupertas dicitur minimum instrumentum, non absolutè, sed comparatiuè; siue respectiuè ad alia duo. Vt enim docet S. Thomas pluribus in locis, votum præcipuum est obedientiæ, secundum castitatis, tertium paupertatis. Nihilominus tamen votum paupertatis est essentiale Religioni, vt iam ostensum est: & *ad perfectionem charitatis obtinendam primum fundamentum est*, vt ait S. Tho. 2. 2. q. 186. art. 3. in corp. Et in responsione ad 4. ait. *Voluntaria paupertas, est efficax exercitium perueniendi ad perfectam charitatem, & ideò multum valet ad cælestem beatitudinem consequendam.* Et certè si veritas æterna dixit. *Dives difficilè intrabit in regnum cælorum.* Et iterùm: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum:* vtique maximi pretij est paupertas, quæ talem difficultatem aufert, & ianuas regni cælestis aperit: & ideò scriptum est: *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Esset hic amplissimus campus excurrendi in vituperia

tuperia diuitiarũ spinosarũ,& laudes Euãgelicæ paupertatis. Sed quia hęc passim reperiuntur apud Sanctos Patres, ideò consultò omittũtur.

PROPOSITIO LXXXIII.

Præterea docet; ideò paupertatem esse in Religionibus seruandam, ne per solicitudinem circà res temporales, quæ diuitias comitari solet in sæcularibus. Religiosi retrahantur à pijs suæ Religionis operibus. Cùm ergo in quibusdam Religionibus ad Ecclesiæ vtilitatem institutis, ipsa solicitudo quærendi necessaria pro templi ornatu, & vsu, pro victu, & vestitu, pro viaticis, pro supellectili, & alijs domesticis necessitatibus; magis impediat procurationem alienæ salutis, diuinæque gloriæ propagationem, quàm solicitudo vnius Oeconomi, vel Patris familias, aut Superioris Religionis, circà conseruationem, & defensionem rerum immobilium, vel mobilium Religionis, &c.

QVAM versipelle ingenium Theologi, qui lucem tenebras, tenebras lucem, dulce amarum, amarum dulce, albũ nigrum, nigrũ albũ dicit, & contrà omnẽ rei naturã, ex oppositõ oppositũ inferre, & legentibus imponere conatur. *Finis*, ait, *paupertatis est, vt Religiosi sint liberi à solicitudine circà res temporales.* Subiungit, *quòd paupertas in cõmuni habet solicitudinem sibi annexam, quæ magis impedit diuinæ gloriæ propagationem, quam solicitudo vnius Oeconomi circa possessiones.* Mi Theologe, si Paupertas eximit animum à solicitudine, quomodo paupertas in cõmuni intricabit animum solicitudine? Fortassis legisti aliquando locum illum communem Dialecticorum, *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.* Inde ergo sic argumẽtare. Paupertas simpliciter loquendo, extricat animũ à solicitudine. Ergo maior Paupertas magis extricat. Atqui maior est paupertas in communi quã paupertas tãtum in particulari. Ergo magis extricat animum à solicitudine Paupertas in communi, quàm Paupertas tantum in particulari, Sed vt magis agnoscas desipientiam tuam, vide an non sit tuum argumentum illud quod proponit.

s. Tho-

S. Thomas Opusc. 17. Cap. 14. nomine eorum, qui à Religione recrahere conantur, Religionis perfectioni derogando, maximè eorum Religiosorum, qui in communi possessiones non habent. *Inducunt etiam*, inquit, *quod diuitiarum abrenuntiatio, introducta est ad tollendam sollicitudinem temporalium rerum, secundum illud Luc. 12. Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis. Et 1. Corinth. 7. Volo vos sine solicitudine esse. Sed maior solicitudo imminet victus quærendi his, qui possessiones non habent, quàm his qui sufficientiam victus iam habent per possessiones communes. Ergo possessionibus communibus carere diminuit Euangelicam perfectionem. Circa hoc etiam addunt, quod tales Religiosi necesse habent, de negotijs multorum se intromittere, qui eis necessaria victus ministrent; & sic multiplicantur in eis temporalium solicitudines Euangelicæ perfectioni aduersantes.* Considera Theologe, si non est tuum argumentum. Sed iam audi responsionem sancti Thomæ datam eodem Opusculi. cap. 16. *dum verò, quod septimò propositum est, magis declarabitur, quam responsione dictum est. Quis enim non videat in immensum maioris solicitudinis esse, possessionibus procurandis curam impendere, ad quod vix seculares sufficiant; quam acquirere simplicem victum ex fidelium pietate collatum, & clementia diuinæ prouisum? Quod verò vltimò propositum est, de hoc quod Religiosi necesse habent circà eorum negotia solicitari à quibus pascuntur: fatear quod habent quidem, sed circa spirituales eorum salutem, vel vt tribulatos consolentia, quæ quidem solicitudo est charitas; vnde Religioni non repugnat; quin imò vt dicitur Iacob. 1. Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est, visitare viduas, & pupillos, in tribulatione eorum;* Hæc S. Thomas. Sed quàm pernitiosè, & in caput tuum mentitus es Theologe, te regulas tuas ex doctrina S. Thomæ decerpisse: Ecce enim argumenta tua à S. Thoma explodiuntur, & irridentur. Sed iam ad singula Propositionis inductæ descendere necesse est. Primò ergò expende fraudem Theologi in eo, quod dixit. *Solicitudinem circa res temporales diuitias comitari in secularibus*: quasi diuitias non comitaretur solicitudo in Religiosis; vt nimirum per hanc doctrinam sibi viam sterneret adstruendi, quod in Religionibus possessiones in communi habentibus, solicitudo non comitatur, circà earundem retentionem, & conseruationem. Quod si Theologus conqueratur sibi imponi; dicat quid sentit. Diuitias vel comitatur solicitudo in Religiosis, vel non comitatur. Si comitatur; quare dixit *in secularibus*? Si verò non comitatur; quare remedium paupertatis prouidetur, vt solicitudo auertatur?

Secundò aduerte, quod Theologus dixit, paupertatem in communi importare solicitudinem, cùm potius possessio bonorum in communi habeat annexam solicitudinem, non item paupertas in cõmuni. Quod potest constare expulcherrimis quibusdam verbis S. Chrysost. in Ioannem:

annem: vbi sic discurrit. *Si voluerit videre amantis aurum, animam, quemadmodum vestimentum à decem millibus corrosum verminum, & nihil habens sanum, ita inuenies perforatam eam vndique à sollicitudinibus, & à peccatis putrefactam, & aruginе plenam. Sed non anima inopis voluntarij talis est, sed fulget quidem velut aurum, splendet autem velut margarita, floret eis autem velut rosa. Non est illic tinea, non est illic fur, non est illic sollicitudo vitæ negotiorum; sed sicut Angelus ita conuersatur. Vis huiusmodi animæ pulchritudinem intueri? vis ipsam diuinas addiscere? Non subiacet Dæmoni, non assistit Regi, sed assistit Deo. Non militat cum hominibus, sed cum Angelis: non habet thesaurum in terra, sed cælum. Non indiget seruis, magis autem habet seruos, passiones & cogitationes, quæ rebus dominantur. Quid igitur pauper hoc melius est vnquam? Paulmentum denique habet cælum. Si autē paulmentum tale est, excogita tectum. Sed non habet equos & currus? Quid autem ei opus est his, qui super nube vehi debet, & esse cum Christo?* Hæc Chrysostomus. Id ipsum confirmat S. August. lib. 2. de Sermone Domini in monte. *Quærentibus*, inquit, *regnum Dei, & iustitiam eius non debet subesse sollicitudo ne necessaria desint.* Quod dictum conforme est ei, quod habetur Matth. 6. *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt, Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiā eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Si ergo Christus prohibet nobis sollicitudinem, quomodo Theologus respectum habet sollicitudinis?

Sed iam videamus tertiò, circa quę sollicitudo hæc secundùm Theologum debeat reperiri in Religionibus paupertatem in communi professentibus. *Quærenda*, inquit, *sunt necessaria pro templi ornatu, & vsu, pro victu, & vestitu, pro viatico, pro supellectili, & alijs domesticis necessitatibus.* Pro templi ornatu ais Theologe? Vtinam sollicitudo de ornatu templi interioris, magis esset cordi tibi, quàm sollicitudo pro ornatu templi exterioris. *Pro victu*, at qui victus viri Apostolici, & prædicatoris, seu Religiosi perfectissimi, debet esse emendicatus, siue ex eleemosynis, qualis erat victus Christi & Apostolorum, vt supra monstratum est. Victus viri Apostolici non debet esse exquisitus, sed vulgaris, simplex, & moderatus, vt colligitur ex exemplis eorundem Apostolorum. *Pro vestitu*. Atqui vestis prædicatoris non debet esse splendida & pretiosa, sed potius vilis & humilis, ad exemplum Christi & Apostolorum, de quorum vestitu suprà habitum est. Libet hic adferre quid sentiat S. Thomas de qualitate vestium conuenientium Prædicatori. Opusculo ergo 19. cap. 8. sit ait. *Dicitur 21. q. 4. Omnis iactantia, & ornatus corporalis, à sacrato Ordine aliena est. Eos ergo Episcopos, vel clericos, qui se fulgidis & elatis vestibus ornant, emendari oportet. Quod si in hoc permanserint, episthimio corrigantur.* Et infrà. *Igitur si inuenti fuerint deridentes eos, qui vilibus*

&

& Religiosis vestibus amicti sum, per epithimium corrigantur. Priscis enim temporibus, omnis sacratus vir, cum mediteri, aut vili veste conuersabatur. Omne quippe quod non propter necessitatem suam, sed propter venustatem assumitur, elationis habet calumniam, quemadmodum ait Basilius. Patet ergo quod vilitas vestium est amplectenda, & pretiositas fugienda, & quod grauiter puniendi sunt, qui contra vilitatem vestium loquuntur. Item eorum falsitas apparet exemplo Ioannis Baptistæ: de quo Matth. 3. dicitur, quod habebat vestimentum de pilis camelorum: vbi dicit Glossa. Qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentiæ prætendit. In eo vilitas vestis, & cibi laudatur, quorum vsus in diuite arguitur. Et alia Glossa dicit ibidem; quod seruus Dei non debet habere vestimentum ad decorem, vel delectationem, sed tantum ad tegendam nuditatem. Et Marc. 1. super illud. Erat Ioannes vestitus pilis: dicit Glossa. Conueniens vestis prædicatori. Ex quibus patet quod serui Dei, & præcipuè qui pœnitentiam prædicant, debent vilibus vestibus indui. Item probatur exẽplo antiquorum Prophetarum de quibus dicitur ad Hebr. 11. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, & Elias & alij. Melus est animal, quod & taxus dicitur, cuius pellis molota dicitur, & est valde hispida: vel melota est vestis de pilis camelorum, vt patet ibi per Glossam. Item probatur B. Hilarionis exemplo, & aliorum Patrum in Eremo, de quibus narratur in eorum gestis, quod viliissimis vestibus induebantur. Item Apocal. 11. Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Glossa: id est prædicantes pœnitentiam, & exẽplo ostendentes. Item alia Glossa ibi; Et ad exemplum eorum debetis prædicare. Ex quo iterùm apertè habetur, quod debent vilibus indui, præcipuè pœnitentiam prædicantes. Item quod vilitas vestium sit approbanda & pretiositas reprobanda, apertè ostendit Gregor. in Homil. Homo quidam erat diues: sic dicens: Sunt nonnulli qui cultum subtilium pretiosarumq; vestium, non putant esse peccatum. Quod videlicet si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quòd diues qui torquebatur apud inferos, byso & purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta præcipua, nisi ad inanem gloriam quærit, videlicet, vt honorabilior esse cæteris videatur. Nam quia pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur, ipsa res testatur, quòd nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, vbi ab alijs non possit videri. Quam culpam possumus meliùs vilis indumenti virtute, ex diuerso colligere: quia si abiectio pretiosi indumenti virtus non esset, Euangelista de Ioanne tam vigilanter nõ diceret. Erat Ioannes indutus pilis camelorum. Item 1. Petri 3. super illud. Quarum non sit extrinsecus &c. dicit Glossa. Sicut Cyprianus ait: Serico & purpura induta. Christum induere non possunt. Auro & margaritis, & monilibus adornata, ornamenta cordis, & corporis perdiderunt. Quod si Petrus mulieres quas admonet coërcendas, quæ excusare possunt cultus suos per maritos; quantò magis id Virginem obseruare fas est, cui nulla sui cultus competit venia? Ex quo patet quòd etiam in Clericis multò amplius reprehensibile est habitus ornatus. Item: Illud per quod virtus mentis manifestatur, per se loquendo est laudabile, quamuis eo possit ali-

aliquis in superbiam vti. Sed vilitas vestium est huiusmodi. Vndè Hieronymus dicit ad Rusticum Monachum: Sordes vestium, candidæ mentis indicia sunt. Vilis tunica contemptum sæculi probat; ita dumtaxat ne animus tumeat, ne habitus sermoq; dissentiant. Ergo vilitas vestium secundum se est sectanda, dummodo superbia remoueatur. Item: Illud quod diuinam misericordiam promeretur, non potest esse malum. Sed per vilitatem vestium, diuinam misericordiam promeruerunt etiam maximi peccatores. Vndè 3. Reg. 21. dicitur de impiissimo Achab, quòd cùm audisset sermones Eliæ, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitq; & dormiuit in sacco. Vndè Dominus de eo dixit ad Eliam. Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius. Et tamen non fuit vera humilitas cordis, vt ibidem Glosa dicit. Et Ionæ 3. dicitur, quòd abiecit rex vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere: & hoc idem alijs præcepit. Ergo vilitas vestium est Deo accepta. Item Philosophus probat in 10. Ethycorum, quòd virtutes non solùm in interioribus actibus, sed in exterioribus etiam consistunt, & loquitur de moralibus virtutibus. Humilitas autè quædam moralis virtus est. Non enim est intellectualis, neq; Theologica. Ergo non solùm in interiori consistit, sed etiam in exterioribus. Cùm ergo ad humilitatem pertineat, quòd homo contemnat seipsum, hoc etiam ad humilitatem pertinebit, quòd contemptibilibus exterius vtatur. Item malum nunquam palliatur nisi sub eo quod habet speciem boni. Sed hypocritæ sua mala palliant sub vestiu vilitate. Ergo vilitas vestiu, quantũ est in se, habet specie boni. Ergo secundum se cõmendabilis est; etsi ea aliqui abuti possint. Itẽ: sicut ieiuniũ & eleemosyna sunt pœnitentiæ instrumentũ; ita & vilitas vestium est laudabilis. Sed ieiuniũ, & eleemosyna per se sunt laudabilia. Ergo & vilitas vestiu per se est laudabilis, quamuis eis aliqui abutantur. Hæc s. Th. Ex quo patet, quòd cùm Religiosorũ vestitus, & præcipuè eorũ qui saluti animarũ incumbunt, debeat esse vilis, consequenter non multã requirat solicitudinem. Sed agitur de viaticis. At quæ viatica Christus indixit suis discipulis, & Prædicatoribus? Matth. 10. legimus. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neq; duas tunicas, neq; calceamenta, neque virgã: dignus .n. est operarius cibo suo. In quamcunq; autem ciuitatem, aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete, donec exeatis. Intrantes autè in domum, salutate eã dicentes. Pax huic domui. Et si quidẽ fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autè non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos. Et quicunq; non receperit vos, neq; audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite pulueren de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati: Tandem de supellectilibus, quę necessitas est solicitudinis Religioni paupertatẽ in cõmuni profitenti. A tali enim Religione sumptuosa supellex non tam est quærenda, quàm reijcienda. Modica autem facilè ex eleemo-

synis fidelium haberi potest. Vniuersaliter ergo loquendo non requiritur magna solicitudo pro necessitatibus prouidendis Religioni pauperrimæ. Dicit enim s. Thom. 2. 2. q. 188. art. 7. in Corp. *si res exteriores non quærantur vel habeantur nisi in modica quantitate, quantum sufficium ad simplicem victum, talis solicitudo non multum impedit hominem.* Hæc sanctus Thomas.

Sed iam quarto loco perspice, quid causæ sit, quod Theologus deroget paupertati in communi, propter annexam vtique solicitudinem quærendi necessaria. *Quia*, inquit, *solicitudo quærendi necessaria magis impedit procurationem alienæ salutis, diuinæque gloriæ propagationem, quam solicitudo vnius Oeconomi, vel patrisfamilias, aut superioris Religionis circa conseruationem & Defensionem rerum mobilium, vel immobilium Religionis.* Deus bone, quantam iniuriam patitur à Theologo sancta paupertas; quæ post Christi, & Apostolorum exemplum, in tanta fuit admiratione spiritualium, atque sapientium, vt vix pernersissimi Hæretici ipsius dignitati derogarent. Inter quos Vigilantius cum ad interpretationem s. Doctoris Hieronymi dormitasset iamdudum, nunc pernouum paupertatis hostem, illo non minus improbum, emigrasse videtur. Ille nimirum cõtrà paupertatis perfectionem sui pectoris virus euomuit: hic autem possessionem bonorum temporalium in culmine perfectionis Euangelicæ collocans, ipsorumque voluntariam carentiam vt imperfectam calumnians Vigilantij se prodit discipulum. Quod ne videat verbis tantum nudis asserere, ratione euidenter conuincam. Finis intrinsecus voti paupertatis est reddere animum expeditum, & liberum à solicitudine circà bona temporalia: Ids. Thomas docet pluribus in locis. Vnum pro nunc sufficiat adducere ex 2. 2. q. 186. art. 7. in corp. vbi sic ait: *Religionis status potest considerari tripliciter. Vno modo secundum quod est quoddam exercitium tendendi in perfectionem charitatis. Alio modo secundum quod quietat animum humanum ab exterioribus solicitudinibus: secundum illud 2. ad Corinth. 7. volo vos sine solicitudine esse. Tertio modo secundum quod est quoddam holocaustum, per quod aliquis totaliter se, & sua; offert Deo; & secundum hoc ex his tribus votis integratur Religionis status.* Primò enim quantum ad exercitium perfectionis, requiritur quod aliquis à se remoueat illa, per quæ possit impediri, ne totaliter eius affectus tendat in Deum, in quo consistit perfectio charitatis. *Huiusmodi autem sunt tria. Primum quidem cupiditas exteriorum bonorum, quæ tollitur per votum paupertatis. Secundum autem est concupiscentia sensibilium delectationum, inter quas præcellunt delectationes Veneræ, quæ excluduntur per votũ continentiæ. Tertium autem est inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ. Similiter autem solicitudinis secularis inquietudo præcipuè ingeritur circa tria. Primò quidem circa dispensationem exteriorum rerum:*

& hæc solicitudo per votum paupertatis homini aufertur. Secundò circà gubernationem vxoris, & filiorum, quæ amputatur per votum continentiæ. Tertiò circa dispositionem propriorum actuum, quæ amputatur per votum obedientiæ, quo aliquis se alterius dispositioni committit. Similiter autem holocaustum est cùm aliquis totum quod habet offert Deo, vt Gregor. dicit super Ezechielem. Habet autem homo triplex bonum secundum Philosoph. in 1. Ethycorum: Primò quidem exteriorum rerum: quas quidem totaliter aliquis Deo offert per votum voluntariæ paupertatis. Secundò autem bonum proprij corporis, quod aliquis præcipuè offert Deo per votum continentiæ, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis. Tertium autem bonum est animæ, quod aliquis totaliter Deo offert per obedientiam, qua aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo vtitur omnibus potentijs, & habitibus animæ. Et ideò conuenienter ex tribus votis status Religionis integratur. Hæc S. Thomas. Ex quibus finem vniuscuiusque voti quisque discere poterit. Quod autem principaliter intenditur, manifestus est finis voti paupertatis, scilicet vt solicitudo auferatur. Iam si paupertati in communi talis est annexa solicitudo quærendi necessaria, quæ magis impediat diuinæ gloriæ propagationem, quàm solicitudo vnius Oeconomi, circà conseruationem, & defensionem rerum immobilium, vtique per paupertatem in communi annullatur, & euacuatur finis voti paupertatis. Si enim stante paupertate in cõmuni permanet solicitudo, & magis impediens diuinam gloriam, quam solicitudo vnius Oeconomi, circa cõseruationem bonorum immobilium; vtique per paupertatem in communi non auferetur solicitudo, sed maior exurget, quæ sit magis obstaculum gloriæ Dei. Quis igitur non dicet perfectius opus esse possessionem bonorum in communi, quàm paupertatem in communi? Manifestum est enim illud opus perfectius esse, quod minus impedit procurationem alienæ salutis, diuinæque gloriæ propagationem: illud verò imperfectum esse, quod magis impedit procurationem alienæ salutis, diuinæque gloriæ propagationem. Atqui secundùm Theologũ possessio bonorum in communi, minùs impedit procurationem alienæ salutis, diuinæque gloriæ propagationem: paupertas verò in communi magis impedit procurationem alienæ salutis, diuinæq; gloriæ propagationem. Ergo secundum ipsum, possessio bonorum in communi est opus perfectius; paupertas verò in cõmuni est opus imperfectius, Idem sic quoque colligi potest. Illud est perfectius, quod non euacuat finem intrinsecum voti paupertatis, illud verò è conuerso imperfectius, quo destruitur finis intrinsecus voti paupertatis. Sed secundũ Theologum per possessionem bonorum in communi, stabilitur votum paupertatis, per paupertatem verò in communi, euacuatur, & annihilatur finis intrinsecus voti paupertatis, vt iam probatum est. Ergo

possessio bonorum in communi, secundum Theologum, est opus perfectius, paupertas verò in communi est opus imperfectius: Imò quod peius est, Theologus videtur etiam diuitias sæcularium præferre paupertati in communi. Quæro enim, an sit essentialis differentia, inter solicitudinem vnius Oeconomi circà conseruationem, & defensionem rerum immobiliū Religionis, & inter solicitudinem vnius Oeconomi circà conseruationem, & defensionem rerum immobilium, vel mobilium sæcularium? Nullus sanè, nisi insanus, dicet differre essentialiter solicitudinem Oeconomi circà possessiones Religiosorum, & solicitudinem eiusdem Oeconomi circà possessiones sæcularium. Perindè ergo est dicere, quod solicitudo annexa voto paupertatis in communi magis impediat procurationem alienæ salutis, diuinæque gloriæ propagationem, quàm solicitudo vnius Oeconomi circa possessiones Religiosorum: ac dicere, quàm solicitudo vnius Oeconomi circà possessiones sæcularium: At inde inferre licet, simili modò, sicut priùs, melius esse possideri bona à sæcularibus, quàm profiteri paupertatem in communi: si quidem possessio bonorum, minus impedit gloriā Dei, paupertas verò in communi, magis. Iudicio ergo Theologi melior est possessio bonorum sæcularium, quàm paupertas in communi Religiosorum; quia melius id quod minùs impedit diuinā gloriam. Quis hoc dicat nisi Vigilantius? Profectò qui erat Vigilantius tempore S. Hieronymi, postea factus erat Dormitantius, nunc tandem surrexit iterùm nouus Vigilantius. Et reuera impius, qui tacitè redarguit ipsummet Christum, qui Apostolos constituit in summa paupertate, & consequenter, secundùm ipsum, in talem solicitudinem coniecit, quæ magis impediebat procurationem alienæ salutis, diuinæq; gloriæ propagationem; quàm solicitudo vnius Oeconomi circà conseruationem, & defensionem bonorum immobilium, & mobilium. Contumeliosus quoque in Deum, quia derogare videtur prouidentiæ Dei dicentis. Matth 6. *Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Ideò dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca: & corpus plus quàm vestimentum? Respicite volatilia cæli quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis estis pluris illis. Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei?* Alloquor ergo Theologum verbis S. Augustini in libro de Eleemosyna. *Tu Christiano, tu Dei seruo, tu bonis operibus dedito, tu Domino suo charo, aliquid putas de futurum? An putas, qui Christum pascit, à Christo ipso non*

pasci.

pascitur? An putas terrena deerunt, quibus cælestia, & diuina tribuuntur? Vade hæc incredula cognatio? vnde impia & sacrilega ista meditatio? Quid facit in domo Dei perfidum pectus? Quid qui Christo omninò non credit, appellatur & dicitur Christianus? Pharisæi sibi magis congruit nomen.

PROPOSITIO LXXXIV.

Ideò præcipui Religionum à Sancta Sede Apostolica confirmatarum, & commendatarum Fundatores, Basilius, Augustinus, Benedictus, Bruno, Bernardus, Ignatius, &c. diuinitus illustrati, certos suis Religiosis permiserunt reditus.

COnsideret vnusquisque an Theologus ex doctrina S. Thomæ decerpserit suas regulas, qui potius argumenta impugnantium paupertatem, à S. Thoma refutata suæ Epistolæ inseruit, ad solutiones verò minimè attendit. Ecce enim argumentum Theologi, ponitur in primis à S. Thoma Opusc. 17. cap. 14. *Inducunt etiam ad hoc aliquorum Sanctorum exempla. Nam B. Gregorius de facultatibus suis, intrà vrbis Romanæ mœnia, vnum Monasterium, in Sicilia verò sex legitur construxisse: Beatus etiam Benedictus Monachorum præceptor almificus, amplas possessiones pro suo Monasterio recepit, quod tanti viri Euangelicæ perfectionis æmulatores nullo modo fecissent, si possessiones communes in aliquo Apostolicæ, & Euangelicæ perfectioni derogarent, Et ex hoc concludere volunt, non pertinere ad maiorem perfectionem, quod aliqui possessionibus careant.* Ecce tuum argumentum Theologe. Sed audi solutionem eius Cap. 15. eiusdem Opusc. *Quod verò secundò proponitur, quòd Beatus Benedictus in vitâ sua amplas possessiones recepit, hoc sufficit ad ostendendum quod communes possessiones non totaliter Monasticam perfectionem excludunt, non autem ex hoc haberi potest, quod maioris perfectionis non sit possessionibus communibus carere; præsertim cum idem B. Benedictus in sua regula dicat, se aliquid remisisse de rigore Monasticæ vitæ, à prioribus institutæ condescendendo infirmitatibus sui temporis Monachorum: Et eadem ratio est de B. Gregorio, qui monasteria construxit secundùm regulam à Benedicto institutam.* Hæc ibi idem argumentum S. Tho. proponit Opusc. 19. *Modus iste cum communibus possessionibus in Religionibus, est approbatus per antiquos Patres, Augustinum, Basilium, Benedictum & multos alios. Ergo temerarium videtur, alium modum nouum inducere.* Et respondet. *Quòd quamuis Sancti Patres illum modum approbauerint, non tamē istū reprobauerunt: & ideò non est præsumptuosum hunc modū sequi; alias nihil de nouo posset institui quod nō fuerit antiquitus obseruatū. Nihilominus tamen*

iste

iste modus antiquitus à multis sanctis fuit approbatus, etiam in Ecclesia primitiva. Hæc S. Thomas. Tu autem Lector vide, quam improvide Theologus arma, non pro se, sed potius contrà se sumpserit, quibus sua viscera miserè torqueantur.

Sed non possum ferre contumeliam, quam struxit Theologus in S. Ignatium, & consequenter in Sanctissimam Societatem à se fundatam. *Ignatius*, inquit, *certos suis Religiosis permisit reditus*. Atqui hæc propositio absolutè dicta, falsissima est, mera calumnia est. Non loquar ego, sed loquatur unus ex eadem inclyta Societate, videlicet Iulius Nigronius in explicatione Tituli Regularum communium Societatis IESV, circà tertiam particulam Tituli. *In tertio*, inquit, *capite probandum est, nostrā Societatem esse Ordinem Mendicantem*. *Extant literæ Apostolicæ Pij V. Pontificis Maximi, atque optimè de Christiana Religione, deque nobis meriti, datæ 7. Iulij. Anno 1571. quæ sunt editæ in lucem omnium, à Ioanne Azorio in 1. Tom. Moral. Institut. In his Pius sanctissimo pectoris lætitiæ primitiæ in minimam Societatem nostram, tam malis, ut ea pudore tegemus ac Religioso more referre velit.* Deindè ex sua sententia hæc scribit verba: *Quia ipsa Societas mendicans exiisset, quippeque ex eius institutio, & constitutionibus Apostolica Auctoritate confirmatis, bona stabilia possidere nequit, sed incerti eleemosynis, fidelium quo largitionibus vivit. Institutum, cuius meminit Pius, extat expressum in Regula oblata Iulio III. & ab eo confirmata his verbis. Voluerunt singuli & vniuersi si perpetuam paupertatem, vt non solùm privatim, sed neque etiam communiter possint possessiones, sed neo ad vlla bona stabilia, præter ea, quæ opportuna erunt ad vsum proprium, & habitationem retinenda, ius aliquod ciuile acquirere, rebus sibi ex charitate donatis, ad necessarium vitæ vsum contendit. Constitutiones verò confirmatæ ab eadem Sede, quarum mentio in eadem formula fit, sic se habent: In domibus, vel Ecclesijs quæ à Societate ad auxilium animarum admittentur, reditus nulli, ne Sacristiæ quidem, aut fabricæ applicari, haberi possint, sed neque vlla alia ratione; ita vt penes Societatem, eorum sit vlla dispensatio. Quo loco Prædicem clarè significat, mendicitatem Societatis esse ex propriis Constitutionibus, quod iam aliquot Iurisconsulti observarunt. Vnde deducitur, Ordinem nostrum, non esse mendicantem ex Regula S. Francisci, tum quia sub eo non militat, tum quia mendicitatem profitemur propriis Constitutionibus, per Pontifices probatis definitam. Quia tubentur nos quæ primum vendere, data tamen opportunitate bona stabilia, quæ nobis relinquuntur, vt etiam immitior in formulæ oblata Iulio III. in qua negatur, esse in nobis ius ad ea retinenda. Ex quo verbo considerationissimè posito B. Ignatio, duo inuli Iacobus Menochius Iurisconsultus, hoc quo Magnus in pauc. h: & Societatem capacem esse stabilium bonorum; si relinquantur; sed in capacem ad retinendum. Et quia objici poterant Pio V. domicilia Societatis, in quibus Scholastici, ac Nouitij aluntur ex perpetuis prouentibus adueuerius obiectionem, & tol-*

leus.

lens ambiguitatem, fierem definiit Motu proprio, certaque scientia: Societatem, & illius Præpositum, ac singulas personas Societatis huiusmodi, verè, & non ficte, Mendicantes fuisse, esse, & fore: & inter aliorum Fratrum, & Religiosorum Mendicantium Ordines, aliosque Fratres, & Religiosos Mendicantes: prout illos nos connumeramus, & connumerari debere declaramus. Atque hanc declarationem a Pio V. factam, de nostri ordinis mendicitate, commemorat, & laudat Gregorius XIII. Anno 1584. Franciscus Suarez noster, disserens de communicatione Privilegiorum, Societatem negat esse non fictione unius, seu ex privilegio, sed verè, naturaque sua mendicantem, ingeniosè deducit ex eo quod Pius V. accuratè pregnantibusque verbis declarat communicationem privilegiorum Ordinum Mendicantium factam Societati, tantum ad illorum instar, sed paviformiter, & aquè principaliter, absque vlla prorsus differentia, perinde ac si Societati nominatim, & specialiter, & generaliter concessa fuisset. Etenim quia semper inter verum, & fictum fictione iuris, aliqua differentia reluquitur; ideò dicuntur Societati concedi Privilegia sine vlla differentia, & aquè principaliter, vt intelligatur Societas esse mendicans verè, & aquè atque Ordines alij verè Mendicantes, non autem ficte fictione aliqua iuris. Ratione autem eius verè Mendicans sit Ordo noster, maximè habet Collegia, & domos Probationis, quæ perpetuis vectigalibus aluntur, profert optimus Hieronymus Gabriel Iurisperitus Romanus, in Consilio de hac re. Quarum illa præcipua est, quòd Collegia, & pyrocinia sunt accessoria & membra, proinde sequuntur naturam principalis, & capitis, & qui in ijs educantur, sunt absoluti studijs in Societatem, qua viuit mendicato, transferendi. Quamobrem ratione finis animadeslmali, etiam ipsi Nouitij, & Scholares, Mendicantes dicendi sunt, vt ex Horatio Montesio Iurisconsulto, & alijs deducit Emanuel Rodericus, concludens totum Ordinem absolutè Mendicantem esse. Quem inter Mendicantes, Natalis quoque communerauit in Comment. 4. de Regularibus. Hæc Iulius Nigronius.

PROPOSITIO LXXXV.

Vt ita liberi à quærendis eleemosynis, melius & Deo, & sibi, & proximis vacare possent.

IMO verò Theologe paupertas in communi inducta est, secundùm doctrinam S. Thomæ, à multis Fundatoribus, vt liberiùs & melius Deo, & sibi, & proximis vacare possent. Patet id iam ex locis inductis S. Thomæ, & alijs plurimis. Interim sufficiat vnum adducere ex Opusc. 15. cap. 15. *Manifestum est igitur, inquit, ad euangelicam perfectionis pertinere, quòd aliqui possessiones non habeant nec proprias, nec communes.*

Adhuc

Adhuc potest hoc euidenter ostendi, si ratio consiliorum, ad Euangelicam perfectionem pertinentium, consideretur. Ad hoc enim introducuntur, vt homines à curis mundi expediti, liberiùs Deo vacent; vnde Apostolus proposito consilio de virginitate seruanda dicit. Qui sine vxore est, solicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo: Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quo modo placeat vxori, & diuisus est, Ex quo patet, tanto aliqua magis ad consiliorum perfectionē pertinere, quanto magis hominem à solicitudine mundi absoluunt. Manifestum est autem, quòd diuitiarum & possessionum cura, impedit animum a rebus diuinis. Dicitur enim Matth. 13. Qui seminatus est in spinis, hic est qui verbum Dei audit, & solicitudo sæculi istius, & fallacia diuitiarum, suffocant verbum, & sine fructu efficitur. Quod exponens Hieronymus dicit. Blandæ sunt diuitiæ, aliud agentes, & aliud pollicentes. Lubrica est earum possessio, dum huc illucque circumferuntur, & instabili gradu, vel habentes deserunt, vel non habentes reficiunt. Hoc etiam euidenter ostenditur Luc. 14. vbi vnus de his, qui sunt vocati ad cœnam, se excusauit dicens: Villam emi, & necesse habeo ire, & videre illam. Et sicut Gregorius dicit. Quid per villam nisi terrena substantia designatur? Exit ergo videre villam, qui sola exteriora cogitat. In fine autem parabolæ subditur. Pauperes & debiles introduc huc. Quod exponens Ambrosius, inquit, quod varius delinquit, cui deest illecebra peccandi, & citius ad Deum conuertitur, qui non habet in mundo, vnde delectetur. Sic igitur patet, quod possessiones, & quæcunque diuitias omninò non habere, magis ad Euangelicam pertineat perfectionem. Item August. dicit in lib. de verb. Dom. Minimi Christi sunt illi, qui omnia sua dimiserunt, & secuti sunt eum, & quicquid habuerunt; pauperibus distribuerunt, vt Deo sine sæculari compede expediti, seruirent & ab oneribus mundi liberati, velut pennatos sursum humeros tollerent. Hi sunt minimi, quia humiles, appende humiles istos, & graue pondus inuenies. Nullus autem sani capitis dicet, ad mundi onera non pertinere communium possessionum curam. Pertinet igitur ad perfectionis pondus, vt etiam ab huiusmodi compedibus expediti homines seruiant Deo. Hæc S. Thomas. Idem 3. p. q. 40. art. 3. in Corpore ait. *Christum decuit in hoc mundo pauperem vitam ducere. Primò quidem quia hoc erat congruum prædicationis officio, propter quod venisse se dicit Marc. 1. Eamus in proximos vicos & Ciuitates, vt & ibi prædicem: ad hoc enim veni. Oportet autem Prædicatores verbi Dei, vt omnino vacent prædicationi, omnino a sæcularium cura esse absolutos, quod facere non possunt, qui diuitias possident. Vnde & ipse Dominus Apostolos ad prædicandum mittens dicit eis Matth. 10. Nolite possidere aurum neque argentum. Et ipsi Apostoli dicunt Act. 6. Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Hæc ibi in 4. verò contrà Gentes Cap. 55. ait. *Non fuit expediens quod Deus incarnatus vitam in hoc mundo ageret opulentam, & honoribus seu dignitatibus sublimē. Primo quidem quia ad hoc venerat vt mentes hominum terrenis deditas, à terrenis abstraheret, & ad diuina eleuares. Vnde oportuit vt suo exemplo homines in contem-*

temptum diuitiarum, & aliorum, quæ mundani desiderant, traheret, & quod imo pem & priuatam vitam ageret in hoc mundo. Secundò quia si diuitijs abundasset, & in aliqua maxima dignitate constitutus fuisset, id quod diuinæ gessit, magis potentiæ seculari, quam virtuti diuinitatis fuisset attributum: vndè efficatissimum argumentum suæ diuinitatis fuit, quod absq; adminiculo potentiæ secularis totum mundum in melius commutauit. Hæc s. Thomas. Ex quibus patet, oportere Prædicatores verbi Dei, ad exemplum Christi, & Apostolorum, vt omninò vacent prædicationi, diuitias non possidere, vt suo exemplo homines in contemptum diuitiarum, & aliorum, quæ mundani desiderant, trahant, & efficax argumentū operationis diuinæ in se exhibeāt, quando mundū absq; adminiculo potentiæ sæcularis, in melius commutant. Sed vt ad singula illius Propositionis sigillatim descēdamus, monstremus è contrariò, secundum doctrinam S. Thomæ, quod illi, qui possessiones habent, non possunt melius Deo, & sibi, & proximis vacare. Deo enim vnusquisque vacare per contemplationem, quam diuitiæ impediunt, secundum quod S. Thomas 2. 2. q. 186. art. 3. ad 4. inquit: *Ad felicitatem autem Contemplatiuæ vitæ non multum operantur,* (scilicet diuitiæ) *sed magis impediunt, in quantum sua sollicitudine impediunt animæ quietem, quæ maximè est necessaria contemplanti.* Sibi autem aliquis vacat per custodiam cordis sui, & recollectionem animi, quam etiam diuitiæ impediunt. *Diuitiæ habitæ,* inquit S. Thomas loco suprà citato. *per se quidem natæ sunt perfectionem charitatis impedire, principaliter allicicndo animum, & distrahendo. Vndè dicitur Matth. 3. quod sollicitudo sæculi, & fallacia diuitiarum suffocant verbum Dei; quia vt Gregor. dicit, Dum bonum desiderium in cor. intrare non sinunt, quasi aditum flatus vitalis vetant: ideò difficile est charitatem inter diuitias conseruare.* Proximis vero aliquis vacat per instructionem, seu prædicationem; quam etiam impediunt possessiones in communi. Dicit enim S. Thomas 2. 2. quæst. 188. art. 7. *Solicitudo quæ adhibetur circa bona communia, pertinere potest ad charitatem, licet per hoc impediri possit aliquis altior charitatis actus, puta contemplationis diuinæ, aut instructionis proximorum.* Imò si quis attentè consideret, dicta Propositio Theologi hæresim Vigilantij continet: Si enim ait, quod ij qui sūt liberi à quærendis eleemosynis melius & Deo, & sibi, & proximis vacare possunt: consequenter supponit, quòd ij qui profitentur paupertatem in communi & habent necessitatem mendicandi eleemosynas, non possunt ità benè vacare & Deo, & sibi, & proximis, sicut illi alij. Perfectior ergo erit possessio bonorum in communi, quàm carentia earundem: siuè perfectior erit paupertas in particulari tantùm, quàm paupertas etiam in communi. Cum enim finis voti paupertatis, seu Religiosæ paupertatis sit vt homo possit Deo melius vacare; quod in-

trinsecè pertinet ad Religionem; nullus dubitabit illud opus perfectius esse, per quod aliquis potest Deo melius vacare, illud verò imperfectius, quod est impedimento, ne ità benè possit Deo vacare. Atqui secundum Theologum, possessio bonorum in communi id præstat, vt aliquis melius Deo vacare possit, id verò impedit paupertas in communi. Ergo secundùm Theologum, perfectior est possessio bonorũ in communi, quam paupertas in communi. Tantò magis, quia melius idem est quod perfectius. Si ergo ij qui communes possessiones habent, melius Deo, & sibi, & proximis vacare possunt. Ergo & perfectius. Bonum enim & perfectum apud Philosophos idem sunt. Quod si perfectius vacare possunt. Ergo Perfectiores sunt ij Religiosi in genere paupertatis, qui possessiones communes habent, quàm qui illis carent. Si neget Theologus hanc esse hæresim Vigilantij, manifestè conuincetur ex ijs, quæ sunt allata ex Opusc. sancti Thomæ, vbi hanc Propositionem damnat hæresis Vigilantianæ, vt dictum est Ideò Opusc. 17. cap. 15. ait. *Mentiuntur in doctrina fidei docentes, minoris esse perfectionis eos, qui possessionibus communibus carent.* Quod quia Theologus docuit, vt colligitur euidenter ex illius verbis, ideò in doctrina fidei mentitus est.

PROPOSITIO LXXXVI.

Liberiusque errantes corrigere, quod facere non ità auderent, si ab eis quærenda essent subsidia temporalia: timerent enim benefactores offendere, corrigendo eorum vitia: quia veritas odium parit.

HVcusque Theologus prosequitur argumenta impugnantiũ paupertatem in communi, quos S. Thomas Vigilantios vocauit, quæ ab eodem S. Doctore iam ante refutata sunt: ita vt mirandum fanè sit qua fronte, qua audacia, Theologus voluerit doctrinam suam, tanquam genuinam S. Thomæ proponere, cùm potius eam doctrinam præsumpserit defendere, quam S. Thomas suis scriptis impugnauit, & expugnauit: & ea argumenta assumere, quæ à S. Thoma pridem elisa sunt. Ecce enim argumentum propositum Theologi habes Opusc. 19. cap. 7. 1. *Thessalon. vltimo super illud: Vt nosmetipsos formam daremus &c. Glossa. Qui frequenter ad alienam mensam conuenit otio deditus, adulterat necesse est posseessi fe: Sed qui de eleemosynis viuunt, frequenter aliorum mensas conueniunt;*

ueniunt; imò magis de mensa aliorum semper viuunt. Ergo de necessitate sunt adulatores. Et in ordine ad istud paulò post auctoritatem Augustini adducit. Audisti tuum argumentum Theologe? audi eius solutionem. *Augustinus loquitur de illis, qui sunt otio dedui, qui in nullo possunt esse viles illis, à quibus pascuntur. Tales enim necesse est vt adulentur ad hoc quod pascantur. Tales enim pascere onerosum esset cuilibet, nisi fauorem pascentis saltem adulationibus caperent. Sed illis qui pascuntur propter Christum, à quibus pascentes scilicet speranis spiritualia, pro temporalibus, quæ largiuntur, non oportet adulari: quia talibus non datur propter eos, sed propter illum cuius sunt serui, qui in eis recipitur, vt dicitur Matth. 10. Qui recipit vos, me recipit, vbi Glos. Quia non aliud recipit in Apost. quam quod in Christo est: Et sic patet quod illi qui pauperes efficiuntur, & mendicant, & de eleemosynis viuunt propter Christum, non sibi necessitatem adulationis imponunt. Sed maior necessitas adulationis, & seruitutis, inest diuitibus: quos oportet adulari Principibus, vt diuitias amplient & conseruent. Vnde dicit Chrysost. super Matth. Adulari necesse est principes; & milites, & subiectos, & multis indigere, & turpiter seruire & formidare, & suspicari, & timere eorum qui suspicantur oculos, & calumniantium ora, & auarorum concupiscentias: sed non est paupertas aliquid tale, sed contrarium vniuersum.* Hæc S. Thomas. Qui iterum eodem capite idem argumentum Theologi, sub nomine inimicorum crucis Christi, & aduersariorum paupertatis proponit, de quibus ait. *Niuntur ostendere, quod Religiosi etiam prædicantes de eleemosynis viuere, vel etiã eleemosynas petere non debent. Dicit enim Apostolus 1. Thessalon. 2. Neque aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: sed prædicatores, qui mendicant, & de eleemosynis viuunt, oportet adulari illis a quibus pascuntur, quod patet Matth. 21. super illud. Et relictis illis abijt foras. vbi dicit Glossa. Quia pauper, nullius adulatus, nullum in tanta vrbe inuenit hospitem, sed apud Lazarum receptus est, & tamen in tantum erat gratiosus, cùm prædicaret, quod sicut dicitur Luc. 21. Omnis populus manicabat ad eum, in templo audire eum. Glossa. id est, mane ire accelerabat. Et 1. ad Corinth. 4. dicitur. Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus. Glossa. Liberè enim, & sine aliqua adulatione veritatem prædicamus, & gesta prauæ vitæ arguentes gratiam non habent apud homines. Ergo prædicatores non debent eleemosynas quærere. Præterea 1. ad Thes. 2. Neque fuimus in occasione auaritiæ. Deus testis est. Glossa. Nim dico in auaritia, sed nec feci nec dixerim in quo esset occasio auaritiæ. Sed illi, qui petunt eleemosynas sibi dari; faciunt aliquid in quo est occasio auaritiæ. Ergo prædicatores non debent hoc facere.* Huc vsque S. Thomas, qui respondet dicendo. *Ad ea verò quibus ostendere niuntur, quod Religiosi prædicantes non possint de eleemosynis viuere, vel eleemosynas petere, per ordinem deinceps respondendum est. Ad primum ergo dicendum, quod quamuis Prædicatores de eleemosynis viuant, non tamen sequitur, quod adulentur. Quamuis enim, qui sine adulatione prædicant, non habeant*

gratiam apud malos, qui dicuntur homines carnales, habet tamen gratiam apud bonos : & ideò quandoque si sine adulatione prædicant, coguntur defectus multos pati, quando scilicet in illos incidunt, apud quos sine adulatione gratiam habere non possunt : quandoq; autem sine egestate sunt, quando scilicet in illos incidunt, quorum sine adulatione gratiam habent ; Vndè, & Christus hospitium quandoque habere non poterat, quandoque etiam inuitabatur à multis, & mulieres quæ eum sequebantur, de suis facultatibus ei ministrabant, vt dicitur Luc. 8. Ita etiam Apostoli quandoq; multas penurias sustinebant, quandoq; autem abundabant, in vtrisq; modestè se habentes. Philip. vlt. Scio & abundare, & penuriã pati. Et has etiam vicissitudines pauperes prædicatores nostri temporis experiuntur frequenter. *Ad secundum dicendũ quod prædicatores eleemosynas petentes nõ faciunt aliquid in quo sit occasio auaritiæ. Auaritia .n. est immoderatus amor habendi : velle autem victũ & vestitũ ad necessitatem, non est immoderatũ . 1. Tim. vlt. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus . Vndè pauperes qui petunt necessaria victus, & vestitus, & aliorum quæ humana vita exigit, non sunt in occasione auaritiæ .* Hæc S. Tho. ; per quæ excluditur inanis timor Theologi, ne prædicatores ex eleemosynis viuentes veritatem non audeant dicere, & vitia liberè corrigere. Et certè derisione res digna est, quod Theologus vult prædicatoribus non officere, quin liberè prædicent, & non timeant etiamsi ab Auditoribus amplas possessiones reditus, & magnas eleemosynas requirant : impedire verò libertatem Euangelij, si pauculę eleemosynæ, pro victu & vestitu poltulentur. *Qui potest*, inquit S. Thomas capite citato, *accipere quod maius est, potest accipere quod minus est. Sed Religiosi possunt accipere reditus mille marcarum, &c. Ergo ridiculum est dicere, quod pauperes Religiosi non possunt modicas eleemosynas recipere, & ex eis sustentari.* Consonat S. Bonauent. Opusc. de Paupert. Christ. ar. 2. *Quis*, inquit, *ita absurdus est, qui dicat, licere alicui accipere talentum auri, & non frustum panis ? Quod si hoc verum est, cùm vniuersarum Ecclesiarum possessiones, tàm in Religiosis proprietatem habentibus, quàm in clericis secularibus, habeantur per acceptionem eleemosynarum voluntariè, & gratis datarum, videbitur ex hoc subuerti status vniuersarum Ecclesiarum, si eleemosynas accipere, vel de eleemosynis viuere, seu in parua quantitate, seu in magna vniuersaliter iudicetur . Nisi forte quis dicat, quod licitum accipere, sed non est licitum petere . Sed hoc mirum videtur, quod aliquis possit in illud quod maius est, sed non possit in illud quod minus est. Quod aliquod Monasterium possit accipere centum marcas in redditibus ab aliquo Principe, & vnum pauperculum non posse sua indigentia, relenationem suppliciter implorare. Quod aliquis possit ex amicitia petere ab amico, & Christianus non possit ex charitate petere a Christiano. Et quod aliquis possit petere aliqua expedientia ad alicuius diuitis Monasterij securitatem, & pauper voluntarius non possit petere vitæ sustentamentum. Et quod aliquis Scholaris possit licitè mendicare pro amore proficiendi in cognitione scientiæ,*

quæ

quæ inflat, vt tandem perueniat ad temporales diuitias, & pauper Religiosus non possit petere, pro amore proficiendi in charitate, & humilitate, quæ adeficat vt tandem perueniat ad vitam æternam, & cætera consimilia, quæ valdè videntur absurda. Hæc S. Bonauentura. Ex quibus sic arguere licet. Si ij, qui non sunt liberi ab eleemosynis modicis quærēdis, liberiùs errātes corrigere non audent, quia quærunt subsidia temporalia, & timent benefactores offendere, corrigendo eorum vitia: quantò magis ij qui amplitudinem, & magnitudinē possessionū, & magnorum reditū ab Auditoribus requirūt, nō audebunt inueni in eorum vitia, & redarguere benefactores: quando quidem certum est, quòd possessiones bonorum in communi, etiam ex eleemosynis fidelium habent, & indigēt fauore benefactorum, in eis conseruandis, & ampliandis. Cæterùm quod Religiosus prædicator, quantò pauperior, tantò liberior, & expeditior sit in prædicando, elegantissimè describit Chrysost. suprà illum locum, cap. 16. Epistolæ ad Roman. *Salutate Priscam, & Aquilam.* Verba quæ fundit aureum eloquentiæ os, auida cordis aure excipienda essent. *Neque, enim,* inquit, *Ecclesijs tam prodesse valent, diuites illi pompatici vt pauperes magnanimi. Nemò dictum hoc miretur. Nam multæ sunt diuitis molestiæ, & negotia; timet pro domo, pro familijs, pro agris, pro opibus, ne quis aliquid ex his auferat: & quia multorum est Dominus, idem multorum seruus esse cogitur. Pauper autem nummis parum valens, & curis his omnibus carens, leo est, ignē spirat, generoso ac forti animo aduersus omnes insurgit, facilè omnia agit, quæ prodesse possunt Ecclesijs, siuè opus sit, vt arguantur aliqui, siuè vt increpentur, siuè vt Christi nomine ferantur pericula, & inimicitiæ: Quoniam qui semel vitam despexit præsentē, magna facilitate conficit omnia. Quid enim timeret dic obsecro? Numnē opes eius auferantur? Hoc nemò poterit dicere. Numnè quis imminuat ei ministeria, & delitias? Sed in omnibus illis gaudere se dicit. Cæli municeps est, & ad futurā festinat vitam. Nō deprecabitur item, si anima impendenda sit, & effundendus sanguis. Hinc est, quod etiā talis, Tyrannis, Regibus, & populis, & omnibus potentior est, ac ditior.* Et post pauca, *Et vt dictas,* inquit, *quòd verè hæc, & non adulanter sum dicta, & quod qui nihil possidet, hic omnium liberrimus est, & maximè libere eloqui audet. Quot diuites erant tempore Herodis? Quot potentes: & quis in medium prorupit? quis tyrannum increpauit? quis contemptas leges Dei vltus est? Diuitum quidē multus, sed pauper ille & inops, qui neque lectum, neque mensam, neque tectū habebat; ille, inquam, solitudinis inquilinus Ioannes, ille solus, & primus omni libertate Tyrannum arguit, & adulterinas nuptias detexit, & præsentibus omnibus, ac audientibus, pronuntiat a sententia, cum condemnauit. Et ante hunc magnus quoq; Elias, qui nihil præter melotem possidebat, impium & præuaricatorem illum Achab, solus viriliter corripuit. Nihil enim, nihil omninò sic libere loqui, & in verum discrimine fiducia habere, & contra captiuitatem satis munitum, & fortem facit;*

vt

vt nihil possidere, & nullis sæcularibus negotijs obrui. Atque ideò, si quis virtutis, libertatisque multum possidere cupit, paupertatem amplexetur, præsentem vitam despiciat, nihil putet esse mortem. Hæc Chrysostomus. Et non immeritò. Nunquid enim Christus, & Apostoli quia pauperem vitam duxerunt, & possessionibus caruerunt, non ita liberè errantes correxerunt? imò verò (ait S. Thomas 3. p. q. 40. art. 3. in corpore) *si Christus diuitias haberet, cupiditati eius prædicatio adscriberetur. Vnde Hieronym. dicit super Matth. Quod si discipuli eius diuitias habuissent, viderentur non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicare, & eadem est ratio de Christo.* Nunquid etiam (vt omittam alios Ordines) Religiosi Ordinis Minorum, & Societatis IESV professi solemniter, non audent veritatem palam profiteri, aut timent benefactores offendere, corrigendo eorum vitia, etiamsi paupertatē in communi profiteantur? Oppositum certè monstrant fructus insignes editi in Ecclesia Dei ab istis Religionibus, quos longum esset recensere. Denique S. Vincentius Ordinis prædicatorum, in Tractatu de vita spirituali, cap. 19. inter alias conditiones Prædicatorum Euāgelicorum ponit, quòd sint paupertimi, nihil cogitantes nisi solum IESVM, de hoc mundo non curantes, sui q; obliti. Pauperrimi autem seù in summo paupertatis sunt, qui etiam possessionibus carent, hoc est, tam in particulari, quàm in communi, paupertatem colunt. Et difficile est nihil cogitare de substantijs, & tantum de solo IESV, si habentur substantiæ. Et est quædam cura de mundo, cura de facultatibus & opibus mundi. Nec quis potest obliuisci sui, qui non est adhuc oblitus suorum. Libet hic adferre omnia verba S. Vincentij, quia maxima obseruatione sunt digna. *Tres sunt*, inquit, *radices Euangelicæ, & Apostolicæ paupertatis, seu principales partes, abdicatio omnis sui iuris, rerum temporalium moderatio, paupertatis vsus habitus, ad virtutumq; affectus. Tres sunt partes abstinentiæ, scilicet enervatio carnalis amoris, & solicitudinis, vitæ suæ substentationis, non curare de abundantia, vel sufficientia victualium, & delinarum & vili parce oblatis. Tria sunt a nobis singulariter fugienda, & metuenda. Primum exterior distractio negotiorum. Secundum interior promotio, & exaltatio. Tertium temporalium rerum, & carnalium amicitiarum ad se, vel suos amicos, vel suum Ordinem, immoderata, vel inordinata affectio. Tria sunt a nobis singulariter exercenda, & amplectenda. Primum. Desiderium proprij contemptus, abiectionis, & externæ vilificationis. Secundum viscerosa compassio ad Iesum Christum crucifixum. Tertium sufferentia persecutionum, & martyriorum, pro dilectione cultus nominis Christi, Euangelicæ vitæ. Hæc tria sunt per quædam verba extensiua per horas diei, gemitibus & ardentibus suspirijs postulanda, Tria sunt a nobis singulariter & quasi assiduè meditanda. Primum Christus crucifixus, incarnatus &c. Secundum, statu Apostolorum & fratrum præteritorum nostri Ordinis: & hoc cū*

desiderio, vt illis conformemur. Tertium, status virorum Euangelicorum sumus. Et hoc debes die noctuq; meditari: scilicet, statum pauperrimorum, simplicissimorũ, & manuetorum, humilium, subiectorum, charitate ardentissima sibi coniunctorũ, nihil cogitantium, aut loquentium, nec saporantium, nisi solum Iesum Christum, & hunc crucifixum, nec de hoc mundo curantium, suique oblatorum, supernam Dei & Beatorum gloriam contemplantium, & ad eam medullitus suspirantium, & ob ipsius amorem semper mortem sperantium, & ad instar Pauli dicentium. Cupio dissolui, & esse cum Christo: & innumerabiles ac inaestimabiles thesauros diuitiarum caelestium, & super dulces ac millifluos riuos diuitiarum, suauitatum, ac iucunditatum, & super omnia mirabiliter expansos, & superinfusos. Et per conuerfationes imaginari debes eos ipsos, vt cantantes Canticum Angelorum cum iubilo, citharizantium, in cubaris cordis sui. Hac imaginatio ducet te pluſquam credi potest, in quoddam impatiens desiderium, aduersus illorum temporum. Ducet te in quoddam admirabile lumen, amoto omnis dubietatis acignorantiæ nubilo, & dimpidissimè vobis & distincte discernes omnes defectus istorum temporum, & immixtum, vel nysticum ordinem Ecclesiasticorum Ordinum productorum, & producendorum ab initio Christi, vsque ad finem saeculi, & vsque ad gloriam summi Dei Iesu Christi. Crucifixum semper portans corde tuo, vt te ad suam aeternam gloriam perducat.

PROPOSITIO LXXXVII.

Quam etiam ob causam, & S. Teresia Fundatrix Discalceatorum, quemadmodum scribit Didacus Iepesius Archiepiscopus Turiasonensis in eius vita etsi quædam Monasteria sine vllis reditibus Deo reuelante fundauerit, postea tamen experientia subsequente edocta, distrahi animos procuratione eleemosynarum, quædam alia Monasteria, eodem Deo Magistro erexit, dotata reditibus: vt sine solicitudine conquirendarum eleemosynarum, & ea quæ illam comitatur distractione, Moniales Deo, rebusque diuinis magis vacarent.

HÆC Propositio inconcinnè subnexa est à Theologo. Nunquid enim Monialibus incumbit vitia arguere, errantes corrigere, prædicare, & docere populum? Agitur enim hic de Religionibus

præ-

prædicationi destinatis. Nihil ergo facit Theologus, nisi quod repetit, & Vigilantij, & suum errorem. Dicere enim, quòd solicitudo cõquirendarum eleemosynarum, annexa Religioni paupertatem in cõmuni profitenti, causat distractionem, quæ impedit, ne Religiosi Deo, rebusque diuinis, magis vacent, est præferre possessionem bonorum in communi, carentiæ earundem, siue paupertati in communi, vt suprà ostensum est. Id autem est hæresis Vigilantij, vt S. Thomas suprà allegatus docuit.

Cæterùm id quod maiorem mihi admirationem parit est, qualiter Theologus in patrocinium sui erroris S. Teresiam Matrem nostram, tantam paupertatis amatricem, & cultricem, assumere non est veritus: & vnde suam positionem dirui potiùs timere deberet, inde eam magis erigere attentat. In primis ergo conatur ostendere, vt visum est, ex Didaco Iepesio, qui vitam S. Teresiæ conscripsit, qualiter S. Mater Nostra, *etsi quædam Monasteria Deo reuelante sine vllis reditibus fundauerit, postea tamen experientia subsequute edocta, distrahi animos procuratione eleemosynarum, quædam alia Monasteria, eodem Deo Magistro, erexit dotata reditibus: vi sine solicitudine conquirendarum eleemosynarum, & ea quæ eam comitatur distractione, Moniales Deo rebusque diuinis magis vacarent.* At optimè fecisset Theologus, si locum annotasset, vbi Didacus Iepesius hanc causam assignauit, cur S. Mater Teresia quædam Monasteria dotata reditibus erexerit; cùm potiùs præfatus Author tractans de strictissima S. Matris paupertate, longè diuersam reddiderit rationem, consilij illius S. Matris: eam nimirum id fecisse asserens, multis & molestis persuasionibus quorundam literatorum virorum adductam, qui id sæpiùs inculcabant ei, vt quandoquidem sancta Tridentina Synodus, Monasteria Monialium habere reditus permitteret, ipsa quoque S. Mater non recusaret illos acceptare, nec maiorem vellet quærere perfectionem, quàm Concilium à Sanctimonialibus requireret. Et mox subdit: *Et hæc est causa, quare aliqua Monasteria illius reditus accipiant.* Hæc Didacus. Illius autem causæ, quàm Theologus appposuit: *ideò* videlicet, *S. Matrem admisisse reditus, quia experientia subsequente edocta erat, quod absque illis distraherentur Moniales, & variis solicitudinibus subijcerentur*, nullam prorsùs mentionem fecit. Quòd verò addit adhuc Theologus, S. Matrem Teresiã sicut priùs Deo reuelante, quedam Monasteria sine reditibus erexisse, ita postmodum eodem Deo Magistro, cum reditibus ea fundasse, gratis sibi confinxit. Quamuis enim de primo multæ extent reuelationes S. Matri factæ, vt mox patebit, de oppositis tamen reuelationibus, in quibus præciperet ei Dominus, vt reditus acceptaret, nusquam cõstat. Porrò de insigni affectu S. M. Teresiæ erga Euangelicam pau-

per-

pertatem, & de varijs reuelationibus in quibus Christus Dominus eã-dem strictissimam paupertatem ei mirificè commendabat, & reditus quosuis acceptandos prohibebat, fusè ei tibi Ribera in eius vita lib. 2. cap. 3. Placuit eius verba hic adferre. *Vnanimi quidem omnes*, (docti scilicet viri) *consensu per multis ei suadere rationibus sum conati, quod, ipsa spectabat, minimè expedire ac consentaneum videri; Attamen cum & ex Regulæ præscripto pauperiem obseruandam, ac longè hanc maiorem perfectionem ei norent inuoluere, illorum vt sententiæ accederet, haud facilè à seipsa impetrare potuit. Quanquam verò interdum illorum cedere rationibus debere videbatur: cum tamen Redemptorem IESVM sua in cruce inopem & nudum ex altera parte videret, animum ipsa suum inducere ad stabiles possessiones admittendas non facilè poterat. Hinc ijs aiebat, ad non sequendam vocationem suam, & Iesu Christi Domini nostri summa perfectione consilia non amplectenda, vlla se Theologiæ placita sensaque nolle admittere. Denique antequam Toleto ipsa abiret Aloisiam de la Cerda, à pia memoriæ Petro de Alcantara uteruisi contigit. Hunc igitur per occasionem B. Mater cùm conueniisset, & super re quam agitabat consuluisset; illius recedentis consilio, firmiter cum animo suo statuit, cersus omnes excludere, nullusque posthac quoad hanc controuersiam, sententiam explorare. Cùm deinde quadam vice enixè illam in precibus Deo commendaret, insignem passa raptum, in eodem ab ipso audiuit: Monasterium tuum, charissima, nullis censibus dota: id namq; & Patris mei, & mea est voluntas; ipse tibi præsto futurus sum. Alias mirè pauperiatem modis apud ipsam deprædicauit, & magnam certis in prouentibus consistere dixit confusionem; quinimò nihil illis oportunitatum ad vitam necessariarum deesse spoponditi, qui sibi sincerè, & ex animo seruirent. Placuit hæc illi responsio; atque adeò satisfecit: vt cùm è corrogata collataque viuere stipe iam penitus animo sederet, omnes iam mundi facultates, & thesauros sibi possidere videretur. Quanquam verò iam tota in sententiam hanc transierat; postea tamen non nihil in aliam visa est mutare: etsi nondum prorsus propenderet. Quod enim non mediocriter metueret, ne Abulensibus summis opum vi connitentibus, vt inchoata Monasterij molimina euanescerent, in suum tota rei domesticæ moles caput prorueret, si ex eleemosynis suas viuere oportuisset; visum illi fuit, tum quidem vectigal stabile admittere quod deindè rebus compositis, ac tranquillatis: haud difficili negotio abijceret. Nocte autem eius diei qua tale à se pactum ineundũ esset, cùm iam Oratioui insisteret, apparuit ei Dominus dicens. Id pacti genus inire noli filia: si enim semel redatus annuos possidere cœperis, eos non ita facile post potes repudiare.* Hæc ibi. Et lib. 4. cap. 19. plurima ad idem spectantia adfert. Insuper cap. 26. eiusdem libri inter nonnullas relationes quas S. Mater TERESIA ad Confessariorum suorum quempiam cõscripsit, hanc etiam num. 37. recensẽt verbis S. Matris. *In ijs quæ ad pauperiatem spectant, singularem mihi Dominus Deus videtur fecisse gratiam, cum ea etiam; quibus humanus carere vsus non potest, habere nonnisi ex eleemosyna fidelium*

lium accepta velim: adeò vt eo in loco maximopere commorari desiderem, vbi nonnisi mendicata & collata viuitur stipe. Cùm verò tali in domo ago, in qua certè sum, nihil mihi quoad victum & vestitum defuturum, non tali votum paupertatis, & Domini nostri Iesu Christi consilium adimplere videor perfectione, quali eo in domicilio, in quo nullis viuitur prouentibus, atque sæpè rerum necessariarum laboratur defectu. Qua verò per veram paupertatem acquiruntur bona, maxima sunt, nec horum facere iacturam velim. Sæpè me tanta cumulatam fidem reperio, vt Deum non posse deesse existimem iis, qui toto ex corde illi seruiunt: & certa sim non esse, nec futurum tempus, quo non illius verba non adimplenda sint; ita vt aliter mihi persuadere non possim, nec timere quidquam. Quo circa crux mihi est, & pœna maxima cum amici mihi consulunt, vt stabiles in Cœnobia mea proventus inducã, ac proinde tum me ad Deum conuerto. Hæc S. Mater. Possem & multa alia hic adducere, ex quibus manifestè colligere liceat, quantum S. Mater Teresia, erga paupertatem affecta fuerit, & de mente, ac intentione ipsius an Monasteria Monialium voluerit habere dotata reditibus; sed quia consultò nolo librum rebus meæ Religionis replere, ne laus ex ore proprio sordescat, ideò supersedeo. Ipsi libri S. Matris loquuntur, quid ipsa voluerit. Ipsa scripta illius apertè Theologum redarguunt, quæ Euangelicam paupertatem, quàm ipse valdè deprimit, summoperè extollunt. Incassum ergo Theologus assumpsit patrocinium Sanctæ Matris TERESIÆ pro defendendis suis possessionibus.

PROPOSITIO LXXXVIII.

Eandem ob causam inter quatuor monita sibi à Deo reuelata, pro conseruatione suorum Monasteriorum scriptum reliquit in libro Fundationum Cap. 31. vt quamuis Discalceati haberent plura Monasteria, in quolibet tamen pauci habitarent: pro multis enim eleemosyna, cum magna distractione, & solicitudine corrogari solet, & vt parum cum secularibus tractarent, & illud modicum pro bono animarum secularium: & vt magis docerent operibus, quàm verbis.

NEgant concorditer Carmelitæ Discalceati, qui in hoc meo calamo loquuntur, hanc esse rationem moniti Christi, vt pauci

in quolibet Monasterio habitent, *quod* videlicet, *pro multis eleemosyna cum magna distractione corrogari soleat*. Recordantur Carmelitæ Discalceati institutionis illius, suis à S. Matre suæ datæ, libro qui intitulatur Via Perfectionis cap. 2. quod caput testatur ibidem S. Mater se in extasi positam scripsisse, *Ne existimetis*, inquit, S. Mater, *sorores meæ, quòd si non morem gerantis sæcularibus, oporteat vos pati penuriam victus. Commoneo vos ferò, ne victum vobis conquiratis modis sæcularium, veritæ, ne famem patiamini. Convertite potiùs oculos vestros ad vestrum sponsum, qui vos enutrier. Quando in veritate placebitis ei, licet si ex parte vestra nullam apposueritis curam, illimetipsi qui vobis minus addicti fuerint, vitæ necessaria vobis providebunt; quemadmodum id sæpiùs iam experientia ipsa probatum est. Quodsi etiam vos aliquando per observationem huius meæ admonitionis, famem tolerare contingat; O quàm felices tùc erunt Monales istius Monasterij S. Ioseph. Per amorem Dei vos obiestor, ne huius admonitionis obliuiscamini. Dimissis reditu, dimittite quoque solicitudinem circà victum. Nam si aliter feceritis, omnia amittetis.* Et post pauca. *Quoniam vestra solicitudo aliorum mentes flectere nequit, vt corda aliorum ad dandas vobis eleemosynas inclinare possitis, ideò satius est relinquere istum cogitatum illi, qui omnium prouentuum est Dominus, & in sua manu eos tenet, stillicet, Domino Deo cuius nutu subleuantur nostræ necessitates. Fideles sunt promissiones eius, falli non possunt. Potius mutari potest cælum, & terra, quàm verbum illius. Tantummodo nos fideles simus Domino Deo, certissimè ipse nobis erit fidelis.* Et iterum. *Meminerit is sorores hanc admonitionem esse magni momenti, & post meam mortem multum vobis profuturam, ideòq; illam in scriptis relinquo, nam quamdiù vobiscum superero, frequenter illam vobis volo inculcare. Ipsa enim satis experta sum, eã pluvimi interesse. Quò minus habeo, eò à curis expeditiorem me inuenio. Testis est mihi Deus (vt ita clarè loquar) quòd grauius angor rerum copia, quam inopia. Fortasse istius meæ persuasionis ratio hæc est, quia in me ipsa experta sum, quod in defectibus, clementissimus Deus citò de necessarijs prouidet.* Et rursus. *Credite mihi Sorores meæ, quòd propter vestrum commodum, maiorem mihi Deus impertitur lucem ad intelligendum quanta bona continet sancta paupertas. Hi qui experientur fortassis non peruenient ad tantam experientiam, ad quantam ego deueni, quia non solùm pauper non fui interiùs, quamuis ad hoc voto me obligaueram; sed neque hoc ipsum intelligebam. Magna est hæc vilitas paupertatis, quæ omnes consolationes quotquot sunt in mundo complectitur; habere dominium omnium (& loquor id, identidem repetens) diuitiarum; quod quilibet fatebitur, qui de illis nihil curat. Quid ego curo de Regibus, vel alijs Magnatibus, si eorum diuitias non requiro, neq; eis in aliquo morem gerere volo præsertim si vel cum minima offensa Diuinæ Maiestatis id fieri oporteat? Quid mihi de honoribus mundanis; quandoquidem ego satis experta sum, in quo consistat honor veri pauperis, qui certè non est alius, quàm ver è pauperem esse? Teneo firmiter quod honores mundi diuitias simul comitantur. Qui*

honorem quærit in mundo, quærit & affluentiam diuitiarum: qui non curat de diuitijs, nec de honoribus curat. Intelligatur hoc benè. Dico quod secundum meam scientiam ambitio honoris semper comitatur cupiditatem magnorum reditnum. Grande enim hoc mirãculum esset, inuenire talem in mundo, qui vellet honoratus exadere, & esse pauper. Et quamuis etiam talis forsan inueniretur, nihil tamen æstimaretur. Vera paupertas tantam reuerentiam conciliat, vt ægrè possit tolerari ab aliquo: loquor autem de paupertate voluntaria, ob amorem Dei suscepta, quæ non potest sattari vllare præterquam ipso Deo. Et iterum. *Curemus per Deũ strictè obseruare hanc paupertatem, tantò magis, quia ipsa est telũ nostrum: quæ in exordio fundationis nostri Ordinis, adeò in magna æstimatione & obseruãtia fuit apud illos priscos Patres nostros, prout mihi constat ex relatione illius, qui bene nouit, quod ẽt nihil prorsus ex hodierna die in crastinum reseruare solerent. Si tam perfectè non obseruamus illam pro nunc exterius, saltem id ipsum interiori affectu compensemus. Vita nostra durat quasi duabus horis: at merces est immensa. Et quamuis nil amplius nobis foret expectandum, nisi quia per hoc consilium Christi adimplemus, magnum id certè esset præmium; quod aliquis possit in quopiam sequi Dominum suum. His considerationibus vexilla nostra insignienda sunt: taliter vt firmiter statuamus, exprimere hanc doctrinam in domibus nostris, in vestibus, in sermone, & maximè in animo. Quandiũ hoc obseruauerittis, ne timeatis de ruina vestri Ordinis, Deo propitio.* Solebat dicere S. Clara, *sublimes esse & fortes muros Sanctæ paupertatis. Sic quippe paupertate & humilitate, volebat muros Monasterij cingi. Reuera enim per virtusque huius veram obseruantiam, honor Religionis, & alijs profectus firmius solidantur, quam per altissimos muros, aut sumptuosa ædificia.* Denique concludit. *Ego iam nescio quid à principio cœpi scribere, multum digressa sum. Credo tamen sic Deum voluisse. Nam non erat mihi voluntas horum mentionem vllam facere, qua modo scripsi. Ipse clementissimus Deus me dirigere dignetur, ne ab his, quæ dixi deficiam.* Hæc S. Mater nostra. Ex quibus multipliciter redarguitur Theologus, ac potissimum in hoc quod dixit, ideo dedisse S. Matrem hoc monitum Discalceatis, pro suorum conseruatione Monasteriorum, vt quamuis plura haberent Monasteria, in quolibet tamen pauci habitarent, quia nimirum pro multis eleemosyna cum magna solicitudine, & distractione corrogari solet; quasi si plures in vno Monasterio Religiosi cohabitarent, ijque in strictissima degerent paupertate, & absque vllis possessionibus, in regulari obseruantia persistere minimè possent: Cùm tamen S. Mater censuerit paupertatem, tanquam fortissimum quendam, & inexpugnabilem murum Religionis esse, cuius perfecta obseruantia prohibeat ruinam Ordinis. Non ergò est illa ratio, quam finxit sibi Theologus, illius moniti, vt scilicet pauci Religiosi maneant in vno Conuentu; sed potiùs ea, quatenus superior melius eis attendere, plenius prospicere, eorumq; cõscientias

accu-

accuratiùs moderari valeat. Sunt & aliæ rationes, quas non est necesse referre. Reliqua verò monita, quæ nescio quo fine adduxit Theologus, quia apertè non faciunt ad suum propositum, quamuis particulariter Carmelitis Discalceatis tradita sunt, possunt tamen esse communia omnibus Religiosis. De quorum eximia vtilitate, fusiùs hoc loco agere possem, ni verear ponere me in periculum suspicionis, quasi nimirum vellem manipulum Religionis meæ, altiùs præ cæteris eleuare; quod non intendo; imò potiùs Congregationem nostram omnium minimam libenter profiteor.

PROPOSITIO LXXXIX.

Ideò nonnullis Religionibus bona immobilia, & mobilia necessaria sunt, vt eorum honesto & moderato vsu vires corporis foueant, & sine solicitudine conquirendi necessaria, pro victu, & vestitu, alijsque rebus, toti se se impendant procurandæ alienæ saluti, diuinæque gloriæ amplificandæ.

HIC tangitur punctum difficultatis, & quæstionis, quæ versatur inter me & Theologum, an videlicet necesse sit Religionibus Prædicationi destinatis, bona immobilia possidere? Theologus in terminis asserit, talibus Religionibus bona immobilia necessaria esse. Ego autem dicò, quòd Religionibus prædicationi destinatis, non est necesse quod possideant bona immobilia, & reditus in communi; imò magis expedit eis, quòd colant paupertatem non solùm in particulari, sed & in cõmuni: hoc est, cũ abdicatione omniũ possessionũ. Hæc sententia non est mea, sed Angelici Doctoris, cuius doctrinæ Theologus voluntariè se submisit. Et ideò mox proferam loca eiusdem S. Doctoris. Quòd ergò non sint necessaria bona immobilia, siue possessiones Religionibus prædicationi incumbentibus, inprimis deduco ex eo capite. Theologus enim conatur digito monstrare Religionem perfectissimã in Ecclesia Dei, quam vult esse prædicatorum verbi Dei; quia talis Religio inquit ille, accedit proximè ad statum Episcoporum. Sed Religioni perfectissimę expedit possessiones communes non habere. Ergo Religioni prædicatorum Euangelij expedit carere possessionibus cõmunibus. Illationẽ non inficiabitur Theologus, si constet veritas assumptionis, quæ probatur auctoritate S. Th. Opusc. 17. cap. 16. vbi sic ait. *Quod indutum est, quod expedit possessiones communes possideri, iam patet,*

quod

quod expedit propter eos, qui non sunt summæ perfectionis capaces qualis in primis credentibus fuit, qui tamen imperfectiores omnino negligendi non erant. Vnde, & apud illos qui illam summam perfectionem sectabantur, possessiones non erant: sicut etiam Dominus, cui Angeli ministrabant, loculos habuit propter necessitatem aliorum; quia scilicet eius Ecclesia loculos erat habitura, sicut Augustin. dicit super 10. Vnde si qua sit Congregatio in qua omnes ad maiorem perfectionem tendant, expedit eis communes possessiones non habere. Hæc ibi. Sed talis Congregatio, quàm vult describere Theologus, vt in ea omnes ad maiorem perfectionem tendant. Ergo expedit eis communes possessiones non habere. Aliàs si non expedit, iudicio S. Thomæ, non sunt summæ perfectionis capaces, sed imperfectiores, qui argumentum infirmorum tenent, scilicet loculos Christi de quo infrà. Secundò probatur principale intentum ex verbis eiusdem S. Thomæ Opusc. 19. cap. 7. *Nunc*, inquit, *ostendendum est, quod etiam Prædicatores, quamuis non sint Prælati, possunt accipere ab ijs quibus prædicant, eleemosynas, vnde viuant. Apostolus enim dicit 1. ad Corinth. 9. Quis militat suis stipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Quæ omnia & plura alia exempla inducit, vt Glossa dicit, *ad ostendendum quòd Apostoli non sibi aliquid supra debitum vsurpant, si sicut Dominus constituit, ex Euangelio viuentes, panem gratuitum manducabant, ab eis sumptum, quibus gratuitam gratiam prædicabant: Sed constat quod militi cuilibet, & plantatori vineæ, & pastori gregis debetur victus ex suo opere, propter hoc quod in opere laborant.* Cùm ergo in Euangelio laborem habeant prædicando, non solum Prælati, sed etiam quicunque alij licitè prædicant, vtique possunt ab his, quibus licitè prædicant, panem accipere, vnde sustententur. Item *Apostolus probat, quod poterant Apostoli temporalia accipere ab eis quibus prædicabant, quia eis spiritualia seminabant: sed qui dat magna, non est mirum si accipiat parua. Vnde dicit in eadem cap. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Sed eadē spiritualia quæ prædicant Prælati, prædicant alij ex eorum authoritate. Ergo etiam ipsi possunt ab his quibus prædicant carnalia accipere, vnde viuant.* Item in eodem cap. dicit *Apostolus. Dominus ordinauit his qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. Glossa. Hoc rationabiliter fecit, vt expeditiores sint ad prædicandū verbum Dei, sed omnes qui ad prædicandū deputantur, oportet esse expeditos ad prædicandum. siue sint prælati, siue authoritate prælatorum prædicent; Ergo ad eos etiam qui non sunt Prælati, ordinatio Domini se extendit, vt de Euangelio viuant.* Quod etiam patet ex ipsis verbis *Apostoli. Non enim dicit: qui habent ordinariā authoritatem; sed simpliciter: qui annuntiant.* Item *Lucæ decimo: Dominus discipulis missis ad prædicandum dicit. In eadem domo manete, edentes, & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. Ex quo patet, quod prædicatori, quasi mercedes debetur victus, ab his quibus prædicat, vt patet ibidem per*

glossam,

glossam, quæ dicit, Nota quòd vni operi prædicatorum, duæ mercedes debeantur. Vna in via, quæ nos in labore sustentat; alia in patria, quæ nos in resurrectione remunerat: sed merces non debetur potestati, vel authoritati, vel habitui: sed actui, quia solum actibus meremur. Vndè, & Philosophus in 1. Ethycorum dicit. Quemadmodum in Olympiadibus, non optimi, & fortissimi, coronantur, sed agonizantes: horum enim quidam vincunt, ità & eorum, qui in vita bonorum & optimorum operantes vectè illustres fiunt. Et hoc est etiam quod Apostolus dicit 2. Tim. 2. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Ergo illi qui prædicant, siuè sint prælati siuè non dummodo licitè prædicent, possunt in Euangelio viuere. Item magis laborant in Euangelio illi, qui prædicant missi à Prælatis, quam illi ex quorum collegio mittuntur, vel qui mittunt eos de voluntate prælatorum. Sed illi ex quorum collegio prædicatores mittuntur, quamuis non sint prælati, possunt viuere de eleemosynis acceptis ab his, quibus Euangelium prædicant, quòd patet ex hoc, quod dicitur Roman. 15. Probauerunt Macedonia & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes Sanctos, qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis, & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles; Glossa, eorum: id est; Iudæorum, qui miserunt eis prædicatores ab Hierosolymis; debent & in carnalibus ministrare eis: isti autem pauperes, non possunt tantùm intelligi Apostoli, quia nō oportebat pro Apostolis solum, qui duodecim erant, & paruo victu contenti, facere collectas per omnes Ecclesias, & præcipuè, cum ipsimet victum acciperent ab his quibus prædicabant, vt patet 1. Cor. 9. Ergò multò fortius, illi qui prædicant, quamuis non sint prælati, sed à prælatis missi, possunt de Euangelio viuere. Hęc s. Thomas, & ad idem plura alia, quæ consultò intermittūtur. Dices Theologe. Hæc contrà te non facere. Imò verò plurimum faciunt. Tu enim id quod est potestatis, & liberæ electionis, facis necessitatis. Ais enim. *Bona immobilia sunt necessaria, vt Religiosi nonnulli, eorum honesto, & moderato vsu, vires corporis foueant, & sine solicitudine conquirendi necessaria, pro victu, & vestitu, aliisque rebus tois se impendant procurandæ alienæ saluto, diutnaq; gloriæ amplificandæ.* Quare non dixit Theologus, Religiosi tales possunt bona immobilia possidere: sed dixit: *necessaria sunt eis bona immobilia?* Aliud est enim posse aliquid licitè haberi: aliud verò necesse esse haberi. Et aduertat Theologus, quod S. Thomas indicauit esse errorem Vigilantij doctrinam eorum, qui dicunt Religiosos non debere de eleemosynis viuere, sed communes possessiones habere. Ad hanc n. doctrinam accedit, eo quod necessitatem habendi bona immobilia, Religiosis Prædicatoribus imponit; quod potius potestati, & arbitrio relinquendum erat.

Tertiò ostenditur Religiosis Prædicatoribus non necessarias communes possessiones, sed magis expedire mendicitatē, quia eis maximè expedit humilitas, ad quam confert mendicatio. *Illi enim videntur abie-*

ctissimi

ctissimi (ait S. Thomas 2. 2. quæst. 187. art. 5. in corp.) *inter homines esse, qui non solum pauperes, sed in tantum sunt egentes, quod necesse habent ab alijs victum accipere. Et secundùm hoc causa humilitatis, aliqui laudabiliter mendicat, sicut & alia assumunt, quæ ad abiectionem quandam pertinent, quasi efficacissimam medicinam, contrá superbiam, quam vel in seipsis, vel etiam in alijs, per exemplum extinguere volunt. Sicut enim infirmitas, quæ est ex superexcessu caloris, efficacissimè sanatur per ea, quæ in frigiditatem excedunt: ita etiam pronitas ad superbiam, efficacissimè curatur per ea quæ multum abiecta videntur. Et ideò dicitur in Decret. de pœnit. dist. 2. Si quis semel Exercitio humilitatis, si quis se vilioribus officijs subdat, & ministerijs indignioribus tradat: ita namque arrogantiæ, & humanæ gloriæ vitium curari poterit. Vndè Hieronym. in Epist. ad Oceanum commendat Fabiolam in hoc, quod optabat vt suis diuitijs pariter effusis pro Christo, stipem acciperet; quòd etiam B. Alexius perfecit, qui omnibus suis pro Christo dimissis, gaudebat se etiam a seruis suis eleemosynas accepisse. Et de B. Arsenio legitur in vitis Patrum, quòd gratias egit de hoc, quòd necessitate cogente, oportuit eum eleemosynas petere. Vndè in pœnitentiam pro grauibus culpis iniungitur aliquibus, vt peregrinentur mendicantes.* Hæc ibi. Quia ergo Religiosis Prædicatoribus expedit humilitas, ne fortè in superbiam elati, in laqueum incidant Diaboli, ideò expedit eis mendicitas, quæ conducit ad humilitatem. Ad quod etiã facit, quod S. Thomas Opusc. 19. cap. 7. ait. *Assumere mendicitatem propter Christum, ad perfectionem vitæ pertinet, sicut & cætera pœnitentiæ opera, in quibus Religiones fundantur.* Et mox. *Sicut ea quibus maceratur corpus, vt ieiunium, vigiliæ, & huiusmodi, valent contrá concupiscentiam carnis: ita ea quæ ad humilitatem pertinent, valent contrá superbiam spiritus, quæ non minus est fugienda, quàm concupiscentia carnis, cùm etiam peccata spiritualia sint maioris culpæ, vt Gregor. dicit. Sed nihil potest esse inter opera pœnitentiæ, quod hominem magis humilem, & abiectum reddat, quàm mendicatio: vndè naturaliter omnis homo mendicare erubescit. Ergo sicut ad statum perfectionis pertinet, quod homo ieiunium, & vigilias assumat, vt carnis concupiscentiam domet; ita ad perfectionem vitæ pertinet, si quis mendicitatem assumat propter Christum, vt spiritum humiliet.* Hæc ibi. Quartò præterea, quod secundùm mentem S. Thomæ, expediat Religiosis prædicationi destinatis, possessiones communes non habere, patet apertè ex his, quæ habet 2. 2. quæst. 188. art. 7. in corp. *Manifestum est,* inquit, *quòd ad exteriora, & corporalia opera vitæ actiuæ, indiget homo copia exteriorum rerum: ad contemplationem autẽ pauca requiruntur. Vndè Philosoph. dicit in 10. Ethyc. quod ad actiones multis opus est, & quanto vtique maiores sunt, & meliores pluribus. Speculami autem nullo talium ad operationem est necessitas, sed solis necessarijs indiget: alia verò impedimenta sunt ad speculationem. Sic ergo patet, quòd Religio quæ ordinatur ad actiones corporales actiuæ vitæ, puta ad militandum, vel ad hospitalitatem sectandam, imperfecta esset, si communibus*

careret diuitijs. Religiones autem, quæ ad contemplatiuam vitam ordinantur, tanto perfectiores sunt, quanto earum paupertas minorem eis solicitudinem temporalium ingerit: Tanto autem solicitudo temporalium rerum magis impedit Religionē, quāto solicitudo spiritualium maior ad Religionem requiritur. Manifestum est autem, quod maiorem solicitudinem spiritualium requirit Religio, quæ est instituta ad contemplandum, & contemplata alijs tradendum per doctrinam, & prædicationem, quam illa, quæ est instituta ad contemplandum tantùm. Vnde talem Religionem decet paupertas talis, quæ minimam solicitudinem ingerit. Manifestum est autem, quòd minimam solicitudinem ingerit, seruare res vsui hominum necessarias, tempore congruo procuratas; & ideo tribus gradibus Religionum supra positis, triplex gradus paupertatis competit. Nam illis Religionibus, quæ ordinantur ad corporales actiones actiuæ vitæ, competit habere abundantiam diuitiarum communium. Illis autem Religionibus, quæ sunt ordinatæ ad contemplandum, magis competit habere possessiones moderatas, nisi simul oporteat tales Religiosos, per se, vel per alios, hospitalitatem tenere, & pauperibus subuenire; Illis autem, quæ ordinantur ad contemplata alijs tradenda competit vitam habere maximè ab exterioribus solicitudinibus expeditam. Quod quidem fit, dum modica, quæ sunt necessaria vitæ, congruo tempore procurata conseruantur. Hæc ibi. Ex quibus manifestè patet, quod Religionibus destinatis prædicationi, competit modica quædam necessaria vitę conseruare, quia eas decet paupertas talis, quę minimam solicitudinem requirat. Non ergo possessiones communes ex mente S. Thomæ debet habere.

Quintò monstratur id quod intenditur, exemplo Christi, & Apostolorum, qui pauperem vitam, & in communi, & in particulari duxerunt, vt supra ostensum est, & *in modo viuendi eorum, clarè expreßus erat finis salutis animarum quàmplurimarum*, vt ait Theologus. *Illam autem Religionem perfectißimam ne dubita*, inquit idem, *quæ est vitæ, & mueri Apostolico simillima*, Christum, & Apostolos imitati sunt Gloriosißimi Religionum prædicationi incumbentium, & tamen mendicantium, Fundatores, Franciscus, Dominicus, Ignatius, qui suis filijs paupertatem in communi maximè commendarunt. Sed præclarè exempla Sanctorum commemorat S. Bonauentura. Opusc. de Paupert. Christi art. 2. *Ad hoc*, inquit, *est exemplum Sanctorum. Nam dicitur in laude Sanctorum, Circuierunt in melotis, in pellibus, egentes, &c. Sed taliter circumire est mendicare. Ergo &c.* Item *est exemplum de Elia, de quo August. in quodam sermone. Numquid Deus deseruerat seruum suum Eliam? Nonne illi cui deerant homines, ministrabant aues? Ostendit ergo Deus, quia vnde voluit, & quando voluit, pascere seruos suos potuit, & tamen vt posset cum religiosa vidua pascere, facit, eum egere. Item ad hoc est exemplum discipulorum Ioannis Euangelistæ, de quibus in eius legenda dicitur, quòd vendentes omnia, quæ*

habere

habere potuerunt dederunt egentis. Et post subditur: Quod tentati sunt, quòd se in uno pallio viderent egentes, servos autem suos denites, atque fulgentes. Item exemplum discipulorum Pauli. Vide Chrysostomus de laudibus Pauli. Paulus pecunias non possedit, nam ipse hoc testatur. Usque ad hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cedimur, & instabiles sumus. Et quid dico pecuniam? cùm ille quidem necessarium semper non haberet cibum, nec quod circumdaret vestimentum. Et sequitur. Discipulorum quamplurimi, pauperes, imperiti, ac totius eruditionis extranei, in fame, & egestate viventes, ignobiles. Ergo discipuli Pauli fuerunt mendici. Item ad hoc exemplum de B. Benedicto, de quo legitur in 2. Dialog. quod per triennium fuit in specu, nihil omninò operans, sed Romanus quidā Monachus sibi panem ministrabat, & constat, quod Benedictus in hoc non peccabat. Item exemplum de S. Alexio, qui fuit vir mirae sanctitatis, in cuius legenda legitur, quòd cum esset filius ditissimi Romani, contempto patrimonio, iuit mendicando per mundū. Et infrà. Item ad hoc est exemplum de B. Francisco, qui non solùm mendicauit, & mendicare consuluit, sed etiam mendicationem suam miraculis confirmauit, sicut patuit in nauis, quos ciborum suorum reliquijs saticauit, & satiatos liberauit; & per regulam quam a Summo Pontifice approbatam, confirmari fecit, in qua dixit quod fratres in paupertate, & humilitate Deo famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter &c. Item Gregor. in Moralib. super illud. Noctes labor ipse enumerauit mihi. Electi conditori rerum seruiunt, & sæpè rerum inopia coangustantur, per amorem Dei inhærent, & tamen subsidijs præsentis vitæ egent. Egere ergo subsidijs præsentis vitæ, competit Sanctorum perfectioni. Item Hieronym. in Epist. ad quendam virum hospitalem. Multus ad te per insulas Dalmatiæ, Sanctorum numerus suspiratur, sed melius facere, si & ipse Sanctus, inter Sanctos vineres. Ergo melius est, de eleemosynis vivere, quàm eleemosynas dare. Hæc & plura alia S. Bonauent. Quæ cunludens sic ait: *Si quis impugnare, & improbare velit omnem mendicandi modum in seruis Christi, impugnare videtur, non tantùm Ordinem pauperum, verùm etiam ipsum Summum Pontificem, qui approbauit hunc viuendi modum; Nec etiam tantum ipsum, verum etiam hunc magnum cœtum Sanctorū, qui mendicauerunt, videlicet Franciscum, Dominicum, Alexium, Benedictum, (addo ego Ignatium) & ipsum cœtum Apostolorum, & Prophetarum, nec non ipsum Dominum Iesum Christum, quem Scriptura non vereatur dicere pauperem & mendicum, cùm maiora de ipso dicat, & sentiat fides nostra, scilicet quod pro nobis non tantum pauper & mendicus fuit propter vestrum exemplum, sed etiam vndatus, & vilificatus, vsque ad abiectionis genus extremum vt exemplum daret perfectè contemnendi mundum.* Hucusque S. Bonauent. Aliæ rationes, quare Religiosis Prædicatoribus verbi Dei expediat paupertas in communi, possunt facilè peti ex superioribus, ideò hic non adducuntur.

Restat audire argumenta Theologi, & eis respondere. Primum argumentum eius est. *Nonnullis, inquit, Religiosis, bona immobilia necessaria sunt,*

sunt, vt eorum honesto, & moderato vsu, vires corporis foueant. Ego autem dico imò summa paupertas, & magna austeritas, necessaria est talibus Religiosis, vt extenuent vires corporis sui, (quemadmodum suprà probatum est,) & vt castigent corpora sua, & in seruitutem redigant, ne fortè cum alijs prædicauerint, ipsi reprobi efficiantur. Ideò S. Th. sæpiùs ante citatus 3. p. quæst. 41. art. 3. ad 1. ait. *Christus post baptismum, austeritatem vitæ assumpsit, vt doceret, post carnē edomitam oportere alios ad prædicationis officium transire.* Non ergo prædicatoribus Euangelicis corpus fouendum, non vires corporis corroborandæ, sed extenuandæ sunt. Secundum argumentum Theologi est: *Bona immobilia nonnullis Religiosis necessaria sunt, vt sint sine solicitudine conquirendi necessaria, pro victu, & vestitu, alijsque rebus.* Hæc ratio eneruat fiduciam, quam debent habere prædicatores in Deum, & qua adiuti non debent esse soliciti de temporalibus. *Qualis*, inquit, S. Ambr. in Luc. lib. 6. c. 9. *debeat esse, qui euangelizat regnum Dei, præceptis Euangelicis designatur, vt sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pane, sine pecunia, hoc est, subsidij secularis adminicula non requirens, fideque tutus, putet, quò minùs ista requirat, magis posse suppetere.* Ad idem facit, quod venerabilis Beda supra Marc. 6. Commen. 24. *Tanta*, inquit, *prædicatorum debet esse fiducia, vt præsentis vitæ sumptibus quamuis non prouideant, tamen sibi hoc non deesse, certissimo sciant, ne, dum occupatur mens ad temporalia, minùs alijs prouideant æterna.* Et Rabbanus super Matth. 19. *Nolite possidere aurum &c. Consequenter*, inquit, *hoc præcepit euangelizantibus veritatis, quibus antea dixerat, gratis decepistis, gratis date.* Sic enim sic prædicat, vt præmium non accipiant, superflua est auri, & argenti, nummorumque possessio, nā si hæc habuissent videbantur non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicare. Et ne quis putet, prædicatores nō debere tantum superflua possidere, consideret id quod dicit S. Hier. suprà eundem locum. *Qui diuitias detruncauerat, quæ per aurum, & argentum, & æs signantur prope modum & vitæ necessaria amputat, vt Apostoli, Doctores veræ Religionis, qui instituebant omnia Dei prouidentia gubernari, seipsos ostenderent, nihil cogitare de crastino.* Tertium argumentum Theologi est. *Bona immobilia sunt nonnullis Religiosis necessaria, vt sine solicitudine, totis se impendant procurandæ alienæ saluti.* Imò verò paupertas in communi, necessaria est talibus Religiosis, vt diserte probat S. Bonauent. in Apol. Paup. *Valet*, inquit, sc. paupertas, *ad publicationem Euangelicæ prædicationis. Primum, quia facit eam magis credibilem. Vnde Chrysost. vbi supra: Talis est luminis virtus, vt non solùm luceat, sed & illuc ducat illos qui sequuntur. Cùm enim viderint omnia præsentia nos contemnentes, & ad futura præparatos, ante omnem sermonem, operibus nostris credent. Quis n. ita est amens, vt videns eum qui & antea lasciuiebat, & ditabatur, omnia exutum, & ad famem, & ad inopiam, & duram vitam, sanguinem, occasionem, & omnia quæ*

videntur periculosa præparatum, non manifestam accipiant hinc factorum demonstrationem. Si autem nos præsentibus implicauerimus, & immiscuerimus, qualiter poterunt credere, quod ad possessionem aliam festinemus. Hucusque Chrysost. In his clarè demonstrat, quod voluntariæ paupertatis exemplum in prædicante, magis credibilem facit Euangelicam prædicationem. Secundò etiam valet, quia magis reddit efficacem, iuxtà quod Damascenus lib. 3. dicit Euangelium agnouisse Dei prædicatum est, non bellis, non armatis exercitibus aduersarios deuincens, sed paucis, nudis, pauperes, persecuti, verberati, mortificati, crucifixum in carne, & moriuum, & dominantem prædicantes, sapientibus, & insipientibus præualuerunt. Hæc Damascenus. Horum imitatores illi fuerunt de quibus in Ecclesiastica Historia lib. 3. dicit Euselnus. Quidam ardentiori diuinæ sapientiæ cupiditate succensi, animas suas verbo Dei consecrabant, explentes perfectionis salutare præceptum vt facultates suas, primo pauperibus diuidentes, expediti ad prædicandum Euangelium fierent. Tertio quia efficit eam magis acceptabilem. Vndè super illud Matth. Dignus est operarius cibo suo, dicit Chrysost. Manifestum est quotiam à discipulis eos cibari oportebat, vt vicissim ipsi magna sapiant, aduersus eos, qui dicebantur omnia præbentes, & nihil acceptantes ab ipsis, nec illi rursus abscindantur, tanquam destructi ab ipsis. Cùm igitur voluntaria rerum penuria Euangelij prædicationem magis reddat credibilem, efficacem, acceptabilem, ac per hoc auditores inducat ad fidem, erigat ad spem, allicuat ad charitatem, manifestum est quòd maximè valet ad Euangelicæ veritatis publicationem. Cuius etiam euidens indicium est, quod per Apostolos, pauperes rebus, & spiritu, quanquam numero paucos, diffusa est Euangelica veritas in orbem vniuersum, vt de ipsis verè dictum sit. In omnem terram exiuit sonus eorum. Vndè Chrysost. super Matth. Si autem homines duodecim, orbem terrarum conuerterunt, exogitia quanta est nostra malitia, cùm tanti existentes, eos, qui reguntur non possimus corrigere, quos decem millibus mundis oportebat sufficere, & esse fermentum. Sed signa ait habebant? Sed non signa eos mirabiles fecerunt. Multi enim, & dæmones proijcientes, quia iniquitatem operati sunt, facti mirabiles, sed puniti. Sed quid inquam est, quod eos ostendit magnos? Pecuniarum contemptus, gloriæ despectus, ab omnibus vitæ huius negotijs ereptio, quæ si non habuissent, & si decem millia mortuos suscitassent, non solùm nulli profecissent, sed & seductores æstimati essent. Huc usq; Chrysost. Qui & his patenter ostendit, quod nihil tantùm valuit ad dilatandum Christi Euangelium, quam perfectus contemptus rerum mundanarum. Hæc S. Bonauentura. Ex quibus patet, quantum valeat ad prædicationem Euāgelij, paupertas in communi. Sed iam vide, si placet, quale nam sit istud paradoxum Theologi? *Ideò nonnullis Religiosis necessaria esse bona &c. vt non se se impendant procurandæ alienæ saluti.* Quid ergo reseruabunt sibi suæquæ saluti. *si toti se se impendunt alienæ?* Audi Theologe consilium Bernardi serm. 18. super Cantica. *Quamobrem si sapis concham te exhibebis, non canalem. Hic siquidem panè simul, & recipit, & effundit. Illa*

verò,

verò, donec impleatur expectat, & sic quod superabundat, sine suo damno communicat, sciens maledictum qui partem suam facit deteriorem. Et ne meum consilium contemptibile ducas, audi sapientiorem me. Stultus (ait Salomon) profert totum spiritum suum simul, sapiens reseruat in posterum. Verum canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas verò per paucas. Tantæ charitatis sunt, per quos nobis fluenta cælestia emanant, vt ante effundere quam infundi velint, loqui quam audire parationes & prompti docere quod non didicerunt, & alijs præesse gestientes, qui seipsos regere nesciunt. Ego nullum ad salutem pietatis gradum, illi anteponendũ existimo, quem sapiens posuit dicens. Miserere animæ tuæ, placens Deo. Quod si nõ habeo nisi parumper olei, quo vngar putas tibi debeo dare, & remanere inanis? Seruo illud mihi, & omninò, nisi ad Prophetæ iussionem, non profero. Si institerint rogitantes aliqui ex his, qui fortè existimant de me supra id quod vident in me, aut audiunt ex me, respondebitur eis. Ne forrè non sufficiat nobis, & vobis, ite potiùs & vendentes, & emite vobis. Sed charitas, inquis, non quærit quæ sua sunt. Et tu scis quamobrem? Non quærit quæ sua sunt profectò, quia non desunt. Quinam quærat, quod habet? Charitas quæ sua sunt, id est, propriæ saluti necessaria, nunquã nõ habet. Sed non solũ habet, sed & abũdat. Vult abundare sibi, vt possit & omnibus. Seruat sibi quantũ sufficiat, vt nulli deficiat. Alioquin si plena non est, perfecta non est. Cæterùm tu frater cui firma satis propria salus nondum est, cui charitas adhuc aut nulla est, aut adeò tenera, quatenus omni statui cedat, omni credat spiritui, omni circumferatur vento doctrinæ, imò cui charitas tanta est, vt vltra mandatũ quidẽ diligas proximum tuum plusquam tsipsum, & rursum tantilla, vt contra mandatũ, fauore liquescat, pauore deficiat, perturbetur tristitia, auaritia contrahatur, protrahatur ambitione, suspicionibus inquietetur, conuitijs exagitetur, curis euiscereturr, honoribus tumeat, liquore tabescat: tu inquam ita in proprijs temetipsum sentiens, quanã dementia quæso aliena curare, aut ambis, aut acquiescis? Sed .n. audi, quid consulat cauta, vigilq; charitas. Nõ quod alijs sit remissio, vobis autẽ tribulatio, sed ex æqualitate. Dicit enim Dauid: Sicut adipe, & pinguedine, repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum: infundi nimirum priùs volens, & sic effundere, Nec solum infundi priùs, sed & impleri: quatenus de plenitudine eructaret, nõ oscitaret de manitate. Cauté quidem, ne quod alijs remissio, sibi esset tribulatio. Et nihilominus castè, imitans eum, de cuius plenitudine omnes accepimus. Disce & tu, nonnisi de pleno effundere, nec Deo largior esse velis. Concha imitetur fontem. Nõ manat ille in riuum, nec in lacum extenditur, donec suis satietur aquis. Non pudeat conchã non esse suo fonte profusiorem. Denique ipse fons vitæ, plenus in seipso, & plenus seipso, nonnè primò ebulliens, & saliens in proxima secreta cælorum, omnia impleuit bonitate, & tunc demum impletis secretioribus, superioribusq; partibus, erupit ad terras, & de superfluo, homines, ac iumenta saluauit, quemadmodum multiplicauit misericordiam suam Deus? Priùs interna replenit, & sic exundans ex multis miserationibus suis visitauit terram, & inebriauit

eam,

eam, multiplicauit locupletare eam. Ergo & tu fac similiter. Implere prius, & sic curato effundere. Benigna, prudensq; charitas affluere consueuit, non effluere. Fili mi, ne pereffluas, ait Salomon. Et Apostolus. Propterea, inquit, debemus intendere his, quæ dicuntur, ne forte pereffluamus. Quid enim? Tu ne Paulo sanctior? sapientior Salomone? Alioquin nec mihi sedes dinari, ex te exinanito. Si n. tu tibi nequam, cui bonus eris? De cumulo, si vales, adiuua me; sin autem, parcito tibi. Hæc Bernardus. Alloquar te ego Theologe sursum verbis eiusdem Bernardi, lib. 3. de Consideratione. *Si totus vis esse omnium, instar illius, quia omnia omnibus factus est, laudo humanitatem, sed si plena sit. Quomodo autem plena, si exclusa? Et tu homo es. Ergo vt integra, & plena sit humanitas, colligat & te intra se sinus, qui omnes recipit. Alioquin quid tibi prodest, iuxtà verbum Domini, si vniuersos lucreris, te vnum perdens? Quamobrem cùm omnes te habeant, esto tu etiam ex habentibus vnus. Quid solus defraudaris munere tui? Vsquequò vadens spiritus, & non rediens? Vsquequò non recipis te & ipse inter alios vice tua? Sapientibus, & insipientibus debitor es, & soli negas te tibi? Stultus & sapiens, seruus & liber, dines & pauper, vir & fœmina, senex & iuuenis, & clericus & laicus, iustus & iniquus; omnes pariter participant te, omnes de fonte publico bibunt, pectore tuo, & tu seorsum stiens stabis? Si maledictus qui partem suã facit deteriorem, quid ille, qui se penitus reddit expertem? Sanè deriuentur aquæ tuæ in plateas, homines, & iumenta, & pecora bibant ex eis; qui & camelis pueri Abrahæ potum tribuas: sed inter cæteros bibe tu de fonte puteï. Alienus inquit, nõ bibat ex eo. Numquid tu alienus? Cui non alienus, si tibi es? Denique qui sibi nequam, cui bonus?*

PROPOSITIO CX.

Et hoc Dominus, inquit S. Thomas loco citato, paupertatis institutor docuit suo exemplo. Habebat enim loculos Iudæ commissos, in quibus recondebantur ei oblata, vt habetur Ioann. 12.

HÆC Propositio falsam, & mutilatam citationem continet, & Theologum semper infidelem demonstrat, quia ea quibus statim posset conuelli, consultò omisit. Subiungit enim S. Thomas. *Nec obstat, quòd Hieronymus dicit super Matth. Quòd si quis obiecerit voluerit, quoniam Iudas pecuniam in loculis portabat: respondemus; quòd rem pauperum in suos vsus conuertere, nefas putauit; scilicet, soluendo tributum: quia inter illos paupertas pr&-*

cipuè

cipuè erant discipuli, in quorum necessitates pecunia loculorum Christi expendebatur. Dicitur enim Ioann. 4. Discipuli abierunt in ciuitatem, vt cibos emerent. Et Ioann. 13. dicitur, quòd discipuli putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus. Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis aliquid daret. Hæc S. Thomas. Ex quibus clarè patet, quòd Christus loculos habuit, vt pecunia ipsorum in vsus pauperũ conuerteretur, inter quos tamen pauperes erant & Apostoli. Quod subtrucit Theologus. Sed quia hoc argumentum est commune eorum, qui impugnant paupertatem in communi, vt patet ex Opusculis SS. Thomæ, & Bonauenturæ: ideò adducenda sunt ea, quæ hi SS. Doctores dicunt ad confutationẽ huius argumenti. Reuera enim perbellum est argumentum. Christus habuit loculos. Ergo Religiosi habeant oculos, scilicet, aureos. Simile est illud. Apostoli conseruabant pretia. Ergo Religiosi habeant prædia. Nimirùm parua est differentia inter pretia & prædia, His argumentis vtitur & noster Grammaticus: sed errauit; volui dicere Theologus. In gratiam ergo eius promam dicta Sanctorum. In primis ergo S. Thomas Opusc. 19. cap. 6. ait. *Ad illud, quod octauo loco obijcitur dicendum, quod quamuis non sit præceptum, quod nihil pecunię ad vsus necessarios reseruetur, est tamen consilium, nec Dominus loculos habuit, quasi aliàs ei non potuisset prouideri, sed vt infirmorum gereret personam; vt sibi licitum crederent quod a Christo obseruatum viderent; vnde Ioann. 12. super illud. Et loculos habens: dicit Glossa. Cui ministrant Angeli, loculos habet in sumptus pauperum, condescendens infirmis. Et super illud Psal. 103. Producens fœnum iumentis: dicit Glossa. Dominus loculos habuit in vsus eorum qui eum ipso erant, & suos, personam infirmorum magis suscipiens, vt ibi: Tristis est anima mea. Habuit & religiosas mulieres in comitatu, quæ ministrabant ei de substantia sua. Præuidit enim multos infirmos futuros, & ista quæsituros, & tamen loculos quos habebat ex possessionibus non impleuerat, sed ex his quæ ei a deuotis fidelibus administrabantur.* Et in responsione ad 14. *Sicut suprà dictum est Dominus, pecuniam reseruari fecit ad necessarios vsus, vt infirmis condescenderet: Et ideò non est reputandum pro superstitione, si aliqui perfecti viri pecuniam reseruare nolunt: sicuti etiam vt infirmis condescenderet, cum publicanis comedebat, & vinum bibens, & alijs cibarijs communiter vtens. Nec tamen reputandi sunt superstitiosi Sancti Patres in eremo, qui a vino, & alijs cibarijs delicatis abstinebant, & tamen Dominus quamuis pecuniam reseruari fecerit, non tamen eam de aliquibus proprijs possessionibus habebat, sed magis ei a fidelibus per modum eleemosynæ ministrabatur. Vnde dicitur Luc. 8. quod mulieres quædam sequebantur Dominum, ministrantes de facultatibus suis.* Hæc S. Thomas.

Quid autem dicat s. Bonauentura deinceps aduerte. In primis ergo Opusculo de Paup. Christi ait. *Ad illud quod Christus habuit loculos.*

los. Dicendum quòd Christus habuit loculos, tribus de causis. Habuit enim loculos pro pauperibus alijs: secundùm quod dicit Hieron. in auctoritate suprà posita Christus tantæ paupertatis fuit &c. Et hoc non tollit paupertatem summam. Habuit etiam loculos compatiendo infirmis. Sicut dicitur in Glossa super illud Psalm. Producens fœnum iumentis; Dominus loculos habebat, vel habuit in vsu eorum, qui cum eo erant, & suos: & religiosas mulieres in comitatu, quæ ei ministrabant de substantia sua, in his infirmorum magis personam suscipiens. Præuidit enim multos infirmos futuros, & ista quæsituros, & ibi eorundem personam suscepit vbi dixit. Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et his duobus super illud Ioan. 12. Ea quæ mittebantur &c. Glossa. Cui Angeli ministrabant, loculos habet in sumptus pauperum, condescendens infirmis. Habuit etiam loculos in articulo necessitatis, vt potè quando transibant per Samaritanos. In quo etiam articulo discipulis loculos habere permisit, secundùm illud: Quando misi vos sine sacculo, & pera, &c. Glossa. Non eadem regula viuendi, persecutionis, qua pacis tempore, discipulos informat. Missis quidem discipulis ad prædicandum, ne quid tollerent in via præcipit, ordinans scilicet, vt qui Euangelium nunciant, de Euangelio viuant. Instante verò mortis articulo, & tota illa gente Pastorem simul & gregem persequente, congruam tempori illi regulam decreuit, permittens vt tollerent necessaria victui, donec sopita persecutorum insania, tempus Euangelizandi redeat. Ex his enim Glossis manifestè appareat, quod modus habendi loculos in Domino in nullo minuit paupertatem. Sic enim Dominus condescendit infirmitati, & necessitati, vt tamen salua esset forma paupertatis, & exemplum quod præcipuè monstrare venerat hominibus. Iuxta quod dicit Apostolus. Factus est pro nobis egenus, vt illius inopia diuites essemus, paupertatè scilicet altissimam voluntariè imitando. Hæc ibi. In Apologia verò Paup. sic ait. *Vnigenitus Dei, cùm diues esset in omnes, pro nobis adeò factus est egenus, vt alieno cibo vesceretur. Non sine magna dispensatione diuini consilij loculos fecit deferri, quorum tamen custodiæ illum deputauit discipulum, quem furem ac proditorem præsciebat esse futurum. Habuit enim loculos Christus ad consolandum infirmos, ad refellendum improbos, & ad informandum perfectos. Vndè & huiusmodi actus, scilicet, habere, loculos in Christo, respectu infirmorum, fuit condescensiuus, ad consolandum eos, qui proprijs loculis carere nolunt sicut Augustin. ait in lib. de Oper. Monach. Dominus more misericordiæ suæ, infirmioribus compatiens, cùm ei Angeli possent ministrare, loculos habebat, quibus mitteretur pecunia, quæ conferebatur, vtique à bonis fidelibus, eorum victui necessaria, quos loculos Iudæ commenduit. Respectu autem impiorum, fuit actus commonitorius, primo quidem ad refellendum hæreticos, qui loculos reprobant, & detestantur. Vndè Augustin. super Ioann. Homil. 50. Quare loculos habuit, cui Angeli ministrabant, nisi quia Ecclesia loculos ipsius habitura erat? Vndè & loculos habebat, vt doceret non esse peccatum loculos habere. In his Augustinus Manichæorum refellit impietatem condemnantium Ecclesiæ statum, propter rerum temporalium possessionem. Secundò*

com-

commonitorius fuit, ad deterrendum auaros, qui loculos concupiscunt. Quanquam enim ad mitigationem cupiditatis, Dominus Iudæ loculos commisisset, ipse tamē adeò cupiditatis igne exarsit, vt ipsum Dominum pretio paruo venundaret. Vnde Chrysost. super Ioann. Si verò quis scrutabitur, quid furi existenti loculos commisit pauperum, & dispensare fecit auarum existentem? vt omnem abscinderet occasionem. Etenim sufficientem habebat ex loculo concupiscentiæ mitigationem: sed propter nequitiam multam, quam volebat comprimere Christus, multa condescensione ad eum viens, non incusabat furipientem, obstruens perniciosam concupiscentiam, & omnem auferens occasionem. Hucusque Chrysost. aperte declarans, quod non penuria pauperatis, sed nequitia cupidæ mentis, causa fuit tantæ impietatis. Respectu verò perfectorum fuit actus informatorius. Siquidem quantum ad modum habendi, forma fuit perfectionis in Ecclesiasticis personis, maximè Cœnobitis; vt ad exemplū Christi, & discipulorum eius, nullus sibi quicquam appropriet, sed habeant omnia communia. Vndè Augustſuper Ioann. Habebat Dominus loculos, & à fidelibus oblata conseruans suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primùm Ecclesiastica pecuniæ forma est instituta, vt intelligeremus, quod præcipit, non cogitandum de crastino esse, non ad hoc fuisse præceptum, vt nihil pecuniæ seruaretur a Sanctis, sed ne Deo propter ista seruiatur. Hæc Augustſ. Qui formam regulariter viuendum describens, sicut habetur 12. q. 1. ait. Cùm huius nostræ Congregationis fratres non solùm facultatibus, sed ēt voluntatibus propriis, ipsa Ordinis susceptione renuntiauerint, certum est nihil habere, possidere, dare, vel accipere sine superioris licentia debere. Quantū autē ad modum dispensandi, forma fuit perfectionis in Ecclesia Prælatis, vt exemplo Christi bona Ecclesiastica dispensent, ad sustentationē ministrorum Ecclesiæ, & ad pauperum releuandas miserias. Vndè Chrysost. super Ioann. de loculis Christi loquens, quæstionem proponit. Qualiter, inquit, non peram, non virgā, non as iubens deferre, marsupium ferebat? Respondens subdit. Ad inopum ministerium, vt discas, quoniam valde pauperem, & crucifixum, huius oportet partis multam facere procurationem. Multa enim ad nostram dispensans dactrinam agebat. In his ostendit Chrysost. quòd viris perfectis competat, miserabilium personarum gerere curam; quod maximè locum habet in Prælatis Ecclesiæ, quorum perfectioni consonat, vt & spiritualiter, & etiam corporaliter, pascendis sibi cōmissis gregibus intendant. Vnde Prosper in lib. de Vita Contemplatiua. Scientes viri Sancti, nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, & pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vendicauerunt in vsus suos, vt proprias, sed cōmendatas, pauperibus erogauerunt: hoc est, possidendo contemnere; non sibi, sed aliis possidere, & nec cupiditate habendi, Ecclesiæ facultates ambire: sed pietate subueniēdi, eas suscipere, & quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habere cōmune, nec aliquid inde eis, qui sibi sufficiunt, de suo erogare, cùm nihil aliud sit habentibus dare, quàm perdere. Quantum verò ad modū viendi, forma fuit perfectionis ipsis populis, ac cæteris huiusmodi paupertatem professis, vt cùm ex amore paupertatis, sem-

per carere loculis cupiam, solùm quando aperte necessitatis urget articulus loculos ferant. Ipse siquidem Christus sustentabatur a fidelibus, vel a mulieribus comitantibus eum, sicut in Luca scribitur, quòd haec eum eo mulieres, quae ministrabant ei de facultatibus suis. Cùm tamen per Samariam transiisset, in qua quidè ciuitate (vt dicit Euangelista) hospitium habere non potuit, de loculis vixit; sicut dicitur in Ioanne: quod discipuli abierant in ciuitatem, vt cibos emerent. Vnde super illud Luca. Quando misi vos sine sacculo & pera, &c. dicit Glossa. Si per inhospitales regiones transimus, plura viatici causa licet portari, quàm domi habemus. Constat autem quod valdè pauper est, qui plura portat in via, quàm habeat, vbi habitat habitatione determinata. Quòd si forte quis dicat perfectionis formā nullo modo esse intermittendam. Respondet ad hoc Beda super Lucam, dicens super illud. Nūc qui habet sacculum, tollat similiter & peram. Non eandem viuendi regulam persecutionis, quae pacis tempore insinuat. Sunt namq; virtutes, quae semper absq; intermissione retinendae sunt, & sunt quae tempore, loco que pro diuersitate mutandae. Quis enim nescit viscera misericordiae, benignitatem, humanitatem, patientiam, modestiam, castitatem, fidem, spem, charitatem, & his similia sine vlla temporis mutatione esse seruanda? At verò famem, vigilias, nuditatem, lectionem, psalmodiam, orationem, laborem operandi, doctrinam, silentium, & cetera huiusmodi, si quis semper exequenda putauerit, non modò ea horum fructu priuabit, sed & notam indiscretae abstinentiae incurret. Magister itaque Deus, virtutum, vt modum distributionis insinuet, missis ad praedicandum discipulis, ne quid tolleretur in via praecipit, videlicet ordinans, vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant. Mortis verò semper vbi instat, & tota simul gente pastorem gregem, persequente, congruum tempori decreuit regulam seruandi, scilicet, vt cui necessariam, donec sopita persecutionum insania, tempus euangelizandi redeat, tollere permittendo. Hac Beda. Ex praedictis ergo patet euasisse, quòd omnis perfectionis splendor & speculū Iesus Christus, ob cuius maximas praelatas, ac triplicem vilitatem aggregatione quadam, in persecutionis feruorem consurgentem, mirabili quodam modo in habendo loculos, & saepius simplicè modo consolatur, & impios duplicuer arguit, & perfectos tribus modis reformat. In quibus & illud est omni admiratione, & laude, & imitatione dignissimum, quòd sic pauperiem Christus remisit, vt sui cum diuitem non dimouerat, sic & habentibus pecuniam conformem se exhibet, vt pauperiem summe fouendam perfectè seruaret. Vnde super illud Matth. Vade ad mare. Glossa. Dominus tanta paupertatis fuit, vt vnde tributa solueret, non haberet. Iudas quidem communis in loculis habebat, sed res pauperum in vsus suos conuertere, nefas duxit, ipsum dans exemplum nobis. Hoc Glossa. Non igitur loculi Christi ad fomentum cupiditatis trahendi sunt. Sicut in Saluatore vestro crucifixo nihil fuit, quod saeculares gloriae, aut deliciae saperet, sic nil egit, nihil docuit, per quod mundi diuitias appetendas esse monstraret, quin potius vt nos ad perfectae paupertatis amorem accenderet, in huius mundi eamum hostem expugnaturus ingreditur, de paupertina Maria pauperrimus prodijt: sed

& hostiam Deo Patri vt Pontifex offerens, nudus in cruce pependit, necnon vt veritas eius tanquam perfectissimè rectitudinis, nequaquam discordaret medium ab extremis, tota vita ipsius caminus paupertatis fuit: Huius igitur inuictissimi Ducis nudatæ, tanquam armaturæ circundati, & in eo speranies, qui ait: Confidite ego vici mundum, in ipsius pauperis crucifixi nomine, hostiles excipiamus insultus; Hæc S. Bonauentura: Quibus manifestè monstrauit infirmitatē Theologi, vtpotè qui argumentum infirmorum protulerit: neque est necesse amplius ea expendere.

PROPOSITIO CXI.

Et discipuli eius post eius resurrectionem, à quibus omnis Religio sumpsit originem, pretia prædiorum conferebant, & distribuebant illa, prout vnicuique opus erat.

QVIA illud argumentum de Apostolis tempore S. Th. obijciebatur ab impugnantibus paupertatem in communi, consultum est adducere ea, quæ S. Thomas docet de Paupertate Apostolica. In primis ergo Opusc. 17. cap. 15. sic ait. *Dominus electis duodecim Apostolis, ad prædicandum eos mittens, concessa eis miraculorum potestate, mirabilem vitæ documenta, primò inducit paupertatis doctrinā, dicens Matth. 10. Nolite possidere aurum, neq; argentū in zonis vestris, non peram in via. Quod exponens Eusebius Cæsar. dicit. Prohibebat eis auri & argenti, & eris possessionem, præcognitione futurorum. Contemplabatur n. quod qui sanandi erant per eos, & ab incurabilibus passionibus liberandi, vellent eis cedere in omnibus bonis suis. Et post aliqua subdit. Putabat oportere conductos arrha Regni Dei, terrena despicere, vt nec argentum, nec aurum, nec possessiones, nec quicquam eorum, quæ mortales appretiantur, cōdignam existiment, dum sibi cælestibus opibus. Nec non cum milites eos faceret regni Dei, monebat eos volere pauperiatem. Nullus enim militans Deo, implicat se huius vitæ negotijs, vt placeat Deo, & sic Hieron. dicit super Matth. Qui diuitias detruncauerat, scilicet, in verbis præmissis propemodum cibi vitæ necessaria amputat, vt Apost. Doctores Religionis, qui instituebant qui vi a Dei prouidentia gubernari, seipsos pstenderent nihil cogitare de crastino: & sicut Chrysost. dicit super Matth. Per hoc præceptum primo quidem Dominus discipulos facit non esse subiectos: secundò ab omni eos liberat solicitudine, vt vacationem omnem tribuant verbo Dei: tertiò docet eos suam virtutem. Qualis ergo esse debeat, qui euangelizat regnum Dei,*

præceptis euangelicis designatur, hoc est vt subsidij temporalis adminicula non requirat, fideiq; totus inhæres, putet quò minùs ista requirat, magis posse suppetere: vt Ambrosius dicit super Lucã. Manifestũ est autẽ, quòd si Apostoli possessiones suscepissẽ, nõ minùs, sed multò magis suspecti fuissent, quod propter quæstum prædicarent, quam si aurum vel argentum possidercnt. multò etiam maiori solicitudine, circà agrorum vlturã occuparentur, multoq; maius est sæculare adminiculum ex agris, vel vineis possessis quam si bona mobilia habeantur. Manifestũ est igitur secundum expositiones præmissas, Apostolis interdictum fuisse, ne agros, vel vineas, vel alia huiusmodi bona immobilia possiderent. Quis autem dicat nisi hæreticus, primam institutionem discipulorum à Christo, perfectioni Euangelicæ derogare? Mentiũtur ergo in doctrina fidei, dicentes, minoris esse perfectionis eos, qui communibus possessionibus carent. Est autem vlterius considerandũ, qualiter præcepta Domini præmissa, fuerant ab Apostolis obseruata: quia vt Augustin. dicit in libro contra mendacium: diuinæ scripturæ non solum præcepta Dei retinent, sed etiam vitam moresque iustorum, vt si fortè occultum est, quemadmodum accipiendum sit quòd præcipitur, in factis iustorum intelligatur. Quod autem nihil temporalium possiderent, aut etiam in via deserent, ante tempus passionis, aperte ostenditur ex hoc quod legitur Lucæ 22. vbi Dominus discipulis dixit. Quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt. Nihil. Sed quia ibi subditur. Dixit ergo eis. Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: posset dicui videri, quòd Dominus totaliter priora præcepta relaxauerit. Sed hanc relaxationem, quantum ad personas Apostolorum, ad solum tempus imminentis persecutionis esse referendam, apparet ex verbis Bedæ, qui dicit. Nouã eadem vicendi regula persecutionis tempore, qua pacis, discipulos informat. Missis quidem discipulis ad prædicandum, ne quid tollerent in via præcipit, ordinans, scilicet, vt qui Euangelium nuntiant, de Euangelio viuant. Mortis verò instante periculo, & tota simul gente pastorem gregemque persequente, congruam temporis regulam decernit, permittens vt tollant victui necessaria donec sopita insania persecutorum, tempus euangelizandi redeat. Vbi nobis quoque dat exemplum, ex iusta nonnunquam causa istante, quædam de nostri propositi rigore, posse sine culpa intermitti. Ex quo etiam apparet ad rigorem Euangelicæ disciplinæ pertinere, quod aliquis careat omni terrena possessione: quid autem super hoc Apostoli post passionem seruauerunt, & seruandum tradiderunt; aperte in Act. Apostolorum docetur. Legitur enim Act. 4. quod multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et ne aliquis dicat, eos habuisse possessiones communes, puta agros, vel vineas, vel aliquid huiusmodi, hoc ex sequentia excluditur. Sequitur enim. Quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Ex quo patet hanc esse Euangelicæ vitæ obseruantiam, vt ea quæ ad necessitatem

statem vitæ pertinent, possideantur communiter, possessionibus omninò à possessoribus abdicatis. Quod autem hoc ad abundantiorem perfectionem pertineat, apparet per Augustin. in lib. de doctrina Christiana vbi dicit. Qui crediderunt ex Iudæis ex quibus facta est prima Ecclesia Hierosolymis, satis ostenderunt, quanta vtilitas fuerit sub pedagogo. id est, sub lege custodiri. Namque tam capaces extiterunt Spiritus Sancti, vt omnia sua venderent, eorumque pretium indigentibus distribuendum, ante Apostolorum pedes ponerent. Et posteà subdit. Non enim hoc vllas Ecclesias gentium feciſſe scriptum est, quia non tam propè inuenti erant, qui simulachra manufacta Deos habebant. Videtur tamen huius rei aliâ rationem assignare Melchiades Papa, qui vt habetur 12. quæst. 1. dicit. Futuram Ecclesiam in gentibus Apostoli præuiderant: idcircò prædia in Iudæa minimè sunt adepti, sed pretia tantummodò ad fouendos egentes. At verò cùm inter turbines, & aduersa mundi succresceret Ecclesia, ad hoc vsque peruenit, vt non solùm gentes: sed etiam Romani Principes, qui totius orbis Monarchiam tenebant, ad fidem Christi, & baptismi Sacramenta concurrerent. Ex quibus vir Religiosissimus Constantinus primus licentiam dedit, non solùm fieri Christianos, sed etiam fabricandi Ecclesias, & prædia constituit tribuenda. Et in sequenti capite dicit Vrban. Papa. Videntes Summi Sacerdotes, & alij, atque Leuitæ, & reliqui fideles, plus vtilitatis posse conferre, si hæreditates, & agros quos vendebant, Ecclesijs quibus præsidebant Episcopi traderent, eo quòd ex sumptibus eorum, tam præsentibus, quàm futuris temporibus, plura & electiora possent ministrare fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex pretio eorum; cæperunt prædia & agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesijs tradere, & ex sumptibus eorum viuere. Ex his ergo videtur, quòd melius sit possessiones in communi habere, quàm alia mobilia ad victum pertinentia, & quod in primitiua Ecclesia prædia vendebantur, non quia hoc esset melius, sed quia præuidebant Apostoli, quod apud Iudæos Ecclesia duratura non erat, partim propter infidelitatem, partim propter excidium, quod eis immminebat. Sed si quis rectè consideret, hæc præmissis non contrariantur. Ecclesia in sui primordio in omnibus membris suis talis fuit, qualis post modum fuisse apud perfectos quoscunque inuenitur. Sicut enim natura, sic & gratia debuit à perfectis initium assumere: & ideo Apostoli, secundùm illum statum fidelium, vitam ordinauerunt perfectioni conuenientem; vndè dicit Hieronymus in lib. de Illust. viris Apparet talem primam Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur, & cupiunt, vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur, & psalmis, doctrinæ quoque, & continentiæ. Hic autem modus viuendi perfectioni congruus fuit apud primos credentes, non solùm in Iudæa sub Apostolis, sed etiam apud Aegyptum sub Marco Euangelista, vt ibidem Hieronymus dicit, & sicut in 2. libro Ecclesiasticæ Historiæ narratur. Processu verò temporis, multi in Ecclesiam erant intraturi, qui ab hac perfectione deficerent, quod non erat futurum ante

Iudæo-

Iudæorum excidium, sed Ecclesia apud gentes multiplicata. Quod postquam comigit, visile iudicauerunt Ecclesiarum Prælati, vt prædia & agri Ecclesijs conferrentur, non propter perfectiores quosque, sed propter imperfectiores, qui ad primorum fidelium perfectionem attingere non valerent. Et Opusc. 19. cap. 6. ad 15. ait. *Quod Apostoli reseruabant pecunias, & etiam colligebant; vt sanctis pauperibus, qui prædea sua vendiderant propter Christum, necessaria ministrarent: nec tamen illas pecunias habebant ex aliquibus possessionibus, sed ex eleemosynis fidelium. Quod etiam dicitur, quòd nullus egenus erat inter eos, non est intelligendum, quia Apostoli, & primitiuæ Ecclesiæ discipuli, multas egestates, & penurias sustinuerint propter Christum: cùm dicatur 1. Cor. 4. Vsque in hanc horam esurimus, & sitimus, &c. & 2. Cor. 6. In multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus. Glossa. victus vel vestitus: sed quia de his quæ habere poterant, vnicuique secundùm quod opus erat, subuenebant, vt quantùm ex facultate suppeterent, omnium indigentias relenarent.* Et iterum ad 16. *Quamuis illud præceptum: In viam gentium ne abieritis; fuerit post resurrectionem totaliter reuocatum, eò quod primùm oportebat Iudæis verbum Dei loqui, & sic transire ad gentes, vt dicitur Actor. 13. tamen hæc, quod Dominus dixerat Apostolis, quod non secum necessaria portarent, non totaliter reuocauit in cœna, sed solùm tempore persecutionis, quando à persecutoribus necessaria habere non poterant: vnde Lucæ 22. Quando misi vos, &c. Glossa. Non eadem viuendi regula persecutionis tempore, qua pacis, discipulos informat: Missis siquidem discipulis ad prædicandum, ne quid tulerent in via præcepit, ordinans, scilicet, vt qui Euangelium nunciat, de Euangelio viuat. Instante verò mortis articulo, & tota illa gente pastorem simul ac gregem persequente congruum tempori regulam decernit, permittens necessaria victus, donec sopita persecutionis insania, rursus euangelizandi pateat. Et Glossa dicit. In hoc nobis quoque datur exemplum, vt nonnunquam causa instante, quadam de nostri propositi rigore, sine culpa intermittere possimus. verbi gratia. Si per inhospitales regiones iter agimus plura victui causa licet portare, quàm dum habemus. Sed quia quidam hæretici, quantum est illa obiecta, glossam non recipiunt, ipso textu ostendente, quod multiplicatis fidelibus discipuli Christi secum necessaria in via non portabant. Dicitur enim in vii. Can. Ioann. Charissime fideliter facis, quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos. Et infrà. Pro nomine eius profecti sunt nihil accipientes à gentilibus: nos ergo debemus suscipere huiusmodi. Non autem esset necessarium quamuis à gentilibus nihil acciperent, quod reciperentur à fidelibus, si secum necessaria ad victum deferrent: quod etiam patet per Glossam ibi, quæ dicit. Pro nomine eius profecti sunt, alieni à rebus propriis.*

Hæc S. Thomas. Ex quibus patet, Apostolos paupertatem in communi seruasse: & licet prædia prædiorum conseruabant, hoc tamen erat propter elargitiones in fideles, & quia ea quæ ad necessitatem vitæ pertinebant, possidebantur ab eis communiter, possessionibus omnino

minò à possessoribus abdicatis. Et hic erat modus vivendi perfectioni congruus, qualis fuit apud primos credentes. Processu verò temporis multi erant in Ecclesiam intraturi, qui ab hac perfectione deficerent, ideò vtile iudicauerunt Ecclesiarum Prælati, vt prædia, & agri Ecclesijs conferrentur, non propter perfectiores quosque, sed propter infirmiores, qui ad primorum fidelium perfectionem attingere nō valerent. Vnde patet quòd propter perfectissimas Religiones non expedit habere prædia. Theologus ergo infirmiorum, & eorum qui ad primorum fidelium perfectionem attingere non valent, argumentum, iuxtà S. Thomam, produxit.

PROPOSITIO XCII.

Quin etiamsi Apostoli vni loco, vti nunc Religiosorum Monasteria, fuissent adstricti, nec in ea suorum paucitate debuissent circuire tot mundi regiones, proculdubio stabiles, & certos reditus acceptassent.

HÆC Propositio multùm derogat perfectioni paupertatis Apostolorum; imò meo iudicio videtur hæresim inuoluere: quæ omnia ordinatè sequentibus rationibus probo.

Prima ratio incipit à Capite Christo. Christus enim quamuis vni loco fuerit adstrictus, (eo modo, quo nunc Religiosorum Prædicatorum, possessiones in communi habentium Monasteria, vni loco, scilicet regno, sunt adstricta, quamuis in illo regno multis in locis ipsi Religiosi prædicent, nec circuiuit tot mundi regiones, nihilominus stabiles, & certos reditus non acceptauit, sed paupertatem etiam in communi professus est. Ergo etiamsi Apostoli vni loco fuissent adstricti, nec in ea suorum paucitate debuissent circuire tot mundi regiones, non tamen stabiles, ac certos reditus acceptassent. Nunquit discipuli à Magistro, serui à Domino, Apostoli à Christo discordassent? Impium est sanè dicere, quod ab exemplo Christi discrepassent.

Secunda ratio est talis. Apostoli tunc dum cum eis erat sponsus, vni loco adstricti erant, sicut & Christus: & tamen Christus dederat eis præceptum Matth. 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta,*

neque

neque virgam. Ergo etiam fuissent vni loco adstricti, nec debuissent circuire tot mundi regiones, non tamen acceptassent certos, & stabiles reditus.

Tertia ratio desumitur ex fine propter quē Christus dedit tale præceptum Apostolis, quem S. Thomas explicat Opusc. 17. cap. 15. verba eius sunt. *Nolite possidere aurum, neq; argentum in zonis vestris, non perā in via. Quod exponens Eusebius Cæsar. dicit: prohibebat eis auri, & argenti, & aris possessionem, præcognitione futurorum. Contemplabatur. n., quod qui sanandi erant per eos, & ab incurabilibus passionibus liberādi, vellent eis cedere in omnibus bonis suis*. Sed tiamsi Apostoli vni loco fuissent adstricti, tamen sanandi per eos, & ab innumerabilibus passionibus liberandi, vellent eis cedere in omnibus bonis suis. Ergo etiamsi vni loco fuissent adstricti, ex præcepto Christi non acceptassent bona. Pergit S. Thomas, & adfert, ex eodē Eusebio. *Putabat oportere cōductos arrha Regni Dei, terrena despicere, vt nec aurum, nec argentum, nec possessiones, nec quicquam eorum, quæ mortales appretiantur, condignum existiment, datis sibi cælestibus opibus. Necnon cum milites eos faceret regni Dei, monebat eos colere paupertatem. Nullus enim militans Deo, implicat se huius vitæ negotijs, vt placeat Deo*. Sed etiamsi Apostoli vni loco fuissent adstricti, tamen conducti fuissent arrha regni Dei, tanquā milites eiusdem regni Dei. Ergo etiamsi fuissent adstricti vni loco, non aurum, nō argentum, non possessiones habuissent, sed paupertatem, vtiq; in communi, coluissent, & non se implicassent huius vitæ negotijs, vt placerēt Deo. Subdit S. Thomas. *Et sic Hieronymus dicit super Matth. Qui diuitias destruncauerat, scilicet in verbis præmissis, propemodum etiā vitæ necessaria amputat, vt Apostoli Doctores veræ religionis, qui instituebant, omnia Dei prouidentia gubernari, se ipsos ostenderent, nihil cogitare de crastino*. Sed etiamsi Apostoli fuissent vni loco adstricti, tamen omnia Dei prouidentia crederent gubernari, & se ipsos ostenderent nihil cogitare de crastino. Ergo etiāsi Apostoli vni loco fuissent adstricti, non tamen aurum, argentum, aut possessiones habuissent. vltrà addit Diuus Tho. *Et sicut Chrysostomus dicit super Matth. Per hoc præceptum, primò quidē Dominus discipulos facit esse subiectos: secundò ab omni eos liberat solicitudine, vt vacationem omnem tribuant verbo Dei: tertio docet eos suam virtutem*. Sed etiamsi Apostoli vni loco fuissent adstricti, tamen non fuissent subiecti, & ab omni liberi solicitudine, vacationem omnem tribuissent verbo Dei, & virtutem Dei sensissent. Ergo etiāsi Apostoli vni loco fuissent adstricti, non aurum, non argētum possedissent. Amplius S. Th. ait. *Qualis ergo debeat esse qui euangelizat regnum Dei præceptis Euangelicis designatur, hoc est, vt subsidij secularis admiscula non requirat, fideiq; totus inhærens, putet quò minùs ista requirat magis posse supperere, vt Ambrosius dicit super Lucam*. Sed etiamsi Apostoli vni loco fuissent

sent adstricti, tamen subsidij sæcularis adminicula non requirerent, fideique toti inhærentes, putarent quòd minus ista requirerent, magis posse suppetere. Ergo etiamsi vni loco fuissent adstricti, possessiones non habuissent.

Quarta ratio sumitur ex verbis eiusdem Sancti Thomæ loco citato. *Manifestum est*, inquit, *quòd si Apostoli possessionem suscepissent, non minus, sed multò magis fuissent suspecti, quod propter quæstum prædicarent, quam si aurum, vel argentum possiderent: multò etiam maiori solicitudine, circà agrorum culturam occuparentur, multoque maius est sæculare adminiculum, exagris, vel vineis possessis, quàm si bona mobilia habeantur.* Sed etiamsi Apostoli vni loco fuissent adstricti, & si in illo loco possessiones acceptantes, nõ minus, sed multo magis suspecti fuissent, quòd propter quæstum prædicarent, & maiori solicitudine, circà agrorum culturam occuparentur. Ergo etiãsi Apostoli vni loco fuissent adstricti, possessiones tamen non accepta-sent. Conionat huic rationi id, quod habet S. Thomas 3.p.q.40.art.3. in corp. *Si Christus diuitias haberet, cupiditati eius prædicatio adscriberetur. Vnde Hieronym. dicit super Matth. Quod si discipuli eius diuitias habuissent, viderentur non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicasse. Et eadem ratio est de Christo.* Ergo etiãsi Apostoli vni loco fuissent adstricti diuitias nõ habuissent: nã alias cupiditati eorũ prædicatio adscriberetur, & viderentur, non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicasse.

Quinta ratio sumitur ex verbis S. Tho. loco immediatè citato, vbi inter alias rationes, quare Christum decuit in hoc mundo pauperem vitam ducere, hanc quartam adfert: *Vt tanto maior virtus diuinitatis eius ostenderetur, quanto per paupertatem videbatur abiectior. Vnde dicitur in quodam sermone Ephesini Concilij. Omnia paupera & vilia elegit omnia mediocria, & plurimis obscura, vt diuinitas cognosceretur orbem transformasse terrarum propterea pauperculã elegit Matrem, pauperiorem patriam egenus fuit pecunijs, & hoc tibi exponit præsepe.* Hæc S. Th. Addo ego, quod & pauperes Apostolos elegit, vt habetur Iac. 2. *Audite fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Ideò Luc. 7. inter alia signa aductus veri Messiæ ponit; *pauperes euangelizãtur.* Sed etiãsi Apostoli vni loco fuissent adstricti, tamen per eos virtus diuinitatis Christi ostẽderetur. Ergo etiãsi Apostoli vni loco fuissent adstricti, fuisent tamẽ per paupertatem abiecti: imò tãtò per paupertatem abiectiores, quanto per eos maior virtus diuinitatis Christi debebat ostendi. Eò magis quia Christus quamuis manserit simul cum Sanctissima Matre sua, & Patre suo putatiuo, satis lõgo tẽpore filẽtij, vni loco adstrictus; tamen in paupertate vixit, & nõ diuites, qui sibi ministrarent, elegit. Ergo & Apostoli ad imitationem

sui capitis, quamuis vni loco adstricti, paupertatem tamen coluissent.

Sexta ratio spectat ad idem, & sumitur ex verbis Pauli 1. Cor. cap. 1. *Videte*, inquit, *vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Ex ipso autem vos estis in Christo IESV, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio: vt quemadmodum scriptum est. Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Ideò & Paulus cap. 2. eiusdem Epistolæ, ait. *Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos.* Sed etiamsi Apostoli vni loco fuissēt adstricti, voluisset Deus, vt non gloriaretur omnis caro in conspectu eius. Ergo etiamsi Apostoli fuissent vni loco adstricti, ordinasset Deus, vt essent infirmi, ignobiles, contemptibiles, & quasi non essent. Non essent autem contemptibiles, si diuitias haberent.

Septima ratio reducitur ad idem, & sumitur ex verbis Pauli 1. ad Corinth. cap 4. *Puto quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquàm mortis destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Vsq; in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.* Sed etiamsi Apostoli vni loco fuissent adstricti, tamen fuissent spectaculum mundo, & Angelis, & hominibus. Ergo etiamsi fuissent vni loco adstricti, & esurirent, & sitirent, & nudi essent, & laborarent operantes manibus suis, tanquam purgamenta huius mundi fierent, omnium peripsema.

Octaua ratio sumitur ex substantia gloriæ Sācti Pauli 1. ad Cor. 11. *Quoniam multi gloriantur secundùm carnem, & ego gloriabor. Libenter enim sustinetis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim si quis in seruitutē redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis in faciem vos cædit. Secundùm ignobilitatem dico, quasi nos fuerimus infirmi in hac parte. In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego. Hebræi sunt, & ego: Israëlitæ sunt & ego: Semen Abrahæ sunt, & ego. Ministri Christi sunt (vt minus sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis suprà modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas, vna minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum ex genere, periculis ex gentibus, periculis in Ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in*

labore

labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame, & siti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate: præter ea quæ mihi insecus sunt instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor. Deus & Pater Domini N. Iesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior. Damasci Præpositus Genij Aretæ Regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet: & per fenestram in sportam dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius. Hæc ibi. Capite verò 12. ait. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis: in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo: Cum enim infirmor, tunc potens sum. Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab ijs qui sunt supra modum Apostoli, tametsi nihil sum: Signa autem Apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, in signis, & prodigijs, & virtutibus.* Hæc Paulus. Hæc autem omnia dicit in ordine ad illud quod habet cap. 10. *Qui gloriatur in Domino glorietur.* Sed etiamsi Paulus fuisset vni loco adstrictus, tamen gloriaretur in his, quæ infirmitatis suæ essent, & signa Apostolatus eius fuissent in omni patientia, vt gloria eius tota esset in Domino. Ergo etiamsi Paulus fuisset vni loco adstrictus, fuisset tamen in vigilijs multis, in fame, & siti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate &c.

Nona ratio sumitur ex verbis Pauli ad Galat. 6. *Mihi*, inquit, *absit gloriari, nisi in cruce Domini Nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Sed etiamsi Paulus vni loco fuisset adstrictus non fuisset euacuata gloria eius in cruce Christi. Ergo etiãsi Paulus vni loco fuisset adstrictus, divitias mundi in cruce fixisset, & mundus in eo nihil sui agnouisset.

Decima ratio sumitur ex verbis Pauli ad Philip. 3. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Sed etiamsi Apostolus vni loco fuisset adstrictus, non fuisset exinanitus amor eius ergà Christum. Ergo etiamsi Paulus vni loco fuisset adstrictus, omnia detrimentum fecisset propter Christum.

Vndecima ratio, & colligitur ex omnibus causis finalibus præscriptis, quare Apostoli non possederint aurũ, & argentũ, & possessiones. Theologus n. causam huius assignat, quia nimirũ vni loco non fuerũt adstricti, & in ea suorum paucitate debebant circuire tot mũdi regiones. Ex Sac. autẽ Script. & SS. Patribus, aliæ causæ habentur paupertatis adeò strictæ Apostolorũ, nimirũ, quia Christus præcognoscebat, quod sanandi per eos, vellent cedere omnibus bonis suis, ideò prohi-

buit eis possessiones: & quia oportebat cõductos arrha regni Dei terrena despicere; & quia instituebantur, vt crederent omnia Dei prouidentia gubernari; & vt non essent subiecti, sed liberi a solicitudine; & scirent Dei virtutem, & subsidij sæcularis adminicula non requirerent, sed fidei toti inhærerent, & vt non essent suspecti, quod propter quæstum prædicarent, siue vt prædicatio eorum cupiditati non adscriberetur: & vt virtus diuinitatis Christi monstraretur, qui per pauperes & abiectos, mundum in melius commutauit; & vt tota gloria eorum esset in Domino, seu cruce Christi; & vt essent spectaculum mundo, & Angelis, & hominibus; & vt signum Apostolatus eorum esset in omni patientia: & vt abstracti à terrenis, per amorem accessum erga Christum, tota eorum conuersatio esset in cælis. Quæ quidem omnes causæ paupertatis strictissimæ Apostolorum, subsistunt plenè, perfectè, & integrè, etiamsi Apostoli vni loco fuissent adstricti. Ergo necesse est dicere, quod etiam subsisteret ipsummet præceptum paupertatis datũ sibi à Domino, etiamsi Apostoli vni loco fuissent adstricti. Permanente enim causa finali præcepti in aliqua hypotesi, non possumus præsumere, quod præceptum non liget in illa hypotesi.

Duodecima ratio sit talis. Theologus videtur docere Paupertatẽ Apostolos coluisse necessitatis non perfectionis gratia: in quo equidẽ redolet hæresim; quia suprà probatum est, esse cõtrariam fidei Christianæ doctrinam asserentium paupertatem ad perfectionem non pertinere. *Quia*, inquit, *vni loco non erant adstricti, sed debebant circuire tot mũdi regiones, ideo certos & stabiles reditus non acceptarunt.* Id enim indicant illa verba. *Quin etiam si Apostoli vni loco, vti nunc Religiosorum Monasteria, fuissẽt adstricti, nec in ea suorum paucitate debuissent circuire tot mũdi regiones, procul dubio etiã stabiles, ac certos reditus acceptassent.* Necessitatis ergo gratia, Apostoli certos ac stabiles reditus nõ acceptarunt. Sed alias Sancti Patres docent, & sufficiat pro omnibus Theologo S. Thomas, quod paupertas in Apostolis erat perfectionis: ideò suprà probatum est, quòd paupertas pertinet ad perfectionem, & quòd perfectio consistit instrumentaliter & dispositiuè in paupertate. Ergo etiamsi Apostoli vni loco fuissent adstricti, tamen propter perfectionem amplexati fuissent strictam paupertatem. Vis huius argumenti patet ex præcedentibus, vbi probatum est, quantum paupertas conferat ad perfectionem. Quia ergo Apostoli paupertatem in communi amplexati fuissent propter perfectionem, vtique eam coluissent, etiamsi vni loco fuissent adstricti, eo ipso, quod ea quæ sunt perfectionis exercuissent.

Decimatertia ratio sit talis. Quid sentis Theologe, quod perfectius opus? Possessio bonorum in communi, an paupertas in communi? Si dicas

dicas quod possessio bonorum in communi præeminet paupertati in communi; Vigilantius es: Antichristus es: Sicut enim Christianum fuit dicere. *Si vis perfectus esse, vade & vende*: ita Antichristianum est dicere: Si *vis perfectus esse, vade & posside*. Frustra quoque beatitudo specialiter promissa esset paupertati, secundùm illud. *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Si autem dicas, vt debes dicere, quod paupertas in communi perfectior est possessione bonorum in communi: Ergo etiamsi Apostoli vni loco fuissent adstricti, potiùs paupertatem in communi coluissent, quàm bona possedissent. Probatur hæc illatio. Apostoli enim etiamsi vni loco fuissent adstricti, tamen in fastigio & culmine perfectionis fuissent constituti: & fuissent perfecti non solum in præceptis, sed etiam in concilijs, non solum secundùm virtutes Theologicas, sed etiam secundum virtutes morales: non solum secundum vnam, sed etiam secundum alias v. g. non solum secundum charitatem, sed etiam secundum paupertatem: id enim expediés fuisset summæ perfectioni, qualis fuisset in Apostolis, etiamsi vni loco adstricti fuissent. Confirmatur id verbis S. Thom. Opusc. 17. cap. 16. *Expedit*, inquit, *possessiones communes possideri propter eos, qui non sunt summæ perfectionis capaces, qualis in primis credentibus fuit, qui tamen imperfectiores omninò negligendi non erant: sicut etiam Dominus, cui Angeli ministrabant, loculos habuit propter necessitatem aliorum, quia scilicet eius Ecclesia loculos erat habitura sicut August. dicit super Ioann. Vnde si qua sit congregatio in qua omnes ad maiorem perfectionem tendant, expedit eis cõmunes possessiones non habere*. Hæc S. Th. Sed etiamsi Apostoli vni loco fuissent adstricti, summam tamen perfectionẽ tectati fuissent. Ergo communes possessiones non habuissent.

Decimaquarta ratio sit talis. Suprà fusè probatum est, quod Christus loculos habuerit, id non fuisse perfectionis ex se, sed condescendentiæ, propter infirmiores, & imperfectiores quosque. Quòd si loculos habuisse fuit propter imperfectiores, multò magis si permisisset certos & stabiles reditus. Sed impium & hæreticum est dicere, quòd si Apostoli fuissent vni loco adstricti, fuissent infirmiores & imperfectiores. Ergo impium & hæreticum est dicere, quod si Apostoli fuissent vni loco adstricti, certos & stabiles reditus acceptassent.

Decimaquinta ratio sumitur ex verbis S. Th. Opusc. 17. cap. 15. *Manifestum est*, inquit, *Apostolis interdictum fuisse, ne agros vel vineas, vel alia huiusmodi mobilia bona possiderent*. Sed impium & hæreticum est dicere, quòd si Apostoli vni loco fuissent adstricti præceptum Domini violassent. Ergo impium & hæreticum est dicere, quòd si Apostoli vni loco fuissent adstricti, immobilia possedissent.

Decimasexta ratio sumitur ex facto. Primi enim Christiani Hierosolymis

solymis vni loco adstricti erant, & tamen secundùm doctrinam S. Th. possessiones in communi non habebant. Docet id expressè S. Tho. in præcedenti Propositione citatus Opusc. 17. ca. 15. Et præterea c. 16. eiusdē Opusc. ait. *Expedit possessiones cōmunes possideri propter eos, qui non sunt summæ perfectionis capaces, qualis in primis credentibus fuit.* Opusc. similiter 19. cap. 6. *Augustinus*, inquit, *præfert perfectionem primitiuæ Ecclesiæ Iudæorū, primitiuæ ex Gentibus, in hoc quòd omnia sua vendiderunt, pauperibus distribuenda. Sed ipsi vita vendiderunt propria, quòd nullas possessiones in cōmuni reseruarunt sibi. Ergo &c.* In quibus omnibus locis expressè tradit S. Th. primos fideles Hierosolymis constitutos, & vni loco adstrictos, nec proprias, nec communes possessiones habuisse. Idem asserit S. Bonau. in Apolog. Paup. Ergò multò magis Apostoli etiamsi vni loco adstricti fuissent, possessiones communes non habuissent.

Decima septima ratio sumitur ex verbis Apost. Act. 6. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergò fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine.* Sed etiamsi Apostoli fuissent vni loco adstricti, orationi tamen & ministerio verbi instantes essent. Ergo etiāsi vni loco adstricti fuissent, non habuissent possessiones, vnde egenis ministrassent.

Decimaoctaua ratio sumitur ex verbis Apostoli 1. ad Cor. 9. *Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non mauducat? Nunquid secundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui triturāti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quoniam debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potiùs nos? Sed non vsi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculū demus Euangelio Christi. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt? Et qui altari deseruiunt, cum altari participant? Ita Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. Ego autem nullo horū vsus sum. Non autem scripsi hæc, vt ita fiant in me: bonum est enim mihi mori, quā vt gloriam meam quis euacuet.* 2. verò ad Corinth. cap. 11. *Gratis Euangelium Dei euangelizaui vobis, alias Ecclesias expoliaui accipiens stipendia, ad ministerium vestri. Et cum essem apud vos, & egerem, nulli oneriosus fui: nam quod mihi deerat, supplenerunt fratres, qui venerant à Macedonia, & in omnibus sine onere me vobis seruaui, & seruabo. Et veritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me, in regionibus Achaiæ. Quare? Quia non diligo vos? Deus scit. Quod autē*

facio.

facio & faciam, vt amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, vt in quo gloriantur, inueniantur sicut nos. Nam eiusmodi pseudo Apostoli, sunt operarij subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi. Ad idem spectat, quod ait Cap. 12. eiusdem Epist. *Quid est quod minus habuistis præ cæteris Ecclesijs, nisi quod ipse non grauaui vos? Donate mihi hanc iniuriam. Ecce tertiò hoc paratus sum venire ad vos, & non ero grauis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs. Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ego ipse pro animabus vestris, licèt plùs vos diligens, minùs diligar. Sed esto: Ego vos non grauaui: sed cùm essem astutus, dolo vos cepi. Nunquid per aliquem eorum quos misi ad vos, circumueni vos? rogaui Titum, & misi cum eo fratrem. Nunquid Titus vos circumuenit? Nonne eodem spiritu ambulauimus? Nonne ijsdem vestigijs?* Hæc S. Paulus. Circà quæ S. Thomas 3. p. q. 40. art. 3. ad 2. *Vt Hieron. dicit contra Vigilantium. Consuetudinis Iudaicæ fuit, nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, vt mulieres de substantia sua victũ atq; vestitum Præceptoribus suis ministrarent: Sed quia hoc scandalum facere poterat in nationibus, Paulus se abiecisse commemorat.* Hæc ibi. Opusculo verò 19. Cap. 7. ait. *Maius damnum sequebatur ex prædicatione pseudoapostolorum, quibus prædicandi occasionem Apostolus auferebat, de sumptibus fidelium non viuendo, cùm contraria fidei prædicarent, quam de hoc quod Apostolus se labori manuum implicabat, de proprio labore viuens.* Et iterùm ait. *A principio conuersionis gentium, quandò adhuc in gentibus hoc non consuetum erat, dimittebant sumptus accipere, propter scandalum.* Et iterùm ait. *Quòd potuit esse aliqua species mali, accipere victum à gentibus, quibus fides prædicabatur, propter hoc quòd nouerat eis consuetum.* Sed impium & hæreticum est dicere, quòd Paulus vni loco adstrictus alicui onerosus fuisset, & non amputasset occasionem pseudoapostolis, & quòd grauasset alios, aut quæreret quæ ipsorũ sũt, aut quòd scãdalum dedisset, aut speciem aliquam mali pro se tulisset. Ergo impium & hæreticũ est dicere, quòd Paulus vni loco adstrictus, certos, & stabiles reditus acceptasset, quos vtique non habuisset, nisi per elargitionem & eleemosynam æquè ac sumptus modicos ordinariè necessarios.

Decimanona ratio sumitur ex exemplis Apostolorum, qui pecuniã nolebant accipere oblatam à fidelibus. Sufficiat adferre exemplum de B. Thadæo, de quo Eusebius lib. 1. Eccles. Hist. Cap. 13. refert, Quòd cùm post Christi ascensionem Abagarus Rex sanatus ab eodem Apostolo, præciperet eundem donari plurimo auro, tum cælato, tum rudi, & informi; ille respuit sic fatus. *Si nostra prorsus derelinquimus, quomodo accipiemus aliena?* Et quamuis Eusebius hunc non existimet Apostolum, sed vnum ex septuaginta duobus discipulis: nihilominus S. Hieron. in Matth. cap. 10. vnà cum S. Bonauen. in Apolog. Paup. eum

potius

potius è duodenario numero Apostolorum fuisse tradit. Dic ergo Theologe, si Apostoli omnia sua dimiserunt, quomodo adstricti vni loco aliena acciperent?

Vigesima ratio est talis. Tandem etiam aliquando Apostoli vni loco adstricti constiterunt, videlicet in quo mortem oppetierunt, vt Ioānes in Asia, & alij alibi. Sed tunc etiam certos, & stabiles reditus non acceptarunt. Ergo falsum est, quod si Apostoli vni loco adstricti fuissent, certos & stabiles reditus acceptassent.

Vigesima prima ratio talis est. Apostoli paupertatē suam voto firmarunt, vt docent Theologi, & supra probatum est auctoritate S. Th., & S. August., dùm ageretur de Apostolis. Credibile autē est, eos vouisse etiam paupertatem in communi. Primò quia S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3. ait: *Apostoli intelliguntur vouisse perfectionis statū, quando Christum relictis omnibus sunt secuti.* Sed non solùm paupertas in particulari, verùm etiā paupertas in cōmuni, pertinet ad perfectionis statum. Ergo Apostoli vouerunt non tantùm paupertatē in particulari, sed etiam in communi. Secundò præterea. Apostoli de facto coluerunt paupertatem in communi vt suprà probatum est. Ergo probabile est, quòd paupertatem in communi voto firmarint. Quia enim Apostoli in fastigio perfectio erant positi, præsumendū est, quòd opera perfectiori modo faciebant, quo Deo gratiora efficerentur, perfectius autem, & acceptius est Deo opus, quod fit ex voto, quàm quod fit sine voto. Ergo præsumendum est, quòd opus paupertatis in communi seruauerint ex voto. Tertiò præterea. Aliqui Religiosi vouent paupertatem etiam in communi; vel quia vouent paupertatem secūdùm Regulam, quæ excludit possessionem bonorum in communi, vel quia expressè vouent ipsam paupertatem in cōmuni. Sic & in Regula Societatis IESV oblata Iulio III. & ab eo cōfirmata habentur hæc verba. *Voueant singuli & vniuersi perpetuam paupertatem, vt non solùm priuatim, sed neque etiam communiter, possint professi vel vlla eorum domus aut Ecclesia, ad aliquos prouentus, reditus, possessiones, sed nec ad vlla bona stabilia, præter ea quæ opportuna erunt ad vsum proprium, & habitationem retinēda, ius aliquod ciuile acquirere, rebus sibi ex charitate donatis, ad necessarium vitæ vsum contenti.* Sed Religiosi ad imitationem Apostolorum vouent paupertatem in communi: & non est præsumendum, quòd perfectiorem paupertatem voueant, quàm Apostoli, quia hoc esset derogare perfectioni Apostolorū. Ergo multò magis tenendum est, quòd Apostoli paupertatem in communi vouerint. Quod si ità est, nulla ratione potest dici, quòd si Apostoli vni loco adstricti fuissent, certos ac stabiles reditus acceptaissent: quia nō potest dici, quod si Apostoli vni loco adstricti fuissent, votum paupertatis violassent.

Vige-

Vigesimasecunda ratio talis est. Viri Apostolici, id est, Religiosi Prædicatores, Apostolorum imitatores, etiamsi de facto vni loco sint adstricti, nihilominus non habent possessiones communes, siue colunt paupertatem in communi. Ita inter alios professi solemniter in Societate IESV, quorum domus professæ nequeunt habere, nec in particulari, nec in communi reditus vllos, aut bona stabilia, aut possessiones, præter eam possessionem, quæ ad habitationem vel vsum fuerit necessaria, aut valde conueniens, qualis est hortus, quo recreandi animi gratia se aliquando Religiosi recipiant. Talis autem possessio Societati professæ permissa, nequit alijs locari, nec debet habere fructus, qui redituum loco esse possint. Cuiusmodi essent, si vini vel olei, vel tritici prouētus dicta possessio ferret, vel si fructus, aut olera inde percepta venderentur. Nec licet domui professæ vendere, ex illis fructibus, ad comparandas expensas necessarias illi horto colendo, nec conuenire cum horti illius cultore, vt aliquā fructuum partem sibi sumat, aut partem horti in suum commodum colendam, in culturæ reliquæ partis stipendiū. Ita quod quantumuis exigui reditus, domui professę omninò interdicuntur: nec integrum est Societati IESV habere hos reditus applicatos Sacristiæ, aut fabricæ Ecclesiæ. Nec potest domus professa Societatis iuuari bonis Collegiorum, sed eleemosynis sustentari debet. Nec potest Generalis Societatis dispensare, vt Collegiorum bonis iuuetur. Nec Societas professa succedit in aliqua bona suorum Religiosorū. Et ita Professi & Coadiutores formati, siue spirituales, siue temporales Societatis IESV sunt omnis successionis hereditariæ, siue ex testamento, siue ab intestato incapaces ex mente Pōtificum, qui confirmarunt institutum Societatis. Neque Religiosi Societatis IESV possunt ad beneficium admitti, siue simplex, siue curatum. Et si sint professi trium aut quatuor votorum emittunt votū nullius dignitatis procurandæ, aut acceptandæ, nisi cogente Pontifice. Iidem professi trium aut quatuor votorum in Societate IESV, voto adstringūtur nō consentiendi relaxationi paupertatis, iuxtā eorū Cōstitutiones ab ipsis promissæ. Collegia quoq; Societatis absque sufficiēti donatione fundata, in quibus nec legunt, nec scholasticos alunt, non possunt ex proprijs reditibus ali, sed debent ex eleemosynis viuere, & fructus debent per publicam personam conseruare, donec plenè fundentur: quamuis hic rigor postea temperatus fuerit. Eadem Collegia Societatis IESV, quę præter Præceptores possūt alere duodecim scholasticos ex suis redditibus, nequeunt eleemosynas, aut dona oblata admittere. Administratio autem reditum, & immobilium bonorum Collegiorum Societatis IESV, non pertinet ad ipsos Collegia-

les, sed ad solum Generalem, & ad eum, cui ipse commiserit. Pro ministerijs verò spiritualibus, quæ Societas exercere posset, interdicitur cuicunque illius Religioso, stipendium aliquod accipere, vt constat ex Exam. Cap. 1. §. 3. ibi. Ad hunc finem meliùs consequendum, tria vota in ea, Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis emittuntur, sic Paupertatem accipiendo, vt nec velit, nec possit, reditus, vllos ad suam sustentationem, nec quiduis aliud habere. Quod non tantùm in particulari de vno quoq; sed etiam de Ecclesijs, & domibus Societatis professæ est intelligendum. Nec etiam, quantumuis alijs sit licitum, pro Missarum Sacrificijs, vel predicationibus, vel lectionibus, vel vllius Sacramenti administratione, vel quouis alio pio officio ex ijs, quæ iuxtà suum institutum Societas exercere potest, stipendium vllum, vel eleemosynam, quæ ad compensationem huiusmodi ministeriorum dari solent, ab alio quàm à Deo possunt admittere. Idem interdicitur 6. par. Const. cap. 2. §. 7. Et in Declarationibus littera G. & parte decima §. 1. vt nec ipsi præposito Generali Societatis in hoc dispensare integrũ sit, vt expresse habetur in quinta Congregat. Generali Societatis IESV, Canone 1. Non est quoq; integrum Societati IESV, aliquam Collegij dotationem admittere, per quam ad dandum Concionatorẽ, aut Confessarium, aut aliquem Theologiæ Lectorem, Societas obligetur, nisi quando hæc obligatio docendæ Theologiæ, non esset principalis, sed accessoria ad missioni alicuius Vniuersitatis: quippe Societas Vniuersitatem aliquam admittens, potest ex consequenti obligari ad ordinarias illius lectiones, quamuis inter illas aliquæ Theologiæ essent. Adeò autem grauiter interdicitur recipere aliquid pro ministerijs spiritualibus in Societate IESV, quòd transgressio huius interdicti non solùm sit contrà eius Cõstitutiones, sed etiam contrà votum Paupertatis in Societate IESV promissæ, & ideò sit mortalis. Hæc omnia habet Sanchez Tom. 2. in Præcepta lib. 7. Cap. 27. & 28. quæ consultò adducta sunt, vt appareat quantus rigor Euangelicæ & Apostolicæ Paupertatis sit in Societate IESV. Quòd si aliqui Religiosi v. g. Professi Societatis IESV etiamsi vni loco adstricti, tamen certos & stabiles reditus non acceptant, & id quidem aiunt se facere ad imitationem Apostolorum, & faciunt propter maiorem perfectionem ipsorummet Apostolorum; quãtò magis Apostoli exemplaria ipsiusmet Paupertatis, & in culmine perfectionis collocati, etiamsi vni loco fuissent adstricti, non acceptassent certos & stabiles reditus? Nefarium est enim dicere, quòd Religiosi vni loco adstricti, perfectiorem paupertatem colãt, quàm Apostoli coluissent, si vni loco adstricti fuissent. Aliàs si Apostoli vni loco adstricti, reditus accepassẽt; frustra Religiosi vni

loco

loco adstricti, reditus non acceptantes, allegarent in exemplum paupertatis suæ Apostolos: siquidem alia est ratio de Apostolis, alia de illis. Apostoli enim reditus non acceptarunt, quia vni loco adstricti non erant, sed tot mundi regiones circuire debebant: ij verò Religiosi vni loco adstricti sunt. Si autem verum esset, quòd Apostoli vni loco adstricti, reditus acceptassent, vtique magis congruum foret, vt Religiosi quoque vni loco adstricti reditus acceptarent: magis enim per hoc Apostolis se conformarent.

Sed iam his rationibus pensatis, videat vnusquisque quem spiritum redolet Propositio Theologi. Miror autem temeritatem eius, quod eam Propositionem, extrà omnem dubitationem positam asseruerit, de qua vtique dignum & conueniens erat saltim dubitare: dixit enim: *procul dubio*. Sic omninò vult possessionem bonorum in communi, esse perfectiorem carentia eorundem, quod vtiq; est hæresis Vigilantij, iudicio S. Thomæ: sic suas res nequiter palliare vult exemplis ipsorummet Apostolorum.

PROPOSITIO XCIII.

Vti postea dilatata Ecclesia, & pastoribus animarum multiplicatis, ac ad certa loca addictis, acceptarunt Episcopi, aliique Ecclesiastici.

HOC argumentum Theologi, S. Th. ab aduersarijs paupertatis obiectum, & æpiùs ab eodem reiectum est, ità vt euidèter cognoscas Theologum armis confractis vti, & eius vires iam pridè prostratas. In primis n. Opusc. 17. cap. 14 ait de his, qui homines à Religione retrahere conantur, Religiosorum perfectioni derogando, maximè eorum, qui in communi possessiones non habent. *Dicunt insuper, quòd Christus Ordinem discipulorum instituit, quibus succedunt Episcopi & Clerici possessiones habentes, Ordines autem Religiosorum, absq; possessionibus in paupertate viuentium, postea ab aliis sunt instituti.* Et respondet ad hoc argumentum cap. 16. *Quod verò quarto inducitur, quòd Dominus non instituit Ordinem non habentium possessiones, sed Ordinem prælatorum, qui possessiones habet, in altero quidem est apertum mendacium. Cùm enim Dominus discipulos instituit, quòd nec argentum, nec aurum possideant, & quòd corda eorum non grauentur curis huius mundi: & dimittentibus agros, & domos propter nomen suum præmia repromittit, non solùm in futuro, sed & in hoc seculo, vt scilicet sint cum Apostolis, nihil in hoc mundo habentes, & omnia possidentes, manifestum est, quòd omnes, quicunque hanc regulam*

secuti fuerint, institutionem Christi sequuntur : nec enim illi, qui sanctos sequuntur, per quos sunt Ordines institutis, ad ipsos accedunt, sed ad Christum, cuius documenta proponunt : quia nec illi seipsos prædicauerunt, sed cum Apostolo IESVM *Christum, eius documẽta proponentes ; in altero verò falluntur, vel fallere volunt per fallaciam accidentis. Instituit enim Christus Episcoporum Ordinem, & aliorum clericorum qui possessiones communes habent, vel proprias : Sed hoc in eis Christus non instituit, sed magis instituit eorum Ordinem in perfecta paupertate : sicut ex prædictis apparet. Postmodum verò dispensatiuè sunt in Ecclesia cõmunes possessiones acceptæ propter rationem prædictam.* Hæc ibi. Capite verò 15. ait. *Ecclesia in sui primordio in omnibus membris suis talis fuit, qualis postmodum fuisse apud perfectos quæsunq; inuenitur. Sicut .n. natura, sic & gratia debuit a perfectis initium assumere. Et ideò Apostoli secundùm illum statum, fidelium vitam ordinauerunt perfectioni conuenientem. Vndè dicit Hieron. in lib. de Illustribus viris. Apparet talẽ primum Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi nituntur, & cupiunt esse, vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, & patrimonia egentibus diuidantur, Orationi vacetur, & psalmis, doctrina quoque & continentiæ. Hic autem viuendi modus, perfectioni congruus fuit apud primos credẽtes, non solùm in Iudæa sub Apostolis, sed etiã apud Ægyptum sub Marco Euang. vt ibidem Hieron. dicit : & sicut in lib. Ecclesiast. Hist. narratur. Processu verò temporis multi in Ecclesiam eranu intrauri, qui ab hac perfectione deficerent, quod non erat futurum ante Iudæorum excidium, sed Ecclesia apud Gentes multiplicata. Quod postquam contigit, vtile iudicauerunt Ecclesiarum Prælati, vt prædia & agri Ecclesijs conferrentur, non propter perfectiores quosq; sed propter infirmiores, qui ad primorum fidelium perfectionem attingere non valerent.* Hæc ibi. Opusc. verò 19. Cap. 16. idẽ argumentum sibi obijcit 1. 2. q. 1. *Cap. Videntes dicitur. Quòd sumini Sacerdotes statuerunt possessiones Ecclesiæ conferri, vt inter eos qui in communi vita degunt, nullus egẽs inueniatur :* Et respondet ad hoc argum. *Quòd Ecclesia multos infirmos sustinet, quos non facilè sustineret, sine temporalium possessionum solatio : expedit ergo facultates communes in Ecclesia possideri, proprijs dimissis, & præcipuè propter pauperes sustentandos. Non tamen sequitur, quòd nõ sit expediens perfectis viris, qui sua dimiserunt, vitam Religiosam agere sine cõmunibus possessionibus, & quamuis perfectio Apostolica non annulletur in illis, qui possessiones communes habent, tamen expressiùs conseruatur in illis, qui proprijs dimissis, etiam communibus carent.* Hæc S. Th. Demùm vt aduertas diuersam esse rationem de Episc. & de Religiosis, aduerte ea quæ dicit S. Th. 2. 2. q. 186. art. 3. ad 5. *Status*, inquit, *Episcopalis non ordinatur ad perfectionem adipiscendam, sed potiùs vt ex perfectione, quam quis habet, alios gubernet, non solùm ministrando spiritualia, sed etiam temporalia : quod pertinet ad vitam actiuam, in qua multa operanda occurrunt instrumentaliter per diuitias, vt dictum est. Et ideo ab Episcopis, qui profitentur gubernationem gregis Christi, non exigitur vt propria ca-*

reant,

reant, sicut à Religiosis, qui profitentur disciplinam perfectionis acquirendæ, Hæc ibi. Opusc. verò 19. cap. 6. ait. *Statutum*, inquit, *illud (nempè in Decret. dist. 1. C. Nemo dicitur quod Ecclesia non debet ædificari, antequam ille qui vult ædificare prouiderit quæ ad alimenta, & custodiam, & stipendia custodum sufficiat) inductum est in fauorem Ecclesiæ, & ministrorum Ecclesiæ, & ideo si aliqui supererogare velint, vt sine possessionibus Ecclesiæ seruiant, laudabiliores existunt, sicut Paulus prædicans Euangelium sine sumptu, qui prædicator erat à Deo ordinatus, vt patet 1. Corinth. 9.* Ex his omnibus patet, quòd non valet argumentū Theologi: Episcopi alijque Ecclesiastici, certos reditus acceptarunt. Ergo & Religiosi Prædicatores quantumuis perfectissimi acceptent reditus. Sed vellem scire à Theologo, quid intelligit nomine aliorum Ecclesiasticorum? Vel enim intelligit Prælatos; vel intelligit etiam Religiosos. Si Prælatos; quare eos anteà vocauit sæculares, quos modò dicit Ecclesiasticos? nisi suspicio sit, quòd nomine Prælatorum sæcularium, intellexerit etiam Reges & Principes, vt eos in perfectione anteponeret Religiosis. Si verò intelligit etiam Religiosos; vtique non omnes Religiosi acceptarunt reditus, vt patet de Fratribus Ordinis Minorum, & Professis Societatis IESV.

PROPOSITIO CXIV.

Non obest ergo perfectioni Religiosæ possessio bonorum temporalium benè distributorum, sed vel malus & superfluus eorum vsus, vel nimius erga illa affectus, quorum vtrumq; præscindit in ordinatis Religionibus, & votum Paupertatis, & regularis disciplina.

ISTVD quoque argumentum ab Aduersarijs paupertatis, S. Tho. obiectum est, & ab eo refutatum. Opusc. enim 19. Cap. 6. inter argumenta impugnantium paupertatem in cōmuni habetur & istud: 1. 2. quæst. 1. dicitur: *Expedit facultates Ecclesiæ possideri, & proprias perfectionis amore contemni. Et infrà. Satis ostenditur, & proprias debere propter perfectionem contemni, & sine impedimento perfectionis posse Ecclesiæ facultates, quæ sunt profectò communes, possideri. Ergo etsi aliqui omnia sua dimittant ad Religionem conuolantes, talem tamen Religionem debent eligere, quæ habeat facultates communes.* Et respondet ad hoc argumentum. *Quod quamuis perfectio non annulletur in illis, qui possessiones communes habent, tamen expressius conseruatur in illis, qui propriis dimissis, etiam communibus carent.* Hæc Sanctus Thomas. Et meritò: Aliud est enim non obesse perfectioni: aliud per-

perfectius esse. Et non valet istud argumentum. Non obest perfectioni. Ergo conuenit Religioni perfectissimæ. Cæterùm quantũ possessio bonorum temporalium rapiat affectũ humanum, & quàm difficile, sit separare animum à bonis possessis, patet ex multis locis s. Th. Sufficiat interim ista citare. 2. 2. q. 186. ar. 3. in corp. ait. *Ex hoc quod aliquis res mundanas possides, allicitur animus eius ad earum amorem. Vndè Aug. dicit in Epist. ad Paulinũ & Therasiã, quod terrena diliguntur arctiùs adepta, quàm concupita. Nã vnde iuuenis ille tristiùs discessit, nisi quia magnas diuitias habebat? Aliud est .n. nolle incorporare quæ desunt, aliud iam incorporata diuellere. Illa .n. velut extranea repudiantur, ista verò velut in membra præscinduntur.* Et Chrysost. dicit *super Matth. Quòd appositio diuitiarum, maiorem accendit flammam, & vehemẽtior fit cupido. Et inde est, quòd ad perfectionem charitatis acquirendam, primũ fundamentũ est voluntaria paupertas, vt aliquis absq; proprio viuat, dicente Domino Matt. 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Hæc ibi. In eadem quoq; 2. 2. q. 118. ar. 7. in corp. ait. *Est priuatio omnium facultatũ, siue paupertas, perfectionis instrumentum, in quantum per remotionẽ diuitiarũ tolluntur quædã charitatis impedimenta, quæ sunt præcipuè tria. Quorum primum est solicitudo, quam secum diuitiæ adferunt. Vndè Dominus dicit Matth. 13. Quod autem seminatum est in spinis, hic est qui verbum Dei audit, & solicitudo huius sæculi & fallacia diuitiarum, suffocat verbum. Secundũ autẽ est diuitiarũ amor, qui ex diuitijs possessis augetur. Vndè & Hieron. dicit super Matt. Quod quia diuitiæ habitæ difficilẽ contemnuntur, non dixit Dominus Matth. 19. Impossibile est diuitẽ intrare in regnũ cælorũ; sed difficile. Tertiũ autem est inanis gloria, vel elatio, quæ ex diuitijs nascitur, secundùm illud Psal. 48. Qui confidũt in virtute sua, & in multitudine diuitiarũ suarũ gloriantur. Horũ ergo primũ à diuitijs separari nõ potest totaliter, siue sint magnæ, siue paruæ. Necesse est .n. hominẽ aliqualiter solicitari de acquirendis, vel conseruandis exterioribus rebus. Sed si res exteriores non quærantur, vel habeantur, nisi in modica quantitate, quantũ sufficiunt ad simplicem victum, talis solicitudo non multùm impedit hominẽ, Vndè nec perfectioni repugnat Christiana vita. Non .n. omnis solicitudo à Domino interdicitur, sed superflua, & nociua. Vndè super illud Matt. 6. Ne soliciti sitis anima vestra quid manducetis, &c. dicit Aug. in lib. de serm. Dom. in Mon. Non hoc dicit, vt ista non procurentur, quãtum necessitatis est, sed vt non ita intueantur, vt propter ista faciant quicquid in Euangelij prædicatione facere iubentur. Sed abundans diuitiarum possessio, abundantiorẽ solicitudinẽ ingerit, per quã animus hominis multũ distrahitur, & impeditur: ne totaliter feratur in Dei obsequiũ. Alia verò duo, scilicet, amor diuitiarum, & elatio, seu gloriatio de diuitijs, non consequuntur nisi abundantes diuitias. Differt tamen circà hoc, vtrum diuitiæ abundantes, vel moderatæ, in proprio, vel in cõmuni habeantur. Nam solicitudo quæ circà proprias diuitias adhibetur, pertinet ad amorẽ priuatum, quo quis se temporaliter amat: sed solicitudo, quæ adhibetur circà res cõmunes,*

per-

pertinet ad amorem charitatis, quæ non quærit quæ sua sunt, sed communibus imitetur. Et quia Religio ad perfectionē charitatis ordinatur, quam perficit amor Dei vsque ad contemptū sui, habere aliquid propriū perfectioni repugnat Religionis; sed solicitudo quæ adhibetur circà bona cōmunia, pertinere potest ad charitatē, licèt per hoc impediri possit aliquis altior charitatis gradus, puta, contemplationis diuinæ, aut institutionis proximorum. Ex quo patet quòd habere superabundantes diuitias in cōmuni, siue in mobilibus, siue in immobilibus, est impedimentum perfectionis; licèt non totaliter excludat eam. Habere autem de exterioribus rebus in communi siue mobilibus, siue immobilibus, quantum sufficiat ad simplicem victum, perfectionē Religionis non impedit, si consideretur paupertas ad cōmunē finem Religionū, qui est vacare diuinis obsequijs. Si autem consideretur per comparationem ad speciales fines Religionum, sic præsupposito tali fine, paupertas maior, vel minor, est Religioni accommoda: & tāta erit vnaquæq; Religio secundùm paupertatem perfectior, quanto habet paupertatem magis proportionatam suo fini. Hæc ibi. Et postea subdit id quod ante dictum est: *Religionibus ordinatis ad contemplata alijs tradenda competit modica, quæ sunt necessaria vitæ, congruo tempore procurata conseruare.* Opusc. verò 18. cap. 7. ait: *Adolescens qui de via perfectionis quæsierat, abijt tristis. Causa autē tristitiæ. vt Hieron. dicit super Matth. redditur. Erat n. habens multas pecunias, id est, spinas & tribulos, quæ sementem Domini suffocauerunt. Et Chrysost. idem exponendo dicit. Quod non similiter detinentur qui pauca habent, & qui multis abundāt, quoniam adiectio diuitiarum maiorem accendit flammam, & vehementior fit cupido. Et infrà. Diues difficilè intrabit in regnum cælorum. Et ratio est vt Hieron. dicit, quia diuitiæ habita difficilè contemnuntur. Et infra. Difficilé est affectum diuitijs possessis non alligari, quod facit impossibilitatem intrandi in regnum cælorū.* Consonat s. Bonau. in Apolog. Paup: *Vnde,* inquit, *Gregor. in 4. Moral. Rarum valde est: vt qui possident aurum, ad requiem tendant, cùm per semetipsam Veritas dicat. Quam difficilè qui pecunias habent intrabunt in regnum cælorum. Idem etiā in 4. Dialog. Cura rei familiaris vix sine culpa agitur, etiam ab his qui qualiter culpas declinare debeant sciunt. Et Rabbanus super Matth. Difficile (hoc est, maximi laboris) est, pecunias habentes, vel in pecunijs confidentes, exuuis phylargiriæ vetinaculis, aulam regni cælestis intrare. Propter quod secundum est diuitias fugere, & eas abdicare perfectum. Vndè Hieronymus ait. Apostolici fastigij est, perfectæq; virtutis, vēdere omnia, & pauperibus distribuere, & sic leuem & expeditum, cum Christo ad cælestia subuolare.*

Pro Coronide totius istius tractationis de Paupertate, aduerte, quod Theologus argumenta pro suo intento deprompsit ex armario impugnantium paupertatem in cōmuni, quos S. Th. Opusc. 17. Cap. 1. vocauit nouos Vigilantios. Primum .n. argumentum, quod sit maior solicitudo quærendo eleemosynas, quàm possidendo bona in cōmuni, proposuit S. Th. nomine illorum Opusc. 17. Cap. 14. loco 7. Et confutatuit

Cap.

Cap. 16. Secundum argum. ab exemplo SS. Fundatorũ Religionũ, propoſuit eodẽ loco cit. in ordine ſecundũ: & confutauit cap. quoq; 16. Idem propoſuit Opuſ. 19. cap. 6. loco 22. Et ibidẽ refutauit. Tertiũ argum. de libertate ſeruiendi Deo, propoſuit Opuſc. 19. cap. 7. loco 2. Et eodem cap. refutauit. Quartum argum. de adulatione, ſiuè non adeò expedita libertate in prædicando, propoſuit loco immediatè citato, & ſoluit ibidẽ. Quintum argum. de loculis Chriſti, propoſuit Opuſc. 19. cap. 6. & ſoluit ibidẽ. Sextum argum. de pretijs prædiorũ conſeruatis ab Apoſtolis, propoſuit, & ſoluit eodẽ loco. Septimũ argum. de Epiſcopis propoſuit Opuſc. 17. cap. 14. & ſoluit cap. 16. Et Opuſc. 19. cap. 6. & ibidẽ ſoluit. Octauũ argum. de eo, quod non obſit perfectioni poſſeſſio bonorũ in cõmuni, propoſuit Opuſc. 19. cap. 6. & ſoluit ibidẽ. Eadem quoq; omnia argumenta propoſuit S. Bonauent. in Apol. Paup., & ſoluit; vt legenti conſtat. Quid ergo inferre licet, niſi quòd ſpiritus Vigilantij in Theologo ſurrexit? Iam quòd arma nouorũ Vigilantiorũ aſſumpſit: ideò & ipſe nouus Vigilantius eſt. Videat Theologus an ſit diſcipulus S. Thomæ, an verò potiùs aduerſarius eius? vtpotè qui argumenta aduerſariorum eius, ab ipſo confutata reaſſumpſerit. Videat an Regulas ſuas ex doctrina S. Thomæ decerpſerit, qui potiùs argumenta contraria attulerit? Vtinam inſcitiam ſuam, & fraudes orbi non propalaſſet; vtique non erubuſſet.

PROPOSITIO XCV.

Commendat & hoc perfectionem Religioſi Ordinis, ſi cæteris paribus ex inſtituto ſuo occupet ſe pro Deo in arduis & difficilioribus quàm alij. Hanc ob cauſam S. Th. 1. p. q. 95. art. 4. ad 2. ait, Opus difficilius ex parte obiecti, eſſe magis meritorium. Vnuſquiſq; enim mercedem percipiet ſecundum ſuum laborem 1 Cor. 3. Maior autem eſt labor, vbi eſt res difficilior, quæ pro Deo perficitur.

HÆC Propoſitio manifeſtam cõtinet contradictionem. Si enim commendat perfectionem Religioſi Ordinis, quia ex inſtituto ſuo ſe occupat in rebus arduis, & difficilioribus, quàm alij; quomodo non commendat perfectionem Religioſi Ordinis, ſi ex inſtituto ſuo ſe occupat pro Deo, auſteritate, & paupertate in communi: quandoquidem iſtæ res adeò ſunt arduæ & difficiles, quòd eas valdè reformidat Theologus? Cæterùm quod difficile, non faciat ad augmentum præ-

mis e essentialis, suprà ostensũ est ex doctr. S. Th. Cõtinet ẽt hæc Propositio falsissimã citationẽ S. Th. Non. n. S. Th. 1. p. q. 95. a. 4. ad 2. habet. *Opus difficilius ex parte obiecti esse magis meritoriũ*. Refero verba S. Th. loco cit. vt fides dicto adhibeatur. *Ad secundũ dicendũ, quòd difficultas & pugna pertinet ad quantitatem meriti, secundũ quantitatẽ operis proportionalẽ, vt dictũ est. Et est signũ promptitudinis volũtatis, quæ conatur ad id, quod est sibi difficile: promptitudo autem voluntatis, causatur ex magnitudine charitatis. Potest autẽ contingere, quòd aliquis ita prompta voluntate faciat opus aliquod facile, sicut aliquis difficile, quia paratus esset facere etiam quod sibi esset difficile. Difficultas tamen actualis, in quantũ est pœnalis, habet etiã quod sit satisfactoria pro peccato*. Vt autẽ plenius percipias doctr. S. Th. considera ea quæ in corp. art. habet. *Dicendum*, inquit, *quòd quãtitas meriti ex duobus potest pensari. Vno modo ex radice charitatis, & gratiæ; & talis quantitas meriti respondet præmio essentiali, quod consistit in Dei fruitione: qui .n. ex maiori charitate aliquid facit, perfectiùs Deo fruitur. Alio modo pensari potest quantitas meriti ex quantitate operis. Quæ quidem est duplex scilicet absoluta, & proportionalis, Vidua enim quæ misit duo æra minuta in gazophylacium, minus opus fecit quantitate absoluta, quàm illi qui magna munera posuerunt. Sed quantitate proportionali vidua plus fecit secundùm sententiam Domini, quia magis eius facultatem superabat. Vtraque tamen quantitas meriti respondet præmio accidentali, quod est gaudium de bono creato. Sic igitur dicendum, quòd efficaciora fuissent hominis opera ad merendum in statu innocentiæ, quàm post peccatum, si attendatur quantitas meriti ex parte gratiæ, quæ tunc copiosior fuisset, nullo obstaculo in natura humana inuento. Similiter etiam si consideretur absoluta quantitas operis: quia cùm homo esset maioris virtutis, maiora opera fecisset. Sed si consideretur quantitas proportionalis, maior inuenitur ratio meriti post peccatum, propter hominis imbecillitatem. Magis enim excedit paruum opus potestatem eius, qui cum difficultate operatur illud, quàm opus magnum potestatem eius, qui sine difficultate operatur*. Hæc S. Thomas.

Sed instat Theol. duplici argum. Primum est tale. *Hanc ob causam dilectio inimici est magis meritoria, cæteris paribus, quàm amici, vt idem S. Tho. habet 2. 2. q. 27. art. 7.* Sed debebat Theol. expendere totũ textũ S. Th. qui eo in loco sic inquit. *Dicendũ quòd ratio diligendi proximum, Deus est: sicut suprà dictũ est. Cum ergò quæritur: quid sit melius, vel magis meritoriũ; Vtrũ diligere amicũ, vel inimicũ? dupliciter istæ dilectiones comparari possunt. Vno modo ex parte proximi, qui diligitur: alio modo ex parte rationis, propter quam diligitur. Primo quidem modo dilectio amici, præeminet dilectioni inimici, quia amicus & melior est, & magis coniunctus: vnde est materia magis conueniens dilectioni. Et propter hoc actus dilectionis super hanc materiam transiens melior est; vnde & eius oppositum est deterius: peius enim est odire amicum, quàm inimicum. Secundo autem modo, dilectio inimici præeminet propter duo.*

Primò quidem, quia dilectionis amici potest esse alia ratio, quàm Deus; sed dilectionis inimici, solus Deus est ratio. Secundò quia præsupposito, quod vterque propter Deum diligatur, fortior ostenditur esse Dei dilectio, quæ animum hominis ad remotiora extendit, scilicet, vsque ad dilectionem inimicorum. Sicut virtus ignis tanto ostenditur esse fortior, quanto ad remotiora diffundit suum calorem. Tanto ergo ostenditur diuina dilectio esse fortior, quanto propter ipsum difficiliora implemus, Sicut & virtus ignis tanto est fortior, quanto comburere potest materiam minus combustibilem. Sed sicut idem ignis in propinquiora fortius agit, quàm in remotiora; ita etiam charitas feruentius diligit coniunctos, quàm remotos. Et quantum ad hoc dilectio amicorum secundùm se considerata, est feruentior & melior, quam dilectio inimicorum. Hæc S. Thomas. Non ergò quocunq; modo dilectio inimici est magis meritoria; qua verò ratione præmineat, iam patet ex dictis S. Thomæ: Quia nimirum sic dilectio, quę est principium merendi, ollè-ditur esse fortior; non autem quasi difficultas faciat aliquid ad rationem præmij essentialis. Nam quemadmodum idem S. Doctor in sequenti articulo in resp. ad 3. docet. *Plus facit ad rationem meriti & virtutis bonum, quàm difficile. Vnde non oportet quòd omne difficilius sit magis meritorium, sed quod sic est difficilius, vt etiam sit melius.* Secundum argumentum Theologi est. *Eleemosyna illa Christo iudice Luc. 21. maior erat, Denique magis accepta, quàm paupercula vidua dans duo æra minuta exhibuit, quàm diuitum copiosior: quia illi difficilius fuit, totum quod habuit, Deo offerre, quam diuitibus superflua ex abundanti erogare.* Cæterùm ad hoc respondeo, quòd vidua illa quantitate proportionali, plùs fecit secundùm sententiam Domini: proportionalis autè quantitas meriti, respondet præmio accidentali: vt docet S. Thomas paulò ante citatus 1. p. quæst. 95. ar. 4. in Corpore.

Demùm aduerte, quòd non quælibet Religio, quę occupatur in difficilioribus, est perfectior; sed quæ ità in difficilioribus, quòd illa difficiliora sint meliora, vt suprà ex S. Thoma dictum est: non enim omne difficilius, melius est: siuè, quę ità occupatur in difficilioribus quod non in periculosioribus pro anima, quæ prudenter declinantur. De quo vide si placet S. Thomam Opusc. 18. Cap. 20. Difficilius enim est Castitatem tueri, conuersando cum mulieribus; sed quia periculosius, ideò ex consilio Sanctorum, declinanda est huiusmodi difficultas.

PROPOSITIO XCVI.

Attende etiam ad hoc, Illustrissime Domine, vt eam Religionem tuo nepoti commendes præ cæteris, in qua cùm regularum obseruantia, vides maiorem concordiam & domesticam vnionem,

præ-

præsertim in magna dissimilitudine graduum, & nationum varietate simul cohabitantium:

AT quomodo videbit Illustris. Dominus domesticam vnionem, qui eo ipso, quod est Illustrissimus, & non Religiosus, vtiq; est positus extrà claustra? Nũquid penetrabit muros oculis, vt videat ea quæ domi fiunt? Poterit quidem ad extrà videre maiorem concordiã, sed quomodo videbit ad intrà domesticam vnionem; præsertim si sũma diligentia cælantur res secretæ? Dicam ampliùs; quomodo penetrabit oculis interiora conscientiæ vniuscuiusq; in qua potissimum residet charitas Dei, & proximi. Scriptum est. n. Matth. 23. *Væ vobis scribæ & Pharisæi? qui mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæe cæce, munda priùs quod intùs est calicis & paropsidis, vt fiat id quod deforis est, mundum. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, qua a foris parent hominibus speciosa, intùs autem plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia: Sic & vos a foris quidẽ paretis hominibus iusti, intùs autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.* Sed inquis Theologe. *Certissimum signum familiæ Dei est concordia, & domestica vnio.* Non Theologe: non inquàm absolutè vnio & concordia est certissimum signum familiæ Dei. Scriptum est. n. Nahum. 1. *Sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium eorum pariter potantium*: sed concordia & vnio fundata in dilectione Dei, est certissimum signum familiæ Dei.

PROPOSITIO XCVII.

Qua tantopere est Deo grata, vt S. Macario Abbati, etsi vitam ducenti in Eremo solitariam, in perpetuis ieiunijs, & carnis macerationibus, multò maioribus, quàm hoc nostro sæculo vigeat in vlla Religione, etiam Eremitica; & assiduè rerum diuinarum contemplationi dedito, Deus prætulerit duas fœminas cõiugatas rei vxoriæ vacantes; quæ tamen nil præ cæteris habebant, quàm quod per annos quindecim in domo vna pariter manentes, nec turpe verbum altera dixisset ad alteram, nec litem mouisset, sed in pace vixissent, & à sæcularibus verbis abstinuere ad mortem decreuissent, cum desiderio vitæ Monasticæ, si id per maritos earum aliquando liceret.

DEbebas perpendere Theologe, quod dicitur loco citato. Videlicet, has mulieres pari consensu tractasse, quatenus pariter re-

lictis maritis, in Congregationem Religiosarum Virginum proficiscerentur: & multis precibus hoc à Coniugibus non valuerunt obtinere. Quo non adepto inter se & Deum posuerunt testamentum, vt vsq; ad mortem sæculare verbum non loquerentur omninò. Sicut.n. aliquis ex maiori charitate potest velle sustinere Martyrium, quàm alius sustineat; vndè voluntariè Martyr, potest mereri sua voluntate præmiũ essentiale æquale, vel maius eo quod Martyri debetur, vt ait S. Tho. in 4. Dist. 49. q. 5. art. 3. quæstiunc. 2. ad 3. ita aliquis ex maiori charitate, potest velle Religiosam vitam, quàm alius de facto Religiosus: vndè voluntariè Religiosus, potest mereri sua voluntate præmium essentiale æquale, aut maius eo, quod Religioso debetur. Denique non paruum est, nunquam sæculare verbum proferre. Scriptum est enim Iacob 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potest etiam fræno circumducere totum corpus.*

PROPOSITIO XCVIII.

Et hæc vt opinor sufficient, Illustriss. Domine, ad adferendam tibi certam lucem, pro vtroque desiderio tuo.

ATtulisti Theologe certas tenebras, non certam lucem; nisi quod tenebras dicis lucem, & lucem tenebras. Tua .n. epistola passim respersa est Propositionibus implicatis, inanibus, vafris, friuolis, subdolis; imò erroribus; imò hæresibus: ita quod mirum sit, hanc opellam tuam adeò exiguam mole, tamen adeò magnam pernicie. Mirabile enim est plurimos etiã prima facie doctos, tuas fraudes, nec quidem comperisse, at plures tuis persuasionibus blandis illectos, austeritati, & paupertati renuntiasse, & à Religionibus rigidis, & pauperibus, auersionem in animo concepisse.

PROPOSITIO XCIX.

Vnum restat, vt te excitem ad aperiendam liberaliter manum, & cum bonis ac nepote tuo, cor ipsum tuum.

MI Theologe, non est semper conueniens ei Ordini deferre bona temporalia, cui aliquis seipsum deuouet. Duæ enim sunt opiniones circà istud. Vna affirmans, Altera negans, Vtraque tamen

men opinio fatetur, quod propter periculum infamiæ, & malæ nominis, cui Religiosi admittentes alumnos cum suis facultatibus &ditijs possunt subijci, non sunt aggreganda bona Ordini, sed potius pauperibus elargienda. *Quia melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* Et sanè apud viros pietate, & doctrina probatos, non potuit Theologus euadere suspicionem, & notam auaritiæ. Tota n. Epistola, Nepotem semper cõiunxit bonis; imò potius è conuerso, bonis adiunxit Nepotem. Infallibiliter enim in decursu totius Epistolæ, semper primo loco posuit bona, secundo Nepotem: vndè suspicantur ij, ne Nepotem propter bona Religioni venari voluerit. Sed iam oro te, ad quid tali Religioni bona accumulare gestis, quæ habet possessiones communes & reditus, & est libera a quærendis eleemosynis? Si enim non potest quærere modicas eleemosynas, quomodo maiores? Ridiculum est n. dicere, quod Religio non possit petere frustum panis, & possit petere mille marcas auri: quod nõ possit petere modica necessaria pro victu & vestitu; & possit petere villas, & oppida. Quomodo talis Religio minimè libera à quærendis eleemosynis magnis, (quandoquidem & possessiones, & villæ, à Religiosis ex eleemosyna habentur, & libera elargitione fidelium) potest melius & Deo, & sibi, & proximis vacare? siquidem tu Theologe enuntiasti, quod Religiosi non liberi à quærendis eleemosynis, nõ possunt melius & Deo, & sibi, & proximis vacare. Quomodo talis Religio liberiùs errantes corriget, si ab Auditoribus quæret subsidia temporalia, & quidem ea magna? Timebit n. benefactores offendere, corrigendo eorum vitia: quia veritas odium parit. Tua dicta Theologe profero: ex his teipsum iudica.

Sed videamus quare talibus Religionibus bona dedicare velis? Fortasse propter hanc rationẽ, quam suprà in hac tua Epistola tradidisti. *Si*, inquis, *inueniantur plures hominum piorum Ordines vel Congregationes, quæ videantur bonæ & perfectæ, debent potiùs ijs bona cum Nepote offerri, qui sequuntur perfectius viuendi institutum, & in eo modum viuendi perfectiorẽ*. Perfectius autem viuendi institutum, secũdùm te est, quod habet possessiones, & reditus: & modus viuendi apud te perfectior, habere possessiones & reditus, quàm carere eis; in quo quidem grauiter hallucinatus es in materia fidei, Inquit n. S. Th. Opusc. 17. Cap. 15. *Mentiuntur in doctrina fidei dicentes, maioris esse perfectionis eos, qui communibus possessionibus carent*. Doctrinam quoq; asseretium perfectiorem modum viuendi cum possessionibus, quàm sine illis, Sanctus Thomas notauit hæresis Vigilantianæ, vt suprà dictum est: tu autem id asseruisti, eo ipso quòd conatus es monstrare perfectius viuendi institutum, & in eo modum viuendi perfectiorem; quem in particulari describendo, docuisti esse m. dum

vi-

viuendi cum possessionibus. Ergo secundū te modus viuendi cū possessionibus est perfectior: quòd dicere est Vigilantij errorē renouare. Sed quicquid sit de hoc, certè Theologe non constat, eleemosynā semper esse meliori dandam. Ait n. S. Th. in 4. Dist. 15. q. 2. art. 6. quæstiunc. 3. ad 1. *Quod quamuis Deo propinquior sit semper melior, non tamen semper debet ei magis dari, quia eleemosynarum largitio, ad necessitatem proximi subleuandam diuinitus instituta est. Vndè si indigentia ex parte altera nimis excedat, magis seruabitur intentio instituentis eleemosynam, quam si meliori daretur.* Sed esto, eleemosyna meliori semper fit danda; vtiq; bona ista Nepotis, Episcopis dedicanda erunt. Si enim offerenda sunt Religionibus perfectioribus, & Religio secundùm te perfectior est, quæ proximè accedit ad Episcopalem statum: Ergò multò magis offerenda hæc bona Episcopis; siquidem status illorum est status perfectissimorum, eo magis quia ipsi bona accipiunt, ad dispensandum ea fidelibus.

PROPOSITIO C.

Vnum denique addo, id vt nepoti tuo inculces seriò, ne à sancto vitæ arctioris desiderio resiliat, tum alias ob causas, tum ne vita æternæ iacturam patiatur.

OBlitus est tui Theologe, vel certè tanquam asina Balaam inuitus loqueris. Quid enim tibi agitur, vt dicas, Nepoti inculcādum seriò, ne à sancto vitæ arctioris desiderio resiliat? Hæccine tibi vita est arctior, quæ Psalmodia caret, vitæ externam austeritatem nō profitetur, paupertatem in communi non seruat? Arctitudo tibi est, austeritatem externam non habere, & possessionibus communibus abundare? Quanta arctitudo tibi erit austeritas, & paupertas in communi? Sanè talis arctitudo suprà captum mentis, vel fortassè carnis tuæ. At reuera comparatiuè loquendo, vt tu profers, non est vita arctior, qualem tu hucusq; descripsisti. Ergo fortassis Nepos Illustrissimi vltimo consilio illectus, quod veritas ipsa, præter tuam intentionem, expressit, relictis consilijs de blandiori vita, euolabit ad vitam arctiorem, & tuum laborem frustraneum reddet. Si enim Nepos Illustriss., omninò vitæ Religiosæ amplectendæ animum destinauit, potiùs eliget Religionē, in qua simul magis respléderet Dei dilectio, & proximi propter Deum, & habet opera virtutis Religionis, & opera pœnitentiæ, & facit maximum fructum in Ecclesia Dei, & offert plures occasiones heroicas virtutum & laborum pro Dei gloria. Et in ea est simul

præ-

prædicationis,& orationis,& psalmodiæ studium,quamuis maius studiũ prædicationis & orationis, quàm psalmodiæ, & vitæ externã austeritatẽ profitetur, & paupertatẽ in cõmuni tantoperè cõmendatam à Sanctis,seruat & occupat se Pro Deo in rebus arduis,& difficilibus; Denique in qua est maior concordia, & vnio domestica, cum magna dissimilitudine,& varietate,& graduum,& nationum: potiùs inquam eligetur talem Religionem,quàm eam quę quædam ex dictis complectitur,quædam verò à se excludit: vt paupertatẽ in cõmuni, austeritatem externã &c. Talis enim Religio,secundùm Theologi regulas, est perfectior,quia habet media efficaciora, plura,& ordinata,auxilia plura, & meliora,pluribus & melioribus est fulta præfidijs ad consequendũ suum finẽ perfectissimũ. Quod si ità est, eludetur tota spes Theologi, de bonis Nepotis. Cùm enim Religio profitens paupertatem in communi,non requirat bona Nepotis,indè est quod si Nepos tali Religioni seipsum addicet,illa vtique bona remanebunt Illustrissimo, & eius familiæ: Theologum verò hiantem,spes sua fallet, & dicet.

Oleum, & operam perdidi.

EPILOGVS.

HIC tandem librum hunc,totum ferè ex dictis SS.Patrum,potissimùm tamen Doctoris Angelici S.Tho. Aquinatis cõcinnatũ, verbis eiusdem S.Doctoris,quibus & ipse similes libros terminare solitus est, concludo. *Hæc sunt quæ ad præsens scribenda occurrunt, contra eum qui perfectionem Religionis denigrare attentauit. Si quis igitur contra hæc rescribere voluerit,mihi acceptissimum erit. Non autem coram pueris* (addo & mulierculis) *garriat, sed scribat & scripturam proponat in publico, vt ab intelligentibus dijudicari possit,quod verum sit,& vt quod erroneum est, authoritate veritatis confutetur.* Adiungo de meo: Prodeat Author de latebris, & nomen suum in aperto prodat, ad singula sigillatim, & distinctè respondeat, & ea vel approbet, vel reprobet, non apices, sed substantiam rei scrutetur, doctrinæ S.Th. cui sponte se adstrinxit, constanter inhærendo respondeat,certus quòd me paratissimum, & promptissimũ ad satisfaciendũ sibi sèper reperiet,si modò conditionibus à me propositis perstiterit.

Omnia subijcio S.M.R.Ecclesiæ, & iudicio doctorum virorum, paratus corrigere quæ corrigenda videbuntur.

FINIS.

Laus Deo Virginiq. Matri.

39971356